BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X
C
13
NAPOLI

DOCTRINA THEOLOGICA

PER BELGIUM MANANS

EX

ACADEMIA LOVANIENSI

Ab anno 1644. uſque ad annum 1677.

IN PARTES SEU SPECIMINA QUATUOR

DIGESTA

Per Theologos Belgas fidei orthodoxæ & Apoſtolicarum Conſtitutionum Studioſos.

MOGUNTIÆ

Ex Typographia Chriſtophori Kuchleri

Typographi Aulico-Academici. 1681.

TYPOGRAPHVS
AD
LECTOREM.

A Viro honorato atque amico nactus exemplar hujus opuſculi, juris publici illud facio ut accepi, jure uſus meo & publico conſulens. Vale Lector amice, & hiſtoriam, quam præbeo volve animo pacato atque in Sedis Apoſtolicæ decreta unicè intento. Hæc, ſi me audis, præferes ſenſis doctorum quorumvis iiſdem adverſantium: hoc mecum illi ſuadent, quorum labor hæc tibi digeſſit, quod ipſa ex fronte opuſculi intelligis.

PRÆFATIO.

QUandoquidem hoc tempore Doctores Sacræ Facultatis Theologicæ Lovanienſis, ut profeſſi nuper ſunt in libello ſupplici oblato ſuæ Majeſtati, dolentes, *Veritatem Chriſtianam multum obſcurari, turbari & damnari* in Belgio, ſtatuerunt *recurrere ad S. Sedem Apoſtolicam per deputatos expreſſos. . . . ut eam accuratè informent de Sanctis ſuis conatibus, & doctrinis, quas docent in ſuis Scholis, ejuſdemque ſuper illis deciſionem, & judicium intelligant, atque huic ſe conforment, & ſubmittant omni reverentiâ, & integrâ obedientiâ*; viſum fuit operæ pretium, aliquam opem illis ferre ad finem tam optandum, & collaborare, ut quam accuratiſſimè informetur S. Sedes, & Romana Curia de doctrinis, quæ ex Academiâ Lovanienſi manant per totum Belgium.

Porro ad informationem iſtam præcipuè viſæ ſunt utiles Theſes Scholaſticæ Typis impreſſæ ad uſum diſputationum publicarum ab Anno 1644. quo publica fuit in Belgio jam inde à non paucis menſibus Conſtitutio *In eminenti*, qua *Vrbanus* VIII. condemnavit AUGUSTINUM *Cornelii Ianſenii* Iprenſis Epiſcopi, uſque ad præſentem annum 1677. atque in primis Theſes illæ, quarum diſputationi præſederunt Doctores Facultatis Theologicæ Lovanienſis.

Etenim & Doctrina Theſium ventilata in Diſputationibus publicis magis imprimitur diſcipulis, & non diſputantur Theſes niſi approbatæ à Doctoribus præſidentibus, & juxta ſtatuta Academiæ admitti non poſſunt propugnandæ propoſitiones, quas Facultas Theologica concorditer improbat.

Attamen & utiles ſunt viſæ Theſes, ſeu Lovanii, ſeu alibi in Belgio defenſæ à Profeſſoribus, qui Facultatis Theologicæ Lovanienſis Doctores non ſunt: quia pleroſque conſtat Lovanii Doctrinam ſuam hauſiſſe, & doctrina ipſa per ſe Lovanienſem redolet diſciplinam; ut ſentiet, qui modo legerit.

Utiles denique viſi ſunt Libri eorumdem vel Doctorum, vel Profeſſorum Theologiæ, Annis proximè ſuperioribus in lucem editi in Belgio, & magno ferè plauſu excepti, omniumque manibus triti.

Ad hæc monendus eſt Lector, ſimplex ſpecimen hic proponi Doctrinæ per Belgium manantis ex Academia Lovanienſi: nam ſi ex Theſibus, libriſve proximè ſuperiorum Annorum, colligerentur omnia, quæ pertinent ad ſingula doctrinæ capita, volumen fieret prægrande, & molis non neceſſariæ ad finem, qui intenditur.

Multò magis excreſceret moles, ſi, quæ prodierunt ante Annum 1644. colligerentur: magis etiam, ſi ea omnia, quæ certorum Doctorum, & Profeſſorum ita ſunt propria, ut aliis non ſint communia; cujuſmodi eſt Theſis II. ex iis, quæ de Incarnatione Lovanii propugnatæ ſunt die 23. Aprilis 1643. his verbis concepta: *Ex Deo quippe & homine facta eſt perſona una, non per mutua, aut alterius ſubſiſtentiæ abjectionem; ſed* PER MUTUAM MUTUARUM SUBSISTENTIARUM NATURALEM CONVENTUM, ET ADUNATIONEM ..... *coierunt ergo non ſola Dei, & hominis natura*; SED ET EORUM SUBSISTENTIÆ .... *Hic enim eſt effectus unionis* EX PLURIBUS SUBSISTENTIIS, SEU PERSONIS FACERE UNAM. Cujuſmodi eſt rurſum, quod Bruxellis 26. Aug. 1669. quidam præcipui nominis alumnus Academiæ Lovanienſis inter *Principia Ignorantiæ humanæ*, repoſuerit primo loco: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*: De hoc ita pronuncians: *Ex primo nullius entis intelligentia ſequitur: unde non meretur nomen principii, nedum primi*. Die 20. Octob. 1665. ſic poſuerat: *Quod ſi negaremus hoc primum principium Metaphyſicæ Ariſtotelis*: IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE, ET NON ESSE, *numquid per aliud probari deberet? Si ſic; quomodo ergo primum? Nullus interim ſcepticus umquam ſincerè dubitavit de ſua exiſtentiâ, dum cogitans, an exiſteret, ſupra ſuam cogitationem reflexit*. Hæc igitur, & ſimilia, quia ſunt unius, alteriuſve ingenii ſingulares cogitationes, licebit nobis præterire, quibus propoſitum eſt exhibere ſpecimen Doctrinæ Theologicæ ex Academia Lovanienſi per Belgium manantis & ſeſe diffundentis.

Rogandus etiam eſt Lector, ne ſibi perſuadeat, nos vel in ſcriptis SS. Patrum eſſe tam peregrinos, vel Sanctorum PP. tam parum reverentes, ut vel ignoremus quaſdam ex Doctrinis hoc opuſculo referendis, eſſe conceptas ipſis fere verbis *S. Auguſtini*, aut alterius ſancti Patris, aut hoc ſcientes Doctrinas ipſas SS. Patrum velimus facere ſuſpectas. Nihil eſt uſitatius Novatoribus, atque inprimis *Cornelio Janſenio* Iprenſi, quam Doctrinam ſuam verbis Sanctorum

Patrum

Patrum concipere, quoad facere poſſunt. Notus eſt Apoſtolicæ Sedi ſenſus SS. Patrum : notus quoque fiet ex hoc opuſculo universè ſpectato, & toto genere Doctrinæ exponendæ, ſenſus Doctorum,& Theologorum, quorum opiniones exponentur. Judicium verò de ſinceritate,& bonâ fide, quâ adhibentur verba SS.Patrum, ad eamdem Apoſtolicam Sedem pertinebit. Axioma quoddam eſt his Doctoribus & Theologis Janſenium ſecutis dictum *Auguſtini* in epiſt.ad Galat. *Quod magis delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt.* Theologorum bene Catholicorum, & Doctiſſimorum judicio dictum illud intellexit *Auguſtinus* de delectatione deliberata : hi noſtri intelligunt de indeliberata, ut infrà patebit : non debuere igitur omittti in hoc opuſculo opiniones ipſorum illis fere verbis *S. Auguſtini* expreſſæ,ut judicet S. Sedes,rectene,an ſecus utantur *S. Auguſtini* verbis : eadem alibi eſt ratio. Certe *Pius* V. *Greg.* XIII. *Vrbanus* VIII. non eo minus damnarunt quoſdam ex Articulis Bajanis , quod verbis alicujus S.Patris fere eſſent concepti,rectè ſcilicet edocti de Auctoris ſenſu diſcrepante à ſenſu SS.Patrum.Hæc fere occurrebant præfanda.

PROTESTATIO

Prima.

NE præſumptionis nota nobis ſit parata, proteſtamur, Doctrinam tam variam S.T. Doctorum ac Profeſſorum ſeu Lovanienſium, ſeu aliorum (continget enim, in poſtrema parte præcipue, etiam aliorum doctrinam proponi, quibus invidiam Romæ Lovanienſes movent) nequaquam proponi à nobis, tamquam cenſura dignam, aut indignam. Eſſet enim hæc intoleranda præſumptio, ubi judicium à S. Sede flagitat Facultas Theologica Lovanienſis nos cupide expectamus. Doctrina igitur omnis hic proponenda, ſitne cenſurâ digna, aut indigna, prorſus neſcitur in hoc Opuſculo. Sanctæ Sedis erit probare, aut improbare, doctrinam hîc exponendam, quamlibetque ejus partem, ut indicabit convenire.

PROTESTATIO.

Secunda.

QUoniam, ut homines ſumus, ita excidere nobis poſſet quidpiam, quod minus belle congrueret, vel jam decretis à S. Sede, vel, quod facilius poſſet contingere, decernendis à S. Sede ad inſtantiam Facultatis Theologicæ Lovanienſis,

ſeu

ſeu alia occaſione , toto animo proteſtamur , nos univerſa hoc opuſculo proponenda , profundiſſime ſubjicere non ſolum jam decretis à S. Sede , ſed etiam ab ipſa decernendis occaſione qualibet , quæ jam - nunc propenſiſſimâ voluntate admittimus , amplectimur atque ut oracula veneramur , eraſum , expunctumque cupientes , quidquid illis vel leniter adverſari compertum fuerit.

SPECIMEN
DOCTRINÆ THEOLOGICÆ
PER BELGIUM MANANTIS
EX
ACADEMIA LOVANIENSI.

Ab Anno 1644. uſque ad Annum 1677.

PARS PRIMA.

Specimen Doctrinę Theologicæ ex Academiâ Lovanienſi per Belgium manantis in materia quinque Propoſitionum *Cornelii Janſenii*, aliiſque huic affinibus.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad univerſam Cornelii Janſenii *Doctrinam de Gratia, Libertate &c.*

VT commodius ſtatuat Lector, quò tendere videatur omnis ea Doctrina, quam exhibebimus priori parte hujus opuſculi, juvabit ob oculos ponere prima quaſi elementa doctrinæ Janſenianæ de Gratiâ, Libertate &c. Cardinem quemdam totius controverſiæ inter S. Auguſtinum, & Pelagianos *Janſenius* libro 2. *de Gratia Chriſti Salv.* cap. 1. col. 81. appellat diſcrimen illud, quod ipſe ſtatuit inter Adjutorium gratiæ, quo indigebat primus homo in ſtatu Innocentiæ, & illud Adjutorium, quo indigemus in ſtatu naturæ lapſæ. Hoc nobis conſtat, hunc fuiſſę cardinem, ex quo ſuſpendit ipſe errores omnes ſuos in materia de Gratiâ, & Libertate.

Diſcrimen utriuſque adjutorii explicat ex profeſſo Lib. 2. *De Gratia Chriſti Salv.* cap. 4. col. 97. *In eo*, inquit, *ſita eſt* differentia, *quod illius primæ integritatis adjutorium ſic adjuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipſa, ſi vellet; nunc autem ipſum adjutorium facit, ut velit. Hoc eſt, adjutorium ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii perinde atque voluntatis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet; adeoque ſalva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò poſt ruinam tale eſt, ut faciat annuere, & influere, & velle voluntatem.* Hæc ipſa dilatat toto illo capite 4. adjutorium primi hominis appellans adjutorium *ſine quo non*; adjutorium lapſi hominis adjutorium *quo*; illud ejuſmodi cogitans *ſine quo non* poſſet bene velle, aut facere primus homo; hoc verò, *quo* & invictiſſimè vellemus; ex quo & iſtud patet, adjutorium gratiæ in ſtatu naturæ lapſę nullum dari; niſi efficax ex mente hujus Auctoris.

Porro efficaciam Gratiæ in hoc ſtatu explicat per exceſſum delectationis cæleſtis ſupra delectationem terrenam: hoc agit lib. 4. *de Gratia Chriſti ſalv.* cap.4.5.6. ſic loquitur cap.4.col.406. *Creberrimè docet Auguſtinus, quamdiu in hàc vitâ mortali vivimus, eſſe in homine luctam quamdam duarum delectationum; noxiæ, & beneficæ, terrenæ, atque cæleſtis; quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem, ac pronum trahit.* Rationem reddit cap.6.col.412. *Quod enim amplius delectaverit, ſecundum id operemur neceſſe eſt. Auguſtini* Verba *in Epiſt. ad Galat.* accipiens de delectatione indeliberatâ.

Enimverò delectationes illas, quarum luctam perpetuam in animâ conſiderat, ponit indeliberatas, & minimè liberas. Unde lib.4. de Gratiâ Chriſti cap. 11.col.435. *Delectatio,* inquit, *iſta, quam ad omnia opera bona S. AUGUSTINUS exercenda poſtulat, non eſt aliud, quam actus quidam indeliberatus cælitus immiſſus in voluntatem.* & col.438. *Delectatio, quæ conſenſum in peccata præcedit, & ſuggeſtionem ſequitur, non aliud eſt, niſi deſiderium illicitum indeliberatum, quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat.*

Habet hìc Lector elementa quædam univerſæ fabricæ tot errorum de impoſſibilitate præceptorum, de efficaciâ omnis gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, de neceſſitate meritorum, & demeritorum in eodem ſtatu, aliorumque his affinium, quæ ex illis quæ propoſuimus ſuâ ſponte fluunt, ut quilibet per ſe videt. Hæc igitur in hunc modum poſuiſſe ob oculos ſit ſatis.

CAPUT I.

Specimen Doctrinæ Theologicæ de impoſſibilitate præceptorum.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Primam Propoſitionem ex Quinque Ianſenianis.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

De hâc propoſitione Romani Pontifices *Innocentius X.* Conſtit. *Cum occaſione, & Alexander VII.* Conſtit. *Ad ſacram* ſic definiverunt: *Temerariam, Impiam, Blaſphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damna-*

damnamus. Speciatim vero *Alexander VII.* eamdem damnavit *in ſenſu ab eodem CORNELIO IANSENIO intento.*

Porro *Cornelius Ianſenius* Propoſitionem docuit lib. 3. *de Gratiâ Chriſti* toto cap. 13. ſed inprimis col.334. his verbis: *Hæc igitur omnia pleniſſimè, planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in S. AVGVSTINI Doctrinâ certius, ac fundatius, quam eſſe præcepta quædam, quæ hominibus, non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis; ſed fidelibus quoque, & juſtis, volentibus, conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſſe quoque gratiam, quâ fiant poſſibilia.*

Quoniam vero in ſenſu *Corn. Ianſenii* damnata eſt propoſitio, adnotandum eſt, illum dixiſſe impoſſibilia præcepta ſecundum præſentes vires, quando vires præſentes, ad implendum præceptum, non ſunt completæ ſeu plenè ſufficientes, & deeſt gratia, quâ homo poſſit efficere, ut vires ad implendum præceptum fiant completæ: non enim locutus eſt de caſu quodam, quo vires ad implendum præceptum eſſent, aut acquiri poſſent omnino nullæ, ac ne quidem inſufficientes: quia eâdem col.334. cauſam impoſſibilitatis præceptorum mox petit *ex eo*, quod *VIRES VOLVNTATIS INFIRMÆ SVNT propter concupiſcentiam à volendo bono retrahentem; cujus reniſu fit, ut vires voluntatis diſtrahantur, atque ita homo NON PLENE velit, NON INTEGRE velit, non totâ voluntate velit.* & col.331. in eodem capite ſic dixerat: *has autem vires ad faciendum, quod præcipitur, homo etiam fidelis, & juſtus NON SEMPER HABET INTEGRAS; ſed ex ipsâ tentatione diviſas*: hæc eadem inculcat toto fere illo capite 13.

§. I.

Aſſertiones negantium Iuſtis etiam hominibus Gratiam ſufficientem ad implenda quædam præcepta.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T. Doct. Lovanii die 26. Junii 1676. Diſputationi Theologicæ præſedit, in quâ proponebatur Aſſertio hæc Theſi 1.

Ne hinc inferas: ergo homo ſauciatus ſine ſuâ culpâ cadit, ſi adjutorium, ſine quo non, ſeu ſufficiens, ei deſit. Nunc enim quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; propter quod non tantum gratia agendi, ſed & gratia, ſeu auxilium proximè ſufficiens ad orandum quibuſdam, ETIAM IVSTIS, juſtè denegatur, IMO ORARE NON POSSVMVS; niſi Deus operetur & velle.

Poſtrema pars hujus aſſertionis; *ORARE NON POSSVMVS; niſi Deus operetur & velle*, oſtendit quid ſibi velit pars ſuperior, quâ aſſeritur *auxilium proximè ſufficiens ad orandum quibuſdam etiam juſtis juſtè denegari.* Sæpe hoc uſuvenit, ut hi noſtri Theologi malint dicere, auxilium *proximè ſufficiens* negari, quam *auxilium completè ſufficiens*; fortaſſe ut videantur admittere auxilium *remotè ſufficiens,*

ficiens, quod orando, aliove bono exercitio promptum ſit reddi *proximè ſufficiens*: ſed Auctor Aſſertionis, quam propoſuimus æquivocationem ſuſtulit, addendo ſimpliciter nos *orare NON POSSE*; *niſi Deus operetur & velle* Quoniam ergo juſtus peccans neque vult, neque o at ita, ut oportet ad obtinendum auxilium proximè ſufficiens, ſequitur eum orare ſimpliciter non poſſe; adeoque non ſolum illi eſſe impoſſibile præceptum, ſed & deeſſe gratiam, quâ poſſibile fiat.

Doctor idem *Franc. van Vianen* Lovanii 24. Januarii 1676. Theſes Theologicas propugnavit, quas inter Aſſertio hæc erat Theſi 3.

Iuſtificatus ſtare NON POTEST ſine ejuſdem gratiæ auxilio, quæ faciat, ut in præceptis Dei ambulet, & judicia ejus cuſtodiat, & operetur. NEQUE ENIM INE HAC GRATIA novæ Legis, quæ hic à Prophetâ Ezechiele, à Chriſto, ab Apoſtolo, ab Auguſtino efficax, & non merè ſufficiens adſtruitur, HOMO ETIAM IUSTIFICATUS POTEST ULLUM LEGIS ETIAM NATURALIS PRÆCEPTUM IMPLERE, ſicut oportet, aut ulli concupiſcentiæ, aut tentationi taliter reſiſtere; neque iſtud gratiæ juſtificato dare Deus tenetur: utque non dederit, ne fictam dixeris ejus cum juſtificato amicitiam.

Quoniam igitur conſtat, juſtificatum ſæpe deſtitui gratiâ efficaci ad ſervanda præcepta, quæ ſola hic dicitur eſſe *Gratia novæ legis ab Ezechiele, à Chriſto, ab Apoſtolo, ab Auguſtino adſtructa*, tunc quidem ex mente hujus Doctoris *Iuſtificatus STARE NON POTEST*: tunc *NON POTEST tentationi reſiſtere*. Addamus neque orare illum poſſe, aut alio bono opere ſibi acquirere potentiam ad reſiſtendum tentationi: caret enim efficaci gratiâ ad orandum; cum non oret. Atqui ſine hâc *NON POTEST homo etiam juſtificatus ullum præceptum implere.*

Accedere his poteſt breve iſtud Doctoris ejuſdem die 23. Octob. 1665. Theſi 2.

Stabat Adam in Paradiſo, & perſeveranter ſtetiſſet, ſi voluiſſet. Nunc verò NON SEMPER PERSEVERAMUS, DUM VOLUMUS.

Andreas Laurent S.T.Doctor Lovanii die 13. Octobris 1667. Aſſertionem hanc propoſuit Theſi 1.

HUMILIATUM EST IN LABORIBUS COR EORUM, INFIRMATI SUNT NEC FUIT, QUI ADIUVARET EOS: Humiliantur ſæpe homines in laboribus tentationum PER EXPERIMENTA IMPOSSIBILITATIS SUÆ, dum inveniunt ſe ſine Dei adjutorio ad illas vincendas NIHIL POSSE. Subtrahit autem quandoque Deus, ETIAM SANCTIS, ac fidelibus ſuis AUXILIA AD CUSTODIENDAM IUSTITIAM, aut occurrenti tentationi reſiſtendum NECESSARIA.

GERARDUS VAN WERM S.T.D.Lovanii die 26. Auguſti 1661. probavit Aſſertionem hanc Theſi 3.

FIDELIS AUTEM DEUS EST, QUI NON PATIETUR VOS TENTARI SUPRA ID QUOD POTESTIS .... hic locus AD SOLOS ELECTOS reſtringi poteſt, quos Deus vel cadere non ſinit, vel à caſu erigit. Hic

Hic Doctor profecit ex *Ianſenio*, qui lib. 3. *De Gratiâ Chriſti* cap. 13. col. 328 locum illum non reſtringit ad ſolos electos; ſed ad *ſolos ferè electos*.

Quoniam ergo ad ſolos electos reſtringi poteſt locus ille, neque omnes juſti Electi ſunt, liquet ex mente hujus Doctoris dici poſſe, *Deum pati tentari juſtum ſupra id quod poteſt.*

Diſertius id expreſſum habet Aſſertio probata ab eodem Doctore die 1. Auguſti 1673. Theſi 1.

NON EST QVI FACIAT BONVM &c. ex illis quibus deeſt gratia. Sine eâ enim NIHIL BONI AGERE POSSVNT. Hanc ETIAM ALIQVIBVS IVSTIS aliquando defuiſſe, & deeſſe, nihil mali eſt aſſerere; niſi velis Divo AVGVSTINO & Innocentio primo apertè contradicere.

Ecce *hanc* gratiam, *ſine quâ NIHIL BONI AGERE POSSVNT,* cenſet *aliquibus juſtis aliquando defuiſſe, & deeſſe.*

Jam pridem hæc placuerant eidem Doctori: quia die 6. Novembris 1646. propugnandam ſuſceperat hanc Aſſertionem Theſi 3.

Non negamus tamen, Chriſtum modo quodam generali etiam pro omnibus omnino mortuum . . . . quamvis non tali, ob quem neceſſum ſit admittere, quod adjutorium ſufficiens ad ſalutem omnibus detur: quale NE QVIDEM IN OMNIBVS ADVLTIS, ET IVSTIFICATIS admittimus.

IOANNES SINNICH S. T. Doctor Lovanii die 13. Maji 1653. hæc propugnavit Theſi 2.

Maſſa humana corrupta, & duplici ſcilicet ignorantiæ, & infirmitatis morbo facta eſt obnoxia: NEC HÆC TITVLO IMPOTENTIÆ, nec illa, caſu quo fit juris naturæ, excuſat. Hæc SANCTIS CAVSA EST TREMENDI, atque metuendi, ne ipſis operibus pietatis elati deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Quinimò ſubtrahitur interdum gratia, ſive retrahitur, NON PRO SVPERBIA, QVÆ IAM EST, SED QVÆ FVTVRA EST; niſi ſubtrahatur.

Nota, nequidem *Sanctos* excuſari *titulo impotentiæ*, eoſdemque in hanc conjici interdum, *non pro ſuperbiâ, quæ nunc eſt; ſed quæ futura eſt; niſi ſubtrahatur* gratia.

LIBERTVS FROMONDVS S.T. Doctor Lovanii die 7. Aprilis 1644. hæc propoſuit Theſi 2.

Vnde neque omnibus hominibus gratiæ ſufficientes ad ſalutem dantur: quod ſancto Patri AVGVSTINO ita certum fuit ut idipſum AD FIDEM CATHOLICAM PERTINERE putaverit. Imò juxta EVMDEM NEQVE OMNES IVSTIFICATI ILLAS HABENT.

Doctor idem die 28. Martii 1645. Theſi 3.

Præter gratiam efficacem in omnibus planè hominibus adultis, etiam obduratis, & excæcatis agnoſcere gratiam ſufficientem, eſt contra apertiſſimam AVGVSTINI ſententiam, QVI NEQVIDEM IVSTIS AD PERSEVERANDVM TALEM CONCEDIT.

Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium (ſcilicet ſine quo manere non poſſunt, ut ante dicit) jam pœna peccati eſt.

IOANNES DE WITTE S. T. Prof. Antverpiæ hanc ſuſtinuit aſſertionem Theſi 10. die 13. & 14. Julii 1671.

Sed quid de juſtis? Eos non ſemper habere gratiam ſaltem completè, & proximè ſufficientem ad totam legem implendam, & omnes tentationes vincendas, probant hæ quotidiana illorum preces, FIAT VOLVNTAS TVA, ET, NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM: ſubtrahit enim quandoque illis auxilia ad cuſtodiendam juſtitiam, aut occurrenti tentationi reſiſtendum proximè neceſſaria, ne ipſi facilitatem in omnibus conſecuti ſuum eſſe putarent, quod ejus eſt.

Fortaſſe interpretetur quiſpiam profeſſorem hunc agnoſcere in juſtis auxilium remotè ſufficiens, quo ſibi queat acquirere proximè ſufficiens, ſi velit; quippe qui negare ſolum videatur quibuſdam juſtis auxilia *proximè neceſſaria*, aut ſufficientia. Libentius, ut ſupra annotabam, hi noſtri negant, auxilia *proximè ſufficientia*, quam *completè ſufficientia*, ut videantur agnoſcere, *remotè*, & *mediatè ſufficientia*, quibus promptum ſit acquirere *proximè ſufficientia*. Sed non eſt facile credendum. Hic quidem profeſſor non eo ſenſu negare poteſt quibuſdam juſtis *auxilia proximè ſufficientia*: nullum enim agnoſcit auxilium in hoc ſtatu, niſi efficax, ſi rem ipſam ſpectes: pronuntiat enim rotundè, nihil explicationis adhibens his verbis Theſi 8. *Non ergo jam datur illud adjutorium, quod datum eſt primo homini, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet; ſed potentius exigit adjutorium infirmus homo; non quo fit, ut habeat inſtitiam, ſi velit; ſed quo fit, ut velit.* Hæc ille proferens nullo adhibito temperamento, oſtendit manifeſtè nullum ſe adjutorium agnoſcere in hoc ſtatu, niſi *quo fit ut velit* homo infirmus; hoc eſt, niſi efficax.

Macarius Havermans S.T.P. Antverpiæ die 9. & 10. Maji 1675. Theſi 7.

Materiam legis perperam illis impoſſibilem clamitant, quibus auxilium VERE SVFFICIENS denegatur; quale auxilium NEC IPSIS IVSTIS ſemper adeſſe admittimus.

Gregorius Goorlaecken S.T.P. Lovanii die 12. Martii 1677. ſic habet Theſi 14.

Putamus firmam AVGVSTINO ſtetiſſe ſententiam, diſcrimen adjutorii actualis homini ſano, & infirmo dati, quoad efficaciam in hoc potiſſimum conſiſtere, quod illud flexum voluntatis ſequeretur, hoc verò eumdem indeclinabiliter, & inſuperabiliter inferat. Præterea AVGVSTINVS loco proximè citato apertè tradit, ADAMO auxilium proximè ſufficiens citra culpam non potuiſſe deeſſe . . . . & ne aliquis putet, quibuſlibet modò ſimiliter adeſſe adjutorium proximè ſufficiens ad legem implendam, ſubdit: nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt . . . . . . Quapropter putamus, NEQVIDEM IVSTIS ſemper hujuſmodi adjutorium adeſſe.

Ne hunc quidem Profeſſorem, cum negat juſtis *adjutorium proximè ſufficiens ad legem implendam*, agnoſcere eo caſu adjutorium remotè ſufficiens, quo promptum ſit acquirere proximè ſufficiens, oſtendit prior pars Theſeos, diſcrimen

gratiæ

gratiæ ſani hominis, & infirmi ſtatuens penes ſufficientiam ſubjectam libero arbitrio, & efficaciam dominantem libero arbitrio, quæ conveniat omni gratiæ hominis infirmi. Unde ſi agnoſceret in juſto quolibet adjutorium remotè ſufficiens ad legem implendam, quo promptum eſſet, acquirere proximè ſufficiens, ipsâ ſemper acquireretur proximè ſufficiens, ut conſideranti patet: atqui non ſemper acquiritur, ut docet.

GERMANUS PHILALETHES Eupiſtinus, ut ſe vocat; ut verò ſui eum vocant, *Carolus ab Aſſumptione* S. T. P. Duaci anno 1670. in libro *de ſcientiâ mediâ ad exam: revocatâ num.* 114.

Quare ſicut indurati juxta hanc veritatem non habent auxilium ſufficiens, eò quod non habeant gratiam, quæ auferat cor lapideum, & cæcitatem; ita NEC OMNES IUSTI HABENT AUXILIUM SUFFICIENS, eò quod non habeant gratiam, quæ vincat concupiſcentiam, & tollat ignorantiam.

Ac ne cenſeas, adeſſe juſtis gratiam orandi, quâ poſſibilia fiant præcepta, ſic mox præ-occupat ibidem num. 115.

Proprium hoc fuit S. Petri malum, qui putans, ſe poſſe pro Chriſto animam ponere, non accepit orationem, ET IDEO ANIMAM PONERE NON VALUIT.

Unde & num. 116. ſic mox infert.

Non igitur omnes accipiunt orationem, cum non omnes ad Deum recurrant, nec etiam orandi omnes habent poteſtatem; cum non omnes cognoſcant ſuam infirmitatem.

Ibidem num. 89. *Natura ſana nihil deerat ex parte poſſe nec ullo auxilio adjuvante vires indigebat. Natura verò infirma DEEST ETIAM PER GRATIAM SANATÆ ALIQUID EX PARTE POSSE; amor ſcilicet juſtitiæ, ſine quo non poteſt facere ea, quæ ſunt juſtitiæ...... Homo infirmus NON POTEST PRÆDICTUM AMOREM SIBI TRIBUERE.*

Ibidem num. 90. *Homo infirmus, QUANTUMCUMQUE IUSTIFICETUR, ſi cum gratiâ datâ poſſit ſtare motus concupiſcentiæ, habet POTENTIAM IMPEDITAM ad rectè operandum, tam in naturalibus, quam in ſupernaturalibus: ideo potentiori indiget prædeterminatione, quæ ita det actum, ut ſimul vincendo concupiſcentiam DET ET POSSE.*

Germanus idem *Philalethes* anno 1671. in libro *de libertate* num. 6. *Quam doctrinam ſi ponderarent Moliniſtæ, ſtatim conſpicerent, quæ ſit in homine infirmo indigentia gratiæ victricis, & prædeterminantis. Hujus enim infirmitas maxime in hoc conſiſtit, quod, licet ſit per gratiam ſanctificantem à peccato liberatus, & ad bonum inclinatus, attamen in occaſionibus hîc, & nunc occurrentibus, propter prævenientis concupiſcentiæ impedimentum, NON POTEST ſibi dare amorem ſupradictum juſtitiæ; ſed debet eum immediatè à Deo accipere per ſpeciale auxilium gratiæ victricis, & prædeterminantis. Agnoſcerent præterea, NULLAS ESSE in homine infirmo VIRES ACTU DATAS, QUÆ TOTALITER SINT SUFFICIENTES ad implendum præceptum, ſicut oportet, uſque dum Deus dederit prædictum amorem juſtitiæ.*

Laurentius

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1675.in Theol. Morali *de actibus humanis* tract. 18. quæſt. 1. dub. 8 pag. 558. 559. plus aliquid tribuit juſtis hominibus, ſi verba ſpectes; ſi verò rem ipſam, nihilo plus. Sic objicit ſibi, & reſpondet.

Dices Herus aliquis eſſet cenſendus tyrannus, qui famulum ex fractâ tibiâ impotentem obligaret ad ambulandum. Ergo & Deus erit cenſendus tyrannus, ſi homini infirmo, nec habenti ſufficientem gratiam ad implendum mandatum, equidem illud imperet fieri . . . . Reſpondeo in forma, & dico, non ſtatim nobis cenſendum aliquid impoſſibile, quod non poſſumus exequi potentiâ proximâ: neque enim obſervatio præceptorum æqualiter ab hominibus eſt poſſibilis: nam HOMINI IVSTO habenti habitualem gratiam CVM AVXILIO ACTVALI præſens obſervatio præcepti eſt proxime poſſibilis, homini vero peccatori &c.

Hoc nobis viſus eſt dicere verbis poſtremis; homini juſto habenti auxilium efficax obſervatio præcepti eſt proxime poſſibilis. Non enim poteſt dicere, quod homini juſto habenti auxilium ſufficiens obſervatio præcepti ſit proxime poſſibilis; quia hic profeſſor non agnoſcit in hoc ſtatu gratiam proxime ſufficientem, quæ non ſit efficax: *Quia talis gratia ſufficiens tantum eſt gratia ſanæ voluntatis, & non ægrotæ,* ut loquitur ibid. pag. 554.

Reponit tamen juſtis aliquid præſidii in gratiâ habituali: unde rurſus ibidem tract. 18. q. 2. dub. 7. pag. 585. ſic diſſerit.

Sequitur, omnes juſtos poſſe perſeverare; quatenus videlicet eſt in poteſtate juſti, quod ipſe per Dei gratiam poteſt habere, & obtinere a Deo; ſic enim in hominis poteſtate eſt habere auxilium ad perſeverandum uſque ad finem vitæ neceſſarium; quatenus illud poteſt impetrare a Deo per jejunia, eleëmoſynas, orationes . . . . . . Dices ad orandum quoque eſt opus divinâ gratia . . . . . ſed non omnes juſti habent illam actualem gratiam orandi, ergo &c. Reſpondeo concedendo ſubſumptum: Dico tamen illis non eſſe impoſſibile orare · quia quilibet juſtus habet GRATIAM SANCTIFICANTEM, QVA MEDIANTE POTEST OBTINERE AVXILIA AD ORANDVM NECESSARIA; ut vero actualiter oret, opus habet adjutorio actuali: quod ſi non oret, ſuâ culpâ non orat: & ulterius, ne quis ſapere velit plus, quam oportet. & quæ ſunt inſcrutabilia perſcrutari, meminiſſe oportet, quod perditio noſtra ex nobis ſit, ſalus autem noſtra ex Deo.

Sed verò cum auxilia ad orandum neceſſaria in hoc ſtatu, juxta hunc profeſſorem ſint ſola auxilia efficacia: quia præter hæc nulla agnoſcit proxime ſufficientia, ut jam vidimus, ſupereſt illi explicanda res ardua, quomodo juſtus *mediante gratia ſanctificante* poſſit obtinere auxilia ad orandum neceſſaria. De hoc mox deſperans, *Vlterius,* inquit, *ne quis ſapere velit plus, quam oportet, & quæ ſunt inſcrutabilia perſcrutari, meminiſſe oportet, quod perditio noſtra ex nobis ſit, ſalus autem noſtra ex Deo.*

§. 2. *Aſ-*

§. 2.

Aſſertiones generaliter negantium in ſtatu naturæ lapſæ gratiam ſufficientem ad implenda præcepta.

OCcurrerunt §. ſuperiori aſſertiones non paucæ negantium hominibus juſtis ſemper adeſſe gratiam ſufficientem ad implenda præcepta. Hoc loco eas exhibemus, quibus negant pręciſe omnem gratiam ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ.

Liquet ſanè etiam hominibus juſtis conantibus, & volentibus ſecundum præſentes, quas habent vires, aliqua præcepta eſſe impoſſibilia, ſi nulla detur gratia in ſtatu naturæ lapſæ merè ſufficiens: nam & gratiâ Divinâ eſt opus ád implenda quædam præcepta, & conſtat etiam à juſtis illa non ſemper impleri: conſtat igitur non habere ſemper eoſdem gratiam efficacem ad illa implenda. Atqui neque gratiam ſufficientem habent, quæ nulla datur, in hoc ſtatu, ut ponebatur.

Liquet ſimiliter in eâdem Hypotheſi, deeſſe quoque illis gratiam, quâ poſſibilia fiant illa præcepta: oporteret enim, illam gratiam eſſe efficacem, præter quam non datur alia; adeoque fieri reipſa poſſibilia præcepta; adeoque & impleri reipsâ; cum poſſibilia non fiant in hoc ſtatu niſi per efficacem gratiam. His animadverſis Aſſertiones videamus.

GERARDVS VAN WERM S. T. Doctor Lovanii die 11. Februarii 1651. aſſertionem hanc ſuſtinuit Theſi 2.

Subdividitur actualis gratia in efficacem, & ſufficientem. Hac fuit illius, qui non habebat in membris ſuis legem repugnantem legi mentis ſuæ: IN HOC STATV AVTEM NON SOLVM NON DATVR, ſed fruſtranea eſſet, quantumcumque intenſam Deus largiretur.

En alteram ejuſdem die 9. Martii 1652. Theſi 1.

Ex hâc illuminatione in omnibus hominibus agnoſcere gratiam ſufficientem eſt S. AVGVSTINI ſententiæ contraire ...... imò doctrina ejus conforme eſt, NVLLAM PLANE DARI IN LAPSO HOMINE GRATIAM PROXIME, ET COMPLETE SVFFICIENTEM, quæ non ſit efficax: nequaquam tamen rectè inferes, hâc deſtitutos in prævaricatione præceptorum à culpa immunes fore.

Accedat etiam altera Doctoris ejuſdem die 6 Decembris 1674. Theſi 3.

Neceſſe eſſe inſinuat, ut quo auxiliante vincimus, eo rurſus non adjuvante vincamur: GRATIA ENIM EFFICAX AD SINGVLOS ACTVS DARI DEBET: quam ſcimus tamen non omnibus dari; alias enim non diceret Propheta; FACTVS SVM CONTVRBATVS.

Pene præterieramus ejuſdem Doctoris *Gerardi van Werm* eas aſſertiones de

 gratiâ

gratiâ ſufficienti, quæ invidiam præcipuam ipſi conſciverunt, Illuſtriſſimo *Andreâ Mangello* Abbate S. Angeli, Sedis Apoſtolicæ Internuntio, graviter commoto, quod Conſtitutionem *Innocentii X.* adverſus quinque Propoſitiones, offenſam aſſertionibus illis cenſeret, proceſſumque informatorium juxta mandatum ſuæ Sanctitatis, adverſus eumdem Doctorem inſtituente: qui proceſſus Romam miſſus interveniente morte & Summi Pontificis, & Illuſtriſſimi *Mangelli* effectu caruit. Cauſæ turbationis tantæ erant aſſertiones propugnatæ Lovanii die 29. Auguſti 1654. inter quas hæc erat Theſi 2.

Licet autem OMNEM GRATIAM HVIC STATVI APPROPRIATAM EFFICACEM STATVAMVS, liberum tamen arbitrium propterea non deſtruimus.

Hæc itidem Theſi 3. ibidem.

Abutuntur proinde damnatione illius quintæ Propoſitionis in conſtitutione ultima INNOCENTII X. SEMIPELAGIANVM EST DICERE, CHRISTVM PRO OMNIBVS OMNINO HOMINIBVS ESSE MORTVVM, AVT SANGVINEM FVDISSE &c. qui illa ſtabiliri docent illam famoſam diviſionem gratiæ in efficacem, & merè ſufficientem etiam pro hoc ſtatu naturæ lapſæ: Nam MERE SVFFICIENTEM NVNC DARI NON EXISTIMAMVS: nec iſtud principiis S. AVGVSTINI conſentaneum eſt. Hanc copiam hoc loco nobis præbebat primi nominis hoc tempore Doctor Lovanienſis *Gerardus van Werm.*

CHRISTIANVS LVPVS S.T.D. Lovanii die 19. Auguſti 1651. ut credimus *Maximiliano le Dent* S. T. Profeſſori in *Reſponſione* ad illius Doctoris quamdam *Epiſtolam Familiarem*; nam Theſes ipſæ, quales in ſchola diſtribui ſolent, non ſunt ad manum, ſic paucis rem adſtrinxit.

Hinc NVLLA NOBIS, QVÆ TOTA IN ADAM PERIIT, atque naturæ noſtræ plagas reparare inhabilis eſt, GRATIA SVFFICIENS.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 28. Januarii 1649. ſic poſuit Theſi 2.

Conſequenter libertas non indiget gratiâ ſufficienti, quia indifferentiam illam; ET GRATIAM MERE SVFFICIENTEM, quæ in ſtatu naturæ integræ fuerunt, IN STATV NATVRÆ LAPSÆ dari, neque Scriptura ſacra, neque Concil. Trid. neque S. Aug. neque ratio docet.

Admirabilior eſt altera, quam Lovanii dedit idem Doctor *Ioannes Sinnich* die 16. Octobris 1649. Theſi 4.

GRATIA SVFFICIENS STATVI NOST[illegible] non tam utilis, quam pernicioſa: ſic ut proinde meritò poſſimus petere; A GRATIA SVFFICIENTE LIBERA NOS DOMINE. Hæc quidem indigna videntur approbatione, & patrocinio S. T. Doctoris. Continemus nos, ne quid dicamus gravius.

ANTONIVS CHASSE S.T. P. Duaci 20. Februarii 1671. ſic ſtatuit Theſi 26.

In naturâ lapſâ gratia quantumcumque ſufficiens NON DAT POSSE PENITVS COMPLETVM; ſed hoc fit à gratiâ efficaci.

Si non dat poſſe penitus completum: ergo quoties non datur efficax, ſeu

quoties

quoties violatur præceptum, ad quod ſervandum illa *non dat poſſe completum*, ſimpliciter impoſſibile eſt præceptum ad ſenſum Propoſitionis primæ Janſenianæ explicatum in principio hujus capitis.

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P.Mechliniæ anno 1675. Theol. Moral. *de Actibus human.* tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 554 ſic pronuntiat.

Nos itaque inſiſtentes principiis S. AVGVSTINI & S.THOMÆ, ſi gratia ſufficiens accipiatur juxta primum modum; ita nimirum ut præter illam ex parte Dei nulla ulterior requiratur,ut homo bene operetur, & agat, arbitramur NVLLAM TALEM DARI SVFFICIENTEM TANTVM, quæ non ſit efficax.

Ne cenſeamus aſſertionem eſſe Thomiſticam, ipſe cavet 1. in eâdem columnâ negando *ipſum poſſe* bene operari ſine gratiâ efficaci: *Si*, inquit, *cum tali ſufficienti gratiâ POSSET HOMO POST LAPSVM OPERARI, poſſet ſibi, & non Deo, actiones ſuas meritorias adſcribere.* Cavet 2. contra eamdem gratiam arguendo pag. 555. quod voluntas, illâ *ſtante gratiâ, adhuc manet in ſuo æquilibrio indifferens, quam proinde poteſt pro libertate ſuâ amplecti, vel non amplecti.* Hoc diſplicet huic profeſſori non agnoſcenti in hoc ſtatu illam voluntatis *indifferentiam*, illudque *poſſe pro libertate ſuâ amplecti, vel non amplecti.*

HROSNATA VAN SAFTINGHEN S.T.P. in Tungerloo die 2. Septembris 1676. ſic ſtatuit Theſi 21.

Invictè concludimus, adjutorium hominis ſtantis in eo diverſum eſſe ab adjutorio hominis lapſi, quod primum daret NVDVM POSSE, ac proinde eſſet tantum poſſibilitatis, ſecundum verò daret ipſum velle; ac proinde eſſet VINCENS, AC DETERMINANS.

Patet igitur hunc Profeſſorem nullum agnoſcere hominis lapſi adjutorium dans *nudum poſſe*, ſeu ſufficiens; ſed ſolum *vincens, ac determinans*, ſeu efficax.

Conſequenter ad hæc cenſent paſſim hi noſtri Theologi Janſenium ſecuti lib. 9. de gratia Chriſti cap. 10. quod in ſtatu integritatis non deberent Primus homo, aut Angelus Deo ſpecialiter adſcribere bonas ſuas voluntates, aut opera, & quod poſſent ea ſibi adſcribere, quodque ad ipſos non potuiſſet convenienter dici; *Quid habes, quod non accepiſti?* Item quod iidem non debuerint Deum orare pro bona voluntate, bono opere, perſeverantiâ.

Jam audivimus *Laurentium Neeſen* ſic argumentantem: *ſi cum tali ſufficienti gratiâ poſſet homo poſt lapſum operari, poſſet ſibi, & non Deo actiones ſuas meritorias adſcribere.* Quare cum fateatur in eâdem paginâ 554. *Talem gratiam ſufficientem tantum eſſe gratiam ſanæ voluntatis, & non ægrotæ*, liquidò cenſet, quod *Adamus*, & Angeli in ſtatu integritatis *potuerint ſibi, & non Deo actiones ſuas meritorias adſcribere.*

Similiter ibidem pagina 555. proximè ſequenti contra illam gratiam ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ arguit his verbis: *Ille qui haberet talem gratiam ſufficientem, non deberet Deum orare pro gratiâ ulteriori &c.* Quoniam ergo cenſet *Adamum*, & Angelos in ſtatu integritatis habuiſſe illam gratiam ſufficientem,

 cenſet

cenſet non debuiſſe illos orare pro bonâ voluntate, pro perſeverantia &c.

Clare ſe explicuit *HROZNATA VAN SAFTINGHEN* S.T. P. in Tungerloo die 2. Septembris 1676. Theſi 21. his verbis.

Dicimus igitur ex Auguſtino gratiam Primi hominis eſſe adjutorium, quòd deſereret homo, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet . . . & hinc deducimus, QVOD PERSEVERANTIA HOMINIS PRIMI, ſi ſtetiſſet, NON FVISSET SPECIALE QVODDAM GRATIÆ DONVM, SED MERITVM HVMANVM, & meritum liberi arbitrii.

Hæc illi cenſent conſequi ad ſuperiora illa, quæ de gratiâ ſufficiente pronuntiantes audivimus. Præſto ſunt illis ſimilia non pauca; ſed commodius dabuntur cap. 2.

§. 3.

Aſſertiones de impoſſibilitate præceptorum reſpectu Iudæorum, Peccatorum, & Infidelium.

GUſtum hoc loco præbebimus, delibando pauca quædam, cum ſint plurima. Hoc loco nimirum, cum vix terreat cenſura Primæ Propoſitionis Janſenianæ, cui eſt inſerta clauſula de *juſtis volentibus, & conantibus* &c. majori libertate prædicatur præceptorum impoſſibilitas: neque terret cenſura Propoſitionis Bajanæ 67. *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.*

Innumera ſunt illa, quibus aſſerunt indefinitè (ut ad ſolos impios reſtringas, ſi velis) peccare hominem gratiâ deſtitutum neceſſariâ ad ſervandum præceptum: unum, alterumve videamus.

LAMBERTVS VINCENT S.T.D. Lovanii die 21 Februarii 1676 hæc propugnavit Theſi 2.

Porro dedit illi (primo homini) *Deus Gratiam non tantum habitualem Sanctificantem; ſed & actualem adjuvantem . . . . . . iſtud autem actualis gratiæ adjutorium tale erat, quale eſt illud, quod paſſim vocant ſufficiens tantum, ſine quo quidem homo bonum velle non poterat; non tamen quo fieret, ut vellet. Quod ſi illud vel homini, vel Angelo, cum primum facti ſunt, defuiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Quamquam nunc NECESSARIO GRATIÆ AVXILIO DESTITVTI ETIAM CVM CVLPA CADAMVS.*

Doctor idem Lovanii die 2. Decemb. 1673. Theſi 1. *Caveas tamen hinc inferre, ergo inculpabiliter præcepta affirmativa tranſgreditur, qui ad illa implenda, gratiâ vere ſufficienti deſtituitur.*

MACARIVS HAVERMANS S. T. P. Antverpiæ die 9. Maji 1675. imitatus videtur ſuperiorem aſſertionem. Theſi 3.

Hinc tamen ne inferas, inculpabiliter eum tranſgredi præcepta affirmativa, cui gratia ſufficiens ad eadem implenda denegatur.

Contra

Contra Reprobos, & Judæos ſeveræ exſtant ſententiæ.

IOANNES SINNICH S. T. D. Lovanii die 22. Sept. 1660. de reprobis hæc ſtatuit Theſi 1. 2.

Quâ ſententia etiam oſtendit, Deum præfinire temporalem reproborum derelictionem, ut ipſi Sequantur vias ſuas ad oſtenſionem gloriæ ſuæ, & vindicatricis Iuſtitiæ prædicationem. Sed quia hinc videbatur ſequi importunum illud argumentum, quod ſtante hâc præfinitione NON POSSENT derelicti Bonum operari, tamquam NECESSARIO AVXILIO AD OPERANDVM DESTITVTI .... Ecce argumentum; audi ſolutionem V. 20. O HOMO TV QVIS ES, QVI RESPONDEAS DEO &c.

Minime obſcurum eſt, hoc dare hunc Doctorem, quod ex præfinitione reprobativâ ſit conſequens, reprobos neceſſario auxilio ad operandum bonum deſtitui.

Contra Judæos Doctor idem die 9. Octobris 1652. Sic poſuit Theſi 3.

Iudæi ſub lege conſtituti, ait AVGVSTINVS, quædam opera legis adimplebant, quæ in Sacramentis ſunt; illa verò, quæ ad bonos mores pertinent, IMPLERE OMNINO NON POTERANT: non enim implet ea, niſi caritas.

GERARDVS VAN WERM S. T. D. Lovanii die 4. Februarii 1651. hanc propoſuit Theſi 1.

Iuſta quidem, & ſancta fuit lex vetus; utpote à Deo Opt. Ma. Angeli miniſterio Iudæis tradita: NON EO TAMEN FINE, ut eam ipſi per gratiam ſufficientem implerent; ſi quidem contra, eò quod DEESSET SPIRITVS GRATIÆ, factum eſt, ut per ejus litteram occiderentur, intravitque lex, ut delictum abundaret.

Idem Doctor Lovanii die 16. Auguſti 1653. Severitatem renovavit Theſi 3.

Lex vetus per occaſionem augebat peccatum, DEERAT ENIM ANTIQVITVS GRATIA ad legem implendam.

Non eſt vana conjectura, hæc manaſſe, unde fere cætera, ex Auguſtino *Cornelii Ianſenii*, qui lib. 3. *de gratiâ Chriſti* capite 7. ponit hunc titulum; *non affuiſſe hominibus ſub lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus.* Et capite 8. titulum hunc: *Status veteris Teſtamenti figurativus, & propheticus non afferebat Iudæis gratiam ſufficientem, SED POTIVS IMPEDIENTEM &c.* Contra infideles major eſt vulgò libertas; non eſt operæ pretium immorari: juvat tamen proferre modum, quo duritiem mitigare queas.

LAVRENTIVS NEESEN S. T. P. Mechliniæ modum invenit anno 1675. *in Theol. Mor. de actib. hum.* tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 559. & explicuit his verbis.

Homini verò pagano, & infideli, qui de Deo nihil unquam audivit, obſervatio præcepti de Deo diligendo eſt poſſibilis potentiâ valde remotâ: qui tamen omnes SIMPLICITER DICENDI SVNT POSSE implere illud præceptum, etiam hic ultimus, IN QVANTVM HABET LIBERVM ARBITRIVM, ADHVC FLEXILE ad bonum, & malum; cui proinde Deus poteſt dare gratiam, quâ fiat proximè potens ad implendum præceptum, ut oportet &c.

Recoxit Auctor eamdem cogitationem ibidem quæſt. 2. dubio 9. pag. 593. 594. his verbis.

Petes; an ſit inconveniens dicere, quod infideles careant omni auxilio gratiæ tam operantis, quam cooperantis in ordine ad bene vivendum, vel ad vincendum tentationes. Reſp. negative ...... petes; quomodo ergo tales peccant, qui non habent gratiam bene operandi. Reſp. quia equidem ſunt liberi ...... hoc tamen hic notandum; quòd non omnes æqualiter poſſint ſervare Dei mandata; nam, ut ſuprà diximus, aliter homini juſto eſt obſervatio divini præcepti poſſibilis, nempe proximè; aliter fideli peccatori; aliter denique homini infideli; qui tamen dicitur poſſe, in quantum habet liberum arbitrium ad bonum, & malum: & eſt in illo ſtatu, in quo poteſt illi Euangelium prædicari, & alia adhiberi, quibus Deus ſolet aliquem vocare ad fidem, & Iuſtitiam.

Si quid ſolatii requiras in fidelibus, aliiſque gratiâ efficaci deſtitutis, accipe ab eodem Auctore ibidem dub. 11. pag. 600.

Petes, an ergo poſſit homo ſingula peccata vitare ſine Dei gratiâ. Reſp. affirmativè: quia poteſt ſemper unum peccatum vitare EX VEHEMENTIORI AFFECTV ALTERIVS PECCATI. *Et ſic V.C. luxuriam vincere ex affectu ſuperbiæ; ebrietatem ex affectu avaritiæ; ſicque clavum clavo pellere, ut ſuprà diximus.*

Cogitatio hæc primo aſpectu ſalvare videtur libertatem contradictionis, eſt verò cogitatio *Corn. Ianſenii* lib. 4. *de ſtatu naturæ lapſæ* toto cap. 19. & 20. quod libenter adnotamus, ubi res vulgò non videtur ſatis nota: de pleriſq; enim aliis capitibus doctrinæ, quam exponimus hâc primâ parte opuſculi, res fere eſt notiſſima, ex ſolâ collatione ipſorum cum quinque Propoſitionibus. *Ianſenius*, illo cap. 19. cum ſibi ſic objeciſſet: *ſi non eſt libertas abſtinendi à peccato, ſed peccandi neceſſitas in voluntate, jam peccatum non erit peccatum.* Reſpondet, indifferentiam ſcholaſticorum à ſe admitti: etenim *hæc eſt neceſſitas*, inquit, *quam* AVGVSTINVS *peccato advectam eſſe profitetur, quod liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum ſit, antequam fide Creatoris, Charitateque liberetur, ut quoquo verſum ſeſe verterit, in genere neceſſe ſit, illud male agere; ſic tamen ut in ſingulari nullum peccatum ita neceſſariò perpetret, quin ab eo poſſit abſtinere; ſed ab illo abſtinendo* IN ALIVD INCIDAT, *quod ſimiliter aliud faciendo cavere potuiſſet.* Hoc explicat diffusè illo cap. 19. & 20, ..

Diximus cogitationem hanc primo aſpectu videri ſalvare libertatem contradictionis: reipsâ enim non ſalvat; quia ut luxuria E.C. Vincatur ex affectu Superbiæ, debet prævia delectatio Superbiæ eſſe major, quam delectatio luxuriæ: & generaliter *quod magis delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*; quod ille intellectum de indeliberatâ delectatione habet pro principio ſummo. Sed neque magni refert, an iſtâ conditione tam triſti labendi in aliud peccatum ſalvetur libertas contradictionis.

Speciem illam libertatis contradictionis, ac poſſibilitatis præceptorum eſt & alibi invenire. Etenim

ÆGIDIVS

ÆGIDIVS GABRIELIS S. T. P. Bruxellis eodem anno 1675. in ſua *Morali Chriſtianâ, & diabolicâ.* Præambul. §. 10. pag. 19. 20. de homine lapſo ſic diſſerit.

Sequitur etiam, quod propter vulnera ignorantiæ, malitiæ, & concupiſcentiæ naturæ inflicta, NON POSSIT cognoſcere totum bonum ſibi connaturale, nec iſtud amare ſicut oportet .... quod nullum motum peccaminoſum vincere poßit, NISI PER ALIVM MOTVM SIMILITER PECCAMINOSVM: quia à quo quis ſuperatus eſt, ejus & ſervus eſt, ut Scriptura dicit: Superatus eſt autem homo à peccato, & peccatore diabolo, & ſic utriuſque ſervus eſt .... deſerendo juſtitiam in quâ conditus eſt per rectitudinem amoris, CONIECIT SE IN NECESSITATEM PECCANDI per amoris perverſitatem.

Habes ergo & in his triſte ſolatium: *Motum peccaminoſum vincere potes; ſed per alium motum ſimiliter peccaminoſum.*

CHRISTIANVS LVPVS S. T. D. concludere meretur hunc locum Aſſertione ſuâ generaliter infeſtiſſimâ *Paganis, Iudæis, Hæreticis.* Lovanii enim die 14. Auguſti 1651. ſic poſuit Theſi 1.

Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique id genus NVLLVM OMNINO ACCIPIVNT à CHRISTO IESV INFLVXVM; adeoque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, ac inermem SINE OMNI GRATIA SVFFICIENTE.

§. 4.

Aſſertiones inſinuantes ſubtilem quamdam explicationem poſſibilitatis præceptorum Ianſenianam.

Cornelius Ianſenius ad mitigandam duritiem ſuorum dogmatum de ignorantiâ invincibili, de neceſſitate peccandi, & impoſſibilitate præceptorum, non excuſante à peccato, ſubtilem prodidit cogitationem, quâ peccatis illis conatus eſt libertatis ſpeciem adjungere. Etenim neceſſitas illa omnis dependet ab Originali peccato, cujus eſt pœna: ab eodem igitur dependent peccata ex neceſſitate patrata: libera ſunt igitur eâ libertate, quâ in *Adamo* peccatum eſt. Hanc argumentationem inſtruit, ſtabilitque lib. 2. *de ſtatu naturæ lapſæ* toto cap. 4. 5. 6. item lib. 4. cap. 22. ubi col. 652. paucis rem aſtringit: *vera peccata nominantur ..... non quia ſunt voluntatis libera .... ſed quia fuerunt voluntatis libera in causâ ſuâ, quæ pœnam illam cæcitatis, & imbecillitatis acceſſit.* Hanc omnem rationem multo ante invenerat *Calvinus*, explicueratque lib. 2. Inſtit. cap. 5. n. 1. atque ut inventam à *Calvino* extollit *Chamierus* tom. 3. lib. 3. cap. 2. aliique paſſim Calviniſtæ.

Porro Aſſertiones inſinuantes illam libertatis rationem, ſeu explicationem poſſibilitatis præceptorum hæ nobis ad manum nunc ſunt.

IOANNES

IOANNES SINNICH S. T. D. Lovanii die 12. Martii 1660. hæc propoſuit Theſi 3.

Numquam . . . . . . peccamus, niſi concupiſcentiæ directè, vel interpretativè conſentiamus, à quâ ut liberetur meritò clamet homo cum Pſalte: DE NECESSITATIBVS MEIS EDVC ME, &, ſi negato auxilio quandoque effectualiter non educatur; juſtiſſima PECCATI ORIGINALIS, vel actualis poteſt eſſe pœna.

Alternativa hæc; *peccati originalis, vel actualis poteſt eſſe pœna*, oſtendit, auxilium neceſſarium ad ſervandam legem negari poſſe in pœnam meri peccati originalis: hoc ſatis eſſet, ut peccaret legem violans; qui non peccaret, niſi ſaltem originale præceſſiſſet: liquet igitur libertatis illam ſpeciem Ianſenianam mutuari à peccato originali.

Eſt verò notatu dignum, quod hujuſmodi Doctores eam vim peccato originali tribuere oporteat etiam condonato per Baptiſmum E. C. Etenim adultus habens Juſtitiam baptiſmalem, ſi peccet lethaliter, deſtituitur gratiâ efficaci, ſeu auxilio neceſſario & ſufficienti ad ſervandam legem; id verò non in pœnam peccati perſonalis, ergo in pœnam peccati originalis. Sed neque minus erit paradoxum in quolibet Juſto, cui ſunt condonata peccata perſonalia, ut conſideranti patebit. Sed pergamus.

CHRISTIANVS LVPVS S. T. D. Lovanii die 15. Januarii 1676. nomen dedit ſubſcriptum aſſertioni huic Theſi 2.

Supremum in creaturas Dei Dominium cave, ne ita depreſſeris, ut potentiæ adverſum conſtituas. Hoc agunt, qui negant, poſſe Deum homini ETIAM ORIGINALI LABE VITIATO quidquam præcipere, niſi gratiam ſufficientem, quâ ADIMPLERI POSSIT præceptum addiderit.

MACARIVS HAVERMANS S. T. P. Antverpiæ Anno 1674. in Tyrocinio Moralis Theol, tract. 2. cap. 6. §. 3. n. 71. pag. 468. Sic objicit ſibi, reſponderque.

Dicet quis; nullus homo, exceptâ ſanctiſſimâ Dei genitrice MARIA potuit, aut poteſt implere illud continuæ dilectionis præceptum . . . . . . Reſp. Primò: potuit homo in ſtatu innocentiæ conſtitutus, cui natura illud præceptum impoſuit, plenè, & perfectè implere illud præceptum . . . . . . Quod autem homo peſſimâ ſuâ voluntate ſe conjecerit IN QVAMDAM IMPOTENTIAM, quam & voluntariè continuat; ideo non tenetur natura ſuas immutare leges, vel tollere.

Quod ait, hominem, qui in ſtatu innocentiæ poterat implere illud præceptum, *peſſimâ ſuâ voluntate* ſe conjeciſſe in impotentiam, ſine dubio intelligi debet de voluntate *Adami*, in quâ peccavimus. Quod verò ait, hominem voluntariè continuare illam peſſimam voluntatem, ipſemet explicat mox pag. 469. *eſt impotentia*, inquit, *quæ in ipsâ voluntate poſita eſt, ortum ducens ex causâ liberè à voluntate poſita, & continuans ob voluntariam cauſæ continuationem; quæ nihil eſt aliud, quam libera voluntas fruendi aliquâ creatura.* Porro *frui creatura*, ut explicat ibidem

ibidem cap. 5. §. 1. pag. 421. eſt *ei propter ſe amore inhærere, & non propter Deum*, ſive ut pag. 423. *illam non referre in Deum.*

Huc ergo redit ratio Profeſſoris. Impotentia omnia referendi in Deum nos non excuſat à referendo omnia in Deum: quia impotentiam contraximus peſſimâ voluntate *Adami*, quam voluntarie continuamus, non referendo omnia in Deum.

ÆGIDIVS GABRIELIS S.T.P. Bruxellis Anno 1675. in ſua *Morali Chriſtianâ diabolicâ* Præambul. §. 7. pag. 12. ſic docet.

In hoc ſtatu amor & Dei, & ſui non poteſt non eſſe inordinatus ...... quia tamen hic ſtatus hominis fuit homini VOLVNTARIVS, & manet illi voluntarius, quamdiu non eſt per Chriſtum reparatus; ideo omnis amor voluntarius in hoc ſtatu, ſecluſo ſcilicet ſalvatore, eſt malus, & peccaminoſus.

Cenſet igitur hic Profeſſor, libertatem, quâ peccavit *Adam*, & nos in ipſo, ſatis momenti habere, ut culpabilis ſit tranſgreſſio præceptorum impoſſibilium, ſaltem quamdiu homo non eſt per *Chriſtum* reparatus, & juſtificatus.

Sed quid cum eſt reparatus? De ſtatu naturæ reparatæ ſic docet §.8. à pag. 13.

Per ſtatum naturæ per CHRISTVM reparatæ intelligo illam hominis conditionem, quam acquirit per fidem in CHRISTVM Mediatorem Dei, & hominum, & per baptiſmum CHRISTI ...... non tamen virtute iſtius renaſcentiæ, & renovationis ſolius depellitur ignorantia ab intellectu, malitia à voluntate, concupiſcentia ex membris; ſed relinquuntur iſtæ pœnæ .... Hic itaque ſtatus medius eſt inter ſtatum naturæ integræ, & inter ſtatum naturæ corruptæ ...... qui verò non aguntur Spiritu Dei, ſed Spiritu proprio, licet renovati fuerint per fidem, & baptiſmum CHRISTI NON PROPRIE PERTINENT AD HVNC STATVM, ſed ad ſecundum; qui eſt naturæ corruptæ.

Ex his colligere licet, ex mente hujus auctoris, etiam abolito peccato Originali per baptiſmum, ſi invaleſcente concupiſcentiâ baptizatus incipiat non agi Spiritu Dei; ſed proprio, neceſſitatem peccandi, & impoſſibilitatem præceptorum non excuſare à culpâ; uti non excuſant in ſtatu naturæ corruptæ ob dependentiam à libertate, quâ peccavit *Adam*; cum ille *propriè pertineat ad ſecundum ſtatum* naturæ corruptæ.

Hoc ergo artificium Janſenianum conciliandi actibus humanis aliquam ſpeciem libertatis à libertate, quâ peccavit Adam, etiam condonato peccato Originali, uſum habet Generalem in multis materiis, de impoſſibilitate præceptorum, de neceſſitate Arbitrii, de ignorantia invincibili, ut ſuis locis annotabitur.

CAPUT II.

Specimen Doctrinæ Theologicæ de reſiſtentia, quæ fit interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ.

OBSERVATIO PRÆAMBULA.

Ad Propoſitionem ſecundam ex Quinque Ianſenianis.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

PRopoſitionem hanc *Hæreticam declararunt*, *& uti talem damnarunt Innocentius* X. Conſtit. *Cum occaſione*, & *Alexander* VII. Conſtit. *Ad ſacram*; *& quidem in ſenſu à* CORNELIO IANSENIO *intento*, ut habet Conſtitutio *Alexandri* VII.

Porro CORNELIVS IANSENIVS Propoſitionem aſſeruit toto fere libro 3. *de gratiâ Chriſti* ubi docuit, in ſtatn naturæ lapſæ nullam dari gratiam, niſi efficacem. Capiti primo hunc titulum præfixit: *Tangitur natura adjutorii ſufficientis. & oſtenditur*, NVLLVM DARI *poſt lapſum, quin ſimul efficax ſit.* lib. 2. *de gratiâ Chriſti* cap. 24. col. 200. ſic ait: *gratiam Dei* AVGVSTINVS *ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat, hominem operanti Deo per gratiam* NON POSSE RESISTERE; adeoque numquam reſiſtere. Ibidem cap. 25. col. 202. *Hæc itaque eſt vera ratio, & radix, cur nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo careat.* Ibidem cap. 32. col. 235. *Si quis radicem ſcire velit, meminiſſe debet, nullam gratiam actualem ab* AVGVSTINO *pro illâ verâ Chriſti gratiâ agnoſci, quam tamquam medicus infirmæ voluntati attulit, niſi quæ agit, & peragit effectum.*

Quoniam vero damnata eſt Propoſitio in ſenſu *Ianſenii*, adnotandum eſt 1. quod reſiſti interiori gratiæ ex mente ipſius aliud non ſit, quam voluntatis pervicaciâ fieri, ut non ſequatur ille effectus, ad quem gratia à Deo datur: hoc enim contendit unum, omnem gratiam in hoc ſtatu eum inferre effectum, ad quem à Deo datur: hoc explicat lib. 2. *de gratia Chriſti* toto fere capite 27. ſic incipit: *Nec verò moveat quemquam, quod conſtet, multos divinitus mente colluſtrari* . . . . . . *qui tamen ab ejus internâ ſuaſione, & inclinatione* DISSENTIVNT, *ut propterea falſum putet, gratiam in eo, cui datur, ſemper operari effectum*, OB QVEM DATVR. Mox enumerat effectus varios *deſiderium perfectum, velleitates, complacentias.*

In

In verbis *Ianſenii* relatis notanda vox *diſſentiunt*. hâc ille aut ſimili utitur ſæpius, quam voce *reſiſtere*: unde & patet vocem *reſiſtitur* in propoſitione damnatâ ſignificare actum liberum *diſſentiendi*, quâ voce utitur Tridentinum ſeſſ. 6. can. 4. quæ mens *Ianſenii* infinitis pateſcit argumentis; ſed inprimis eo, quod ubique contendat gratiæ Dei non reſiſti in hoc ſtatu, aut poſſe reſiſti, uti poterat in ſtatu innocentiæ: videri poteſt lib. 2. *de gratiâ Chriſti* cap. 24. col. 200.

Sed inprimis mentem ſuam *Ianſenius* nitidè, paucisſque explicuit lib. 3. *de gratiâ Chriſti* cap. 4. col. 263. his verbis.

Hinc ulterius docet, Auguſtinus, *nullam Chriſti gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, VLLA VOLVNTATIS PERVICACIA FRVSTRARI.*

At verò adverſus delectationem gratiæ inſurgente majore delectatione concupiſcentiæ, deſinet quidem illa gratia eſſe efficax alicujus effectus; ſed neque erit ſufficiens ad effectum eumdem: erit tamen ſufficiens, ſimulque efficax reſpectu quarum jam velleitatum, & complacentiarum, ut ſæpe docet ille. Paucis rem explicuit lib. 8. *de gratiâ Chriſti* cap. 2. col. 819. *delectatio victrix, quæ AVGVSTINO eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis harebit animus, nec efficaciter umquam volet, quod volendum eſt.*

Hæc de mente, & ſenſu *Ianſenii*, in quo damnata eſt propoſitio, juvabit meminiſſe.

§. I.

Aſſertiones negantium ſimpliciter gratiam ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ, quæ ſimul efficax non ſit.

HOs ſanè conſtat aſſerere Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſti. non pauca huc pertinentia locum invenerunt in §. 2. capitis ſuperioris. Non erit illis hîc opus quando copia omnis generis nova eſt ad manum.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 21. Aprilis 1649. aſſertionem hanc publicè tuendam propoſuit Theſi 3.

Male hinc quidam gratiam .... adſtruere conantur, quam pro ſuo arbitrio (voluntas) *poſſit admittere, & repudiare: NVMQVAM ENIM EST SINE EFFECTV VERA CHRISTI GRATIA.*

Doctor idem die 20. Aprilis 1665. hæc probavit Theſi 3.

Ad omne malum ex vobis ſufficientes, ad juſtitiam verò SINE AVXILIO EFFICACI INSVFFICIENTES, illo tamen carentes, etſi non habeant unde Iuſtificentur; habebunt tamen; unde juſte condemnabuntur.

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D.Lovanii die 7.Aprilis 1644. aſſertionem hanc approbavit Theſi 3

Efficacia gratiæ *conſiſtit in virtute activâ ipſius gratiæ, vi ſuâ non tantum moraliter, ſed & phyſicè, & indeclinabiliter determinativâ ipſius voluntatis ad bonum: & hæc ſola eſt illa gratia, quæ ex merito crucis CHRISTI homini lapſo abſque ullo præjudicio libertatis erogatur.*

Conſentanea ſunt hæc Doctoris ejuſdem die 28. Martii 1645.Theſ.3.

Imò omnino Auguſtino conforme eſt, nullam planè dari in lapſo homine gratiam proxime, & complete ſufficientem, quæ non ſit efficax

ANDREAS LAVRENT S.T.D.Lovanii die 18.Martii 1671. Theſi 4.

Gratia *alia eſt actualis: in quo autem hæc ſita ſit, diſputatur; conformius AVGVSTINO, loquuntur, qui illius anchoram in eo figunt, quod per eam .... FIAT IN ANIMA DELECTATIO, DILECTIOQVE IVSTITIÆ, quâ, inquit ſerm.29. OMNIS TERRENA DELECTATIO SVPERETVR ..... nullum omnino à Deo datur auxilium, quin ſemper ſit aliquo uſque efficax, & efficiat ſemper in homine id, quod ei vult Deus.*

IOANNES RECHT S.T.D.Lovanii die 27.Januarii 1670.ſatis habuit hunc doctrinæ odorem præbuiſſe Theſi 3.

Qui peccaverit poſt acceptam gratiam novi teſtamenti majori pœnâ dignus eſt, tamquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens. Ex his verbis D.THOMÆ auxilio ſibi dato non utens, non ſequitur D.THOMAM agnoſcere auxilium ſimpliciter, & abſolute ſufficiens, quod non ſit efficax.

Auxilium, quod non eſt abſolutè, & plenè ſufficiens, ſimpliciter relinquit impoſſibilem actum bonum, reſpectu cujus non eſt abſolute ſufficiens, neque gratiam ſemiplenè, & incompletè ſufficientem negavit *Ianſenius*, ut intelliget lector ex obſervatione præambulâ ad caput 1.

LAMBERTVS VINCENT S.T.D.Lovanii die 12,Martii 1676. non ſine ſtomacho abegit gratiam ſufficientem Theſi 2.

APAGE IGITVR quod quidam velut fidei dogma proclamant; ſed Auguſtino contrarium, GRATIÆ SVFFICIENTIS PROPRIE DICTÆ INVENTVM.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 28. Januarii 1649. Aſſertionem hanc habuit Theſi 2.

Libertas non indiget gratiâ ſufficienti: quia indifferentiam illam, & gratiam mere ſufficientem, quæ in ſtatu naturæ integræ fuerunt, in ſtatu naturæ lapſæ dari, neque Scriptura Sacra, neque Conc.Trid. neque S.Aug. neque ratio docet.

Doctor idem Lovanii die 9.Octob.1652. Theſi 3,

QVICVMQVE SPIRITV DEI AGVNTVR: II. FILII SVNT DEI. Ac per hoc ait idem AVGVSTINVS, quicumque aguntur ſpiritu Dei, ipſi facta carnis mortificant ſpiritu. Qui hoc dicit, GRATIAM PVRE SVFFICIENTEM NEVTIQVAM AGNOSCIT.

LAV-

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. Mechliniæ quæ in ſuâ Theol. Mor. fuſius deduxit,ut ſuprà vidimus, nitidè expreſſit in iis Theſibus , quas in Seminario Archiepiſcopali propugnavit die 4. Aprilis 1675. Sic enim poſuit Theſi 2.

Non rectè effectus gratiæ excitantis dicuntur eſſe ſola illuſtrationes,inſpirationes.ſuaſiones externæ, aut internæ , conſenſum voluntatis prævenientes : imò OMNIA ILLA, quamdiu voluntatis bonum motum non efficiunt, AD GRATIAM CHRISTI NECDUM PERTINENT. Famoſa denique eſt gratiæ in ſufficientem tantum, & efficacem diviſio: QUÆ TAMEN REIICIENDA EST ; ſi per ſufficientem gratiam intelligatur illa, quæ PROXIME, ET COMPLETE AD ACTUM SUFFICIT.

Hic verò non ſolum eſt videre excluſam gratiam completè ſufficientem, quam ſolam excluſit *Corn. Ianſenius*,ut conſtat ex obſervat. præamb. ad cap. 1. Sed & illud accuratè expreſſum , nullam gratiam prævenientem conſenſus noſtri pertinere ad gratiam Chriſti.

IOANNES DE WITTE S.T.P. Antverpiæ die 13. & 14. Julii 1671. hæc dedit Theſi 8.

Non ergo jam datur illud adjutorium, quod datum eſt primo homini , quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet.

ANTONIUS CHASSE S. T. P. Duaci 20. Febr. 1671. ſic pronuntiavit Theſi 26.

In naturâ lapsâ gratia quantumcumque ſufficiens NON DAT POSSE PENITUS COMPLETUM ; ſed hoc fit à gratiâ efficaci.

Didicit hæc ille à quodam *Germano Philalethe*, cujus Doctrinam redolent ejus Theſes univerſæ.

GERMANUS igitur *PHILALETHES EUPISTINUS*, aliàs, *CAROLUS AB ASSUMPTIONE* S.T.P. Duaci anno 1670. in libro *de ſcientiâ media ad exam. revoc.* num. 123. pag. 184. his verbis nos docet.

Concluditur,auxilium autem hominis infirmi reſpectu unius , & ejuſdem actus eſſe eminenter ſufficiens ſimul,& efficax. Ita ut ſine tali auxilio NUMQUAM HABEATUR COMPLETUM POSSE AB ACTU SEPARATUM.

Profeſſor idem *PHILALETHES* in eodem libro num. 168. pag. 247. & ſeq. doctrinam eamdem explicat diligenter,omnem ejus œconomiam Janſenianam exhibens intuendam. Sic diſſerit.

Non tamen ſemper prædeterminat Deus ad amorem juſtitiæ fortiorem , nec proinde gratia prædeterminans ſemper eſt victrix : ſed ſæpe in initio prædeterminat inſpiratione gratiæ ſuæ prævenientis amorem juſtitiæ minus fortem, quam ſit amor delectabilis,& licet tunc gratia ſit efficax, & prædeterminans reſpectu iſtius imperfecti amoris , eſt tamen inefficax reſpectu impletionis mandatorum , eò quòd ex fortiore amore delectabilis vincente illum imperfectum amorem juſtitiæ, REDDITUR HOMO IMPOTENS AD IMPLENDA PRÆCEPTA .... ex quo intelligi poteſt , gratiam eſſe relativè efficacem,& inefficacem; victricem, & victam, ſi ad diverſos actus fiat reſpectus V.G. aliquis

poſt communionem accipit propoſitum, & voluntatem non fornicandi: hac voluntas eſſet fortis, & ſufficiens ad non fornicandum, ſi homo permaneret in eâdem diſpoſitione. Verum viſâ alicujus mulieris pulchritudine immutatur, & inſurgit ex actuali motu concupiſcentia fortior amor delectabilis, quam ſit voluntas non fornicandi. Ideo ſi hac voluntas fortiori auxilio prædeterminante non roboretur, id eſt, ſi Deus non augeat hanc voluntatem, ſuccumbet, quæ non ſuccubuiſſet, ſi motus concupiſcentiæ fuiſſet minor Gratia igitur dans efficaciter voluntatem non fornicandi eſt ſemper efficax reſpectu illius voluntatis, at reſpectu impletionis præcepti de non fornicando nunc eſt efficax & victrix; nunc inefficax, & victa, ſecundum quod minor, vel major eſt delectatio concupiſcentiæ.

Cornelium ipſum *Ianſenium* audire te credas, cujus non ſolum ſententiis, ſed etiam verbis ſolet uti largiter iſte Auctor. Quod cum illi eſſet exprobratum, ſic diluit in *Funiculo triplici* num. 213. pag. 129. *Vel verum eſt, quod ſumpſi ex IANSENIO, vel falſum & damnatum. Si quod accepi ex IANSENIO verum eſt, accepi à ſpiritu Sancto .... ſi falſum eſt. & damnatum, teſtimonium perhibe de malo..... veritates illa plurima, quas probat me ſumpſiſſe ex IANSENIO, non ſunt IANSENII, ſed ſpiritus ſancti. Nec invito Domino illas accepi: has enim ſine fictione didicit, & ſine invidiâ communicavit.*

His, ut opinor, haud ægre ſubſcribet *Martinus Steyart* S. T. Doctor qui Lovanii 6. Maji 1675. in theſibus pro laureâ doctorali Theſi 2. hunc *GERMANUM PHILALETHEM EUPISTINUM* non dubitavit laudare, ut *de SS. Auguſtino, & Thomâ bene meritum ſcriptorem*: addere debuiſſet, *& de Cornelio Ianſenio Ipreuſi.*

§. 2.

Aſſertiones non ſine acrimoniâ aſſerentium nullam eſſe gratiam in hoc ſtatu ſufficientem, quæ non ſit efficax.

GERARDUS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 18. Martii 1651. aſſertionem ſic expreſſam dedit Theſi 1.

Imò & illos IGNORARE DEI IUSTITIAM, AC SUAM VELLE STATUERE, & de ſtatus lapſi medicinali gratiâ CHRISTI male ſentire arbitramur, qui reſpuentes eam, quæ proprie operatur velle, gratiam ſufficientem in hoc ſtatu agnoſcunt.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 26. Februarii 1650. Theſi 4.

IMAGINARIA EST, & inutilis in hoc ſtatu gratia ſufficiens.

Liberius idem Doctor Lovanii die 19. Auguſti 1652. Theſi 1.

ET VOCAVIT PER GRATIAM SUAM: per prædominantem iſtam gratiam, quæ à nullo duro corde reſpuitur, non verò per talem, quæ libero hominis arbitrio ſubjecta

jecta eſt, & ab ejus determinatione in agendo dependet: hujuſmodi enim ſoli naturæ integræ concedimus, NATVRÆ LAPSÆ EAM PRORSVS DENEGANTES, cum eidem non modò inutilis, SED ET PERNICIOSA FORET, quantumvis illam, quæ primis parentibus data fuit, longe poneretur excedere.

Hic locum ſibi vindicaret iſtud ejuſdem Doctoris; *à gratiâ ſufficienti libera nos Domine*: ſed prælibatum eſt ſupra cap. 1. §. 2.

HROSNATA VAN SAFTINGHEN S.T.P. in Tungerloo die 2. & 3. Septembris 1676. ſic expreſſit Theſi 22.

Ex his duobus ſancti AVGVSTINI teſtimoniis patenter ſatis deducitur, illam gratiam non eſſe gratiam CHRISTI, quæ non dat actum, ac proinde patroni gratiæ merè ſufficientis in ſententiâ S. AVGVSTINI non ſunt defenſores illius gratiæ, Pro quâ,ut in homines effunderetur, ſanguinem ſuum pro hominibus CHRISTVS fudit.

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1675. in ſuâ Theol. Mor. *de Act. human* Tract. 18. Q. 1. dub 8. Pag. 553. aſſertionem gratiæ ſufficientis cenſuit non eſſe tolerabilem ſic loquens.

Igitur quod hic in quæſtionem venit, eſt, an de facto detur aliqua gratia proximè ſufficiens, quæ ſimul non ſit efficax. Multi recentiores reſpondent affirmativè, idque mordicus aſſerunt: cum enim non poſſint intelligere, aliquem poſſe eſſe reum peccati, NISI ILLVD POSSIT EVITARE, coguntur gratiam illam tribuere omnibus hominibus, quibus aliquod præceptum imponitur: QVOD QVIDEM TOLLERABILITER FACERENT, ſi talem gratiam ſtatuerent, cum quâ ſicuti voluntas poteſt operari, ita pro flexibili ſuâ libertate umquam vel ſemel illi cooperaretur.

Severius idem Profeſſor inſurrexit ibidem pag. 555. damnatoriam ferens ſententiam his verbis.

DAMNOSA EST TALIS GRATIA; QVID ENIM DAMNABILIVS, quam abundare tali gratiâ, quâ nemo utitur, niſi ad majorem ſuam damnationem; qui mitius profectò puniretur, ſi tale auxilium numquam habuiſſet.

Hos ſpiritus his Theologis fecit *Corn. Ianſenius lib. 3. de gratia Chriſti* fere toto. Capiti 2. hunc præpoſuit titulum: *adjutorium purè ſufficiens .. lapſorum reparationi inutile, & perniciosum.* Cap. 3. hunc: *quam monſtroſa ſit gratia ſufficiens, &c.*

§. 3.

Aſſertiones continentes fucum quemdam Gratiæ ſufficientis.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 4. Octobris 1660. dilapſus eſt ad hunc fucum Theſi 3.

Si quæris, an ergo in ſtatu naturæ lapſæ præter gratiam efficacem .... non agnoſcamus gratiam in ſuo genere ſufficientem ......, talem cum ſcholâ D. Thomæ non reſpuimus;

mus; Dummodo vel dicas eſſe ipſam gratiam habitualem : vel actualem (videlicet ipſam gratiam excitantem) quæ ſimul efficax ſit reſpectu propinquioris ſui actus, ad quem ex intentione Dei datur.

Fucum hunc nemo non videt; quando gratia non poteſt ſimpliciter eſſe ſufficiens reſpectu ejus actus, ad quem ex intentione Dei non datur. Conſtat etiam ex obſervat: præamb. ad caput præſens, *Cornelium Ianſenium* non aliter negaſſe gratiam ſufficientem, quam quod omnis eſſet efficax reſpectu ejus effectus, ad quem ex intentione Dei datur.

IACOBVS PONTANVS S.T.D. Lovanii die 12. Auguſti 1665. gratiam ſufficientem ſimul inſtruxit, ſimul deſtruxit, & jugulavit Theſi 3.

Contra gratiam efficacem diſtingui ſolet ſufficiens, cujus nomine intelligere poſſumus omne auxilium divinum, ſive exterius, ſive interius, ſive actuale, ſive habituale reſpectu cujuſlibet effectus, cujus nos conſtituit tantum potentes. Verum huic gratiæ quoad effectum illum ad quem de ſe eſt tantum ſufficiens, numquam cooperamur (tantum abeſt, quod dicamus interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſti) ratio eſt ; quia gratia hæc in ordine ad illum effectum non involvit iſtum EXCESSVM COMPLACENTIÆ SVPRA OMNEM COMPLACENTIAM CONTRARIAM; *in quo diximus conſiſtere efficaciam gratiæ efficacis. Hic autem exceſſus, ſicut ad conſenſum eſt infallibilis conditio, cum quâ fic, ita eſt etiam* NECESSARIA CONDITIO, *ſine quâ non vult voluntas noſtra : &, ſi eum à gratiâ non habeat, è ſe numquam adjicit : &, ſi eum à gratia jam habeat, ne vel ad unum inſtans de ſe continuat. Et hinc patet ratio neceſſitatis gratiæ efficacis ad ſingulos actus.*

Fucus gratiæ ſufficientis objicitur primâ parte hujus aſſertionis; quando denique huc res redit, ut ea gratia vocetur ſufficiens, cujus delectatio vincitur, & frangitur à majori delectatione concupiſcentiæ. Non eſt illa gratia ſufficiens, ſed enervis: neque huic gratiæ reſiſtit libera, & pervicax voluntas, ſed concupiſcentia. Hujuſmodi gratiam ſufficientem *Ianſenius* plane admiſit. Vide dicta in obſervat. præamb. ad cap. 2.

Parum ſeriò ab hoc Doctore ſtatutam eſſe gratiam ſufficientem patet etiam ex eo, quod auxilia quoque externa hac appellatione honorare non dubitaverit.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii paucis ab hinc annis fucum eumdem adamavit in ſuo tractatu *de gratiâ Medicinali*, quem diſcipulis in ſchola dictavit, cap. 10. ſic docens:

Hâc tamen ratione illi gratiæ reſiſti poteſt, quia gratiam illam recipiens, eam abjicere poteſt ..... : ſine dubio enim ei reſiſtitur, dum abjicitur. Venit illa abjectio ab hominis mutabilitate : dum alia objecta per ſenſus exteriores, & interiores in cogitationem veniunt, & voluntatem ad amorem ſui eo uſque provocant, ut homo Dei amorem abjiciat .... cum in illis Deus operatur velle, illud quidem abjicere poſſunt .... ſed equidem finaliter non abjicient, propter eam, quæ ſuper eis vigilat, exterior Dei gubernatio infalli-

infallibiliter avertens tentationes, quibus finaliter vincenda eſſent.

Hic nota cauſam illius *abjectionis* de quâ Tridentinum ſeſſ.6. cap.5. quâ homo inſpirationem,ſeu gratiam recipiens, illam & abjicere poteſt. *Venit*,inqnit, *illa abjectio ab hominis mutabilitate.* Cur non dicit, illam venire ab hominis liberâ, & pravâ voluntate? non hinc venit judicio hujus Doctoris. Venit enim *à mutabilitate, dum alia objecta per ſenſus exteriores, & interiores in cogitationem veniunt,& voluntatem ad amorem ſui provocant* &c. paucis, & ſine fuco dixiſſet, venire abjectionem gratiæ à delectatione concupiſcentiæ majore, quam eſt delectatio gratiæ, quo fiat, ut jam in deſideriis inefficacibus, & velleitatibus hæreat animus.

Ad hæc ſcilicet viam ſibi ſtraverat in eodem capite his verbis: *eſt deinde aliud velle deliberatum quidem, ſed imperfectum: quia non eo uſque proficitur, ut homo ſimpliciter, & abſolute velit .... unde per hanc gratiam ſolum deſideria, velleitateſque habentur; non autem cordis converſio; ſed cum eâ gratiâ ipſius cordis durities, rebellioque ſimul poteſt conſiſtere,& paſſim conſiſtit: ut propterea HÆC VNA SIT RATIO, ob quam reprobanda ſit propoſitio, quam reprobavit nuper INNOCENTIVS X. INTERIORI GRATIÆ IN STATV NATVRÆ LAPSÆ NVMQVAM RESISTITVR.*

Quandonam verò cenſebimus iſtud contingere, ut *per gratiam ſolum deſideria, velleitateſque habeantur?* ſine dubio, *dum alia objecta per ſenſus exteriores, & interiores in cogitationem veniunt, & voluntatem ad amorem ſui provocant*, ut verbis prius à nobis relatis loquitur. Res ergo redit ad Janſenianum illud lib.8. *de gratia Chriſti* cap.2.col.819. *Delectatio victrix relativa eſt: tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis harebit animus.* His jam ſubnecte,quod retulimus ex Tractatu Doctoris; *hac una eſt ratio, ob quam reprobanda ſit propoſitio, quam reprobavit nuper INNOCENTIVS X. INTERIORI GRATIÆ* &c. & ſtatue an eam admittat reſiſtentiam,quam negavit *Corn. Janſenius*, in cujus ſenſu damnata eſt propoſitio: item an ſeriò dixerit, quod *gratiam illam recipiens, eam abjicere poſſit.* Gratiam *abjicere*, quo verbo utitur Tridentinum in decreto, uti & gratiæ *diſſentire*, quo verbo utitur in canone, non eſt frangi vires delectationis cæleſtis inſurgente majore delectatione concupiſcentiæ, ſed eſt liberâ voluntatis pervicaciâ fruſtrari gratiam eo effectu, ad quem vires hic, & nunc tribuit. Sed de his fucis jam ſatis.

§. 4.

Expoſitiones ſacræ ſcripturæ pro gratiâ ſufficienti allegari ſolitæ.

IOANNES SINNICH S.T.Doctor Lovanii 12. Decembris 1648. hæc propoſuit Theſi 2.

VOS SEMPER SPIRITVI SANCTO RESISTITIS quod hic dicitur Iudæos ſemper Spiritui ſancto reſiſtere, rectiſſimè accipitur de RESISTENTIA IPSIS AVXILIIS EXTERNIS FACTA.

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1675. in Theol. Mor. *de actib. Human.* Tract. 18. Q. 1. dub. 8. pag. 556. 557. objecto ſibi loco *Iſaiæ* cap. 5. *quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci,* &c. ſic reſpondet.

Prænotandum 1. nos non debere imaginari in Deo voluntatem, ſtudium, & conatum; quibus, quantum in ipſo eſt, conetur, & agat, ut aliquid aſſequatur; quod tamen non obtinet; quaſi bona ejus voluntati reſiſtat mala hominis voluntas, quâ nolente ipſe fruſtratur re optatâ: hæc enim opinio, & imaginatio detrahit divinæ potentiæ, & felicitati; nam ſi non poſſit Deus id, quod vult, facere, impotens eſt, &, ſi non obtinet id, quod vult, miſer eſt .... itaque in prædictâ ſcripturâ ſignificatur voluntas Dei conqueſtiva; VOLVNTAS, INQVAM SIGNI .... ſimili modo, quo anterior ſcriptura, poteſt explicari hæc, quæ habetur Matth. 23. QVOTIES VOLVI CONGREGARE FILIOS TVOS, QVEMADMODVM GALLINA CONGREGAT PVLLOS SVOS SVB ALIS, ET NOLVISTI? Hoc addito, quod in Deo non ſit formaliter, & antecedenter quædam velleitas, ſeu actus voluntatis inefficax; utpote importans quamdam imperfectionem; quippe, quæ in Deo ſit futura otioſa: quia nullum habet in rebus ſibi correſpondentem effectum: ſed ſolummodo eminenter; quatenus videlicet Deus in hominibus cauſat tales velleitates: neue propterea ſimulatoriè loquitur ſcriptura, ſed impropriè, & per tropum .... dices: Actorum 7. dicitur: VOS SEMPER SPIRITVI S. RESISTITIS; ergo illi excitabantur à ſpiritu S. .... Reſp. hunc locum non intelligi de motione internâ ſpiritus S. SED DE MOTIONE EXTERNA, nunc & olim datâ populo Iſraëlitico per angelos, prophetas, & noviſſimè per filium Dei ipſis loquentem.

His interpretibus prævivit *Cornelius Ianſenius* Iprenſis in ſuo *Auguſtino* lib. 3. *de gratia Chriſti* cap. 28. ubi pleraque hujuſmodi ſcripturæ S. teſtimonia tractat ſedulò.

§. 5.

Aſſertiones ænigmaticæ, de reſiſtentiâ, quæ fiat interiori gratiæ.

OCcurrunt non paucæ: quaſdam libabimus. Solutio appoſita eſt quibuſdam: ad reliquas licebit conjectare.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 7. Maji 1672. aſſertionem propoſuit ænigmaticam cum ſua ſolutione Theſi 2.

Omnis enim gratia quodammodo efficax eſt. HABET ENIM NECESSITATEM ad id, ad quod ordinatur à Deo; NON QVIDEM COACTIONIS, SED INFALLIBILITATIS .... negandum tamen non eſt, quin ſæpe interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtatur: dum nempe anima non bene diſpoſita pleniorem idcirco gratiæ effectum non recipit, vel ad ulteriorem non proficit.

Ænigmati

Ænigmati ſimile eſt hoc : *omnis gratia eſt efficax* : *tamen gratia reſiſtitur*, Solutio vero hæc ; *Gratia reſiſtitur , dum anima non bene diſpoſita pleniorem idcirco gratiæ effectum non recipit*, ſolutio eſt obſcura. Quis eſt ille *plenior gratiæ effectus*, quem non recipit anima? ille ſine dubio, ad quem gratia non ordinatur à Deo; nam omnis illius effectus, ad quem ordinatur, gratia eſt efficax. Sed eſtne gratia ſufficiens hic, & nunc ad illum effectum ad quem non ordinatur à Deo ? ſine dubio non eſt : nihil enim poteſt gratia ſine ordinatione divina. Quid jam eſt *animam non eſſe bene diſpoſitam* ? Non dubitamus, quin iſtud ſit, *in anima majorem eſſe delectationem concupiſcentiæ, quam gratiæ*: quid enim aliud cogitemus? ſed eo caſu gratiæne reſiſtit libera voluntas ? nequaquam ; ſed gratiæ reſiſtit delectatio non libera concupiſcentiæ : unde dicit hic Doctor ; *anima non bene diſpoſita pleniorem idcirco gratiæ effectum non recipit*, hærens , ut opinamur, in complacentiis, & velleitatibus. Atqui *Corn. Janſenius* in cujus ſenſu damnata eſt propoſitio 2. non negavit gratiæ fieri hujuſmodi reſiſtentiam, quod eſt evidens ex obſervatione præambula ad præſens caput 2.

Difficile eſt præterire ſilentio fucum illum , quo neceſſitatem à ſe aſſertam appellat hic Doctor *neceſſitatem infallibilitatis*. Phraſim eamdem amarunt Calviniſtæ in ſua Synodo Dordrechtana ſic loquentes pag. 706. 707. *voluntas hominis per eſſentiam ſuam ſemper manet libera, etiam quando ad unum determinatur . . . nam libertas non pugnat cum omni neceſſitate, & determinatione : pugnat equidem cum determinatione violentiæ, ſeu cum neceſſitate coactionis ; ſed optime convenit cum* NECESSITATE INFALLIBILITATIS. Hæc Dordrechtani.

GERARDUS VAN WERM S. T. Doctor Lovanii die 12. Februarii 1655. Theſi 4.

Ex quibus per manifeſtam conſequentiam inferas , etiam in ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ reſiſti, & quidem non tantum gratiæ interiori inefficaci, SED ETIAM EFFICACI.

Hoc vero eſt mirè ænigmaticum ; *reſiſti interiori gratiæ non ſolum inefficaci , ſed etiam efficaci.* Solutio non eſt adjuncta : quærenda erit : ſed prius alia videamus hujus generis.

Doctor idem die 18. Auguſti 1656. ſic poſuit Theſi 2.

Et hæc eſt illa gratia, cui quamquam in ſtatu naturæ lapſæ etiam ſæpiſſimè reſiſtatur, à nullo tamen duro corde reſpuitur.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 18. Januarii 1662. Theſi 2.

Prævenit actuali ſuâ gratiâ , quæ A NULLO DURO CORDE RESPUITUR, licet eidem poſſit reſiſti, ET SÆPISSIME RESISTATUR.

THOMAS VANDEN BERGHE S.T.P. Gandavi die 29. & 30. Auguſti 1674. Theſi 10.

Gratia illa, quæ humanis cordibus tribuitur à nullo duro corde reſpuitur : unde NUMQUAM SUO EFFECTU FRUSTRATUR, LICET FREQUENTER EI RESISTATUR.

Solutionem huic generi Ænigmatum ſuggeſſit nobis acuto vir ingenio, dicens, ſenſum videri hunc eſſe, quod omnis gratia habeat ſuum effectum; nec aliter ei reſiſtatur, quam quod aliquando contra delectationem gratiæ majorem exſurgat aliqua delectatio concupiſcentiæ minor, quæ quidem neceſſario debet cedere gratiæ majori, facit tamen aliquam reſiſtentiam.

Accipimus ut conjecturam. Sed hæret ſcrupulus, quod hujuſmodi reſiſtentiam gratiæ factam non negaverit *Ianſenius*: ſed aliam prorſus; quod eſt manifeſtum ex obſervatione præambulâ ad caput 2, in quo verſamur.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 1. Auguſti 1671. hæc dedit Theſi 2.

Quamvis autem gratia reſiſti poſſit, omnis tamen ſuum obtinet effectum, quem Deus vult. Vnde hac conſequentia non valet; gratia poteſt reſiſti, ergo datur merè ſufficiens.

Hæc aſſertio non eſt ænigmatica, ſi rigorem verborum teneas. Quia tamen tangere videtur controverſiam de actuali reſiſtentiâ, crediderimus plus voluiſſe hunc Doctorem, quam expreſſiſſe. Quis enim alioqui dicit, valere hanc conſequentiam: gratiæ poteſt reſiſti: ergo datur merè ſufficiens? ut, ut eſt; non dubitat Doctor, quin *omnis gratia ſuum obtineat effectum, quem Deus vult*, ſive ad quem à Deo datur. Hoc unum *Ianſenius* affirmavit, ut vidimus in obſervat. præamb. ad caput præſens.

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1675 in ſuâ Theol. Moral. *de Actibus human.* tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 560. quæſtionem poſuit ænigmaticam, junxitque ſolutionem amplam his verbis.

Petes; quomodo omnis gratia interior ſit efficax, cum inde ſequatur propoſitionem ab INNOCENTIO X. damnatam, nempe hanc; GRATIÆ INTERIORI NVMQVAM RESISTITVR, eſſe malè damnatam, Reſp. negando ſequelam; eſto enim omnis gratia ſit efficax quoad proximum ſuum effectum, id eſt propter quem datur .... eidem ſapius reſiſtitur, quoad effectus remotos, ad quos ulterius tendit; idque juxta comparationem concupiſcentiæ cum ipſâ gratiâ, itâ ut altera viciſſim reſiſtat alteri, prædominetur, & obediat; ſiquidem gratia efficax, ſeu DELECTATIO VICTRIX, TALIS EST RELATIVE: tunc enim eſt victrix, quando ſuperat concupiſcentiam; quando verò concupiſcentia eſt intenſior, tunc gratia efficax hærebit in ſolis deſideriis inefficacibus.

Quæſtionem aliquanto decentius ſic formaſſet; *petes, quomodo omnis gratia interior ſit efficax, cum ab INNOCENTIO X. damnata ſit hæc &c.* durum verò pio lectori, & diſcipulis, ad quos ſcribit, eſt hoc; *cum inde ſequatur propoſitionem ab Innocentio X. eſſe male damnatam.* Quaſi verò, ſi damnatio *Innocentii X.* non poſſet conciliari cum aſſertione hujus Profeſſoris, oporteret malè damnatam eſſe propoſitionem.

Rectè etiam hac occaſione addidiſſet, hanc propoſitionem, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*, damnatam eſſe ab *Alexandro VII*, & quidem

quidem *in ſenſu à Cornelio Ianſenio intento:* ſed de hâc damnatione hi Doctores, ac Profeſſores altiſſimè tacent ubique in ſuis theſibus, & tractatibus, uti & de ſenſu *Ianſenii.*

Supereſt igitur adnotandum, quod hic Profeſſor putet ſe rectè ſapere dicendo, aliquando reſiſti interiori gratiæ, non quidem per diſſenſum liberæ voluntatis; ſed per delectationem concupiſcentiæ.

Eidem gratiæ, inquit, *ſæpius reſiſtitur quoad effectus remotos, ad quos ulterius tendit* (quomodo ad hos tendit, cum detur à Deo ob ſolos effectus proximos, ut ait verbis modo relatis?) *idque juxta comparationem concupiſcentiæ cum ipsâ gratiâ, ita ut altera viciſſim reſiſtat alteri:* hoc eſt, ita, ut concupiſcentia reſiſtat gratiæ, atque ita impediat ulteriores gratiæ effectus; amorem Dei ſuper omnia E. C. voluntatem faciens hærere in ſolis complacentiis, & velleitatibus. Hæc eſt reſiſtentia, quam admittit hic Profeſſor, & non alia.

Atqui hanc reſiſtentiam non negavit *Ianſenius*, ut manifeſtum eſt ex obſervatione Præamb. ad caput præſens. Imò quod dicit hic Profeſſor; *Gratia efficax, ſeu delectatio victrix talis eſt relative: tunc enim eſt victrix, quando ſuperat concupiſcentiam: quandò verò concupiſcentia eſt intenſior, tunc gratia efficax hærebit in ſolis deſideriis inefficacibus;* id omne *Ianſenius* dixit verbis ferè totidem lib. 8. *de gratiâ Chriſti* cap. 2. col. 819. his verbis: *delectatio Victrix . . . . . . relativa eſt: tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus.*

Hęc nos conſiderantes cogimur credere, *Laurentium Neeſen*, cæteroſque paria ſentientes, flocci facere *Alexandri VII.* conſtitutionem *ad ſacram* condemnantis quinque propoſitiones *in ſenſu à Corn. Ianſenio intento*; ut non ſit mirum, neque in Theſibus, neque in tractatibus ipſorum eam allegari uſpiam; cum non rarò allegent *Innocentii X.* conſtitutionem *cum occaſione.*

Si aliquid tribuerent conſtitutioni *Alexandri*, dicerent, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſti libera, & pervicaci voluntate, & libero diſſenſu: dicerent aliquam Chriſti gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, voluntatis pervicacia fruſtrari; ut contradicerent damnatæ Janſenii doctrinæ: lib. 3. *de gratiâ Chriſti* cap. 4. col. 263: *nulla CHRISTI gratia effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, ulla voluntatis PERVICACIA fruſtratur.* Videatur obſervatio præambula ad hocce caput.

CAPUT III.

Specimen Doctrinæ Theologicæ de libertate in ſtatu naturæ lapſæ.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Propoſitionem tertiam ex Quinque Ianſenianis.

Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.

PRopoſitionem hanc hæreticam declararunt, & uti talem damnarunt *Innocentius* X. Conſtit. *Cum occaſione*, & *Alexander VII.* Conſtit. *ad ſacram*; & quidem *in ſenſu à Corn. Ianſenio intento*, ut habet conſtitutio *Alexandri VII.*

Porro *Cornelius Ianſenius* propoſitionem aſſeruit toto fere libro 6. *de gratia Chriſti*. Delibamus quædam ex cap. 6. ubi poſtquam col. 628. ſic diſtinxiſſet: *duplex autem in doctrinâ ejus* (Auguſtini) *neceſſitas reperitur: una, quæ operatur effectum ſuum, etſi nolis, ſeu quantumcumque renitaris; altera, quâ ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri ſine reniſu voluntatis.* Col. 632, ſic pronuntiat: *Doctrina igitur AVGVSTINI eſt, neceſſitatem illam primam .... capitaliter repugnare libertati, eamque funditus perimere; non autem illam neceſſitatem, quæ eſt ſimul voluntaria; quâ ſcilicet ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri, non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate.* Similiter col. 634. *Aperte conſentaneum eſt, omnem omnino voluntatem, quantumcumque ad unum determinatam, nullâ tali neceſſitate, quâ dicitur neceſſe eſſe, ut velit, deſinere eſſe liberam.* & col. 635. *Quod ſola neceſſitas coactionis adimat libertatem .... demonſtrari poteſt.* Accedat ex lib. 8. *de gratia Chriſti* cap. 19. col. 869. *Nulla neceſſitas actibus voluntatis liberis formidanda eſt; ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ.*

Atque hæc ille de ſtatu naturæ lapſæ, & de libertate requiſitâ ad meritum, & demeritum; quod eſt notius, quam ut oſtendi debeat: unde lib. 9. *de gratiâ Chriſti* cap. 10. col. 936. & alibi ſæpe docet, *merita ſtatus illius* (innocentiæ) *non eſſe dicenda ſpecialia Dei dona, quemadmodum nunc ſunt, ſed eſſe dicenda merita naturæ, liberi arbitrii, humana; quemadmodum è contrario nunc ſunt merita gratiæ.*

Quoniam verò damnata eſt propoſitio *in ſenſu à Corn. Ianſenio intento*, ſcire oportet

oportet, modum neceſſitatis, quam ſtatuit libertati non officere, hunc eſſe, quem lib.4. *de gratiâ Chriſti* cap.4.col.406. ſic paucis explicat: *Creberrime docet AVGVSTINVS, quamdiu in hâc vitâ mortali vivimus, eſſe in homine luctam quamdam duarum delectationum, noxia, & benefica, terrena, atque cæleſtis; quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem, ac pronum trahit.* Etenim ut cap.6. col.412. *quod amplius delectaverit* (animum) *ſecundum id operetur neceſſe eſt*: delectationes intelligit indeliberatas: vide obſervat. præamb. in principio hujus opuſculi.

Porro dicens, *ad merendum, & demerendum ſufficere libertatem à coactione*, liberos à coactione intelligit omnes actus voluntatis deliberatos, ſeu procedentes ex judicio rationis; ſecus verò actus indeliberatos puerorum, amentium, brutorum, & motus primò primos; qui fiunt ſcilicet etiam renitente voluntate, & hoc ſenſu violenti poſſunt dici. De his differentem videas lib. 6. *de gratia Chriſti* cap.6. col.631. item cap.35. col.723. & cap.36. col.724.

At verò dicens, *non requiri libertatem a neceſſitate*, neceſſitatem quamlibet intelligit diſtinctam à neceſſitate coactionis. Appellat verò plerumque *neceſſitatem ſimplicem*; ut excludat coactionem. Appellat quoque *neceſſitatem voluntariam*: quippe, *quâ ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri, non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate*; ut definit lib.6. *de gratia Chriſti* cap.6. col.632. Appellat etiam lib.4. de ſtatu nat.lapſ. cap.25. col.666. *neceſſitatem ex hypotheſi*: quia ſolum eſt ex hypotheſi liberi exercitii in peccato *Adami*.

§. I.

Aſſertiones rotundè negantium neceſſitatem officere libertati requiſitæ ad meritum, & demeritum.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 26. Junii 1676. Aſſertionem propoſuit his verbis Theſi 3.

Delectationis cæleſtis efficaciam facilè concipimus, quando cum D. AVGVSTINO eam eſſe hominis conditionem agnoſcimus, ut, QVOD AMPLIVS NOS DELECTAT, SECVNDVM ID OPEREMVR NECESSE SIT.

Baſim quamdam hic habes doctrinæ Janſenianæ locum *Auguſtini* intellectum de indeliberata delectatione: nam, ſi de liberâ delectatione intelligatur, conſtat ſane, dictum illud; *quod amplius nos delectat &c.* eſſe inutile ad explicandam efficaciam gratiæ.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 13. Octob. 1665. aſſertionem eamdem aliquâ luce donatam poſuit Theſi 1.

Nemo aliquid animo amplectitur, quod eum non delectat: & nemo habet poteſtatem, ut vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet, cum occurrerit. Quamdiu ergo

Deus

Deus voluntatem noſtram amore rebus hujus ſaculi affixam, victrice delectatione boni non prævenerit; ſequitur illa dominantem ſibi cupiditatem. *SECVNDVM ENIM QVOD IPSAM MAGIS DELECTAT, OPERETVR NECESSE EST.*

IACOBVS PONTANVS S.T.D. Lovanii die 12. Auguſti 1665. Theſi 2.

Gratia autem operans per hoc, quod operetur, ut velimus, efficax eſt: & cum hoc ſine nobis operetur, efficaciam ſuam à ſe, non à libero habet arbitrio, virtus autem qua hac gratia, ſeu complacentia infallibiliter ſemper in animo noſtro aſſequitur effectum, conſiſtit in exceſſu, quo hic, & nunc excedit omnem complacentiam contrariam. Hic enim exceſſus eſt ad conſenſum infallibilis conditio, cum quâ ſic, per hoc, quod SECVNDVM ID, QVOD AMPLIVS NOS DELECTAT, OPEREMVR, NECESSE SIT.

Hæc ipſa toties præcinentibus S.T. Doctoribus ſuccinuerunt etiam Philoſophiæ Profeſſores.

GVMMARVS HVYGHENS nuper Philoſophiæ Profeſſor, nunc S.T Doctor Lovanii die 3. Julii, aliiſque diebus anno 1668. inter Theſes Philoſophicas hanc dedit aſſertionem Theologicam, Theſi 4. Metaphyſicæ

Libertati noſtræ .... non obſtat quoque gratiæ divinæ efficacia. Nec refert, quod hac naturæ lapſa non ſolum det poſſe, uti olim naturæ integræ; ſed etiam ipſum velle &c.

Mirum, ni diſcrimen illud Janſenianum inter gratiam naturæ integræ, & naturæ lapſæ, portenderet nobis quamdam gratiæ vim neceſſitantem.

Ventilatio hujus doctrinæ Theologicæ de gratiâ in diſputatione Philoſophicâ effecit, ut Philoſophiæ Profeſſor aſſurrexerit in aliquo ex illis actibus ad quamdam conciliationem humanæ libertatis cum efficacia divinæ gratiæ.

Cujuſmodi fuerit ea conciliatio, intelligi poterit ex iis, quæ contra eandem ſtatuit inſignis ejus Collega *PETRVS DAMMAN* Philoſophiæ & ipſe Profeſſor, qui conciliationem illam efficacis gratiæ cum libertate coram audiverat. Statuit vero ad ſuas Theſes Philoſophicas propugnatas die 28. Julii eodem anno 1668. quoddàm *impertinens* more Lovanii uſitato, & quidem conceptum his verbis.

Nuper hic ſpecioſè libertas indifferentiæ cum gratiâ efficaci, quæ in delectatione divinitus immiſsâ conſiſtit, cui reſiſtitur (ſed non niſi fortiore in contrarium obveniente delectatione) conciliata fuit: quæ conciliatio placeret; niſi videretur ejuſmodi indifferentia brutis quoque convenire.

Ex hoc *Impertinente* apparet, *Gummarum Huyghens* libertatem ſub gratiâ ſuâ efficaci petiiſſe ex potentiâ quâdam reſiſtendi gratiæ: eam verò potentiam inde probaſſe, quod gratiæ aliquando reſiſteretur; inſurgente nimirum majori delectatione concupiſcentiæ, quam eſt delectatio gratiæ, atque hanc illâ infringente, & enervante. Hæc ſine dubio eſt aliqua reſiſtentia, quæ fit gratiæ, ſed quam non negavit *Corn. Janſenius*, ut jam ſæpius patuit. Ea reſiſtentia non fit gratiæ à prava voluntate, ſed à concupiſcentiâ, & per motum concupiſcentiæ inde-

indeliberatum: neque adeo poſſibilitas talis reſiſtentiæ quidquam facit ad conciliandam cum gratia indifferentiam, niſi ſpuriam, quæ & brutis convenit; ut ſapienter animadvertit auctor *Impertinentis*.

IOANNES LACMAN nuper Philoſophiæ Profeſſor, nunc S.T.D. Lovanii die 7. & 8. Julii 1670. à biennio ſolâ voce jactatam à *Gummaro Huyghens* conciliationem libertatis cum efficaci gratia, impugnatamque ab Adverſario Profeſſore ita, ut explicuimus, putavit ſibi vindicandam, aſſerendamque Theſibus ſuis Philoſophicis, quibus hanc miſcuit aſſertionem Theologicam Theſi 5. Metaphyſicæ.

Gratia efficax cum libertate noſtra ...... valde bene conciliari videtur dicendo, quod gratia efficax conſiſtat in certâ illuminatione mentis, in delectatione voluntatis circa aliquod objectum, & in eo, quod abſit æqualis, vel major delectatio obſiſtens. Nam quod magis delectat, SECVNDVM HOC AGAMVS NECESSE EST. Nec ullum prorſus periculum eſt, ne, quam talis gratia nobis relinquit libertatem, brutis conveniat. Apparet, hæc ultima verba eſſe directa in *impertinens* à biennio poſitum adverſus doctrinam *Gummari Huygbens* amici Collegæ.

Non exanimavit verò Adverſarium Profeſſorem *Petrum Damman* iſta aſſertio: mox enim hic Theſibus ſuis Philoſophicis propugnatis die 14. & 15. Julii eodem anno 1670. alterum ſubnexuit *impertinens* his omnino verbis.

Si, quod magis delectat, SECVNDVM HOC AGAMVS NECESSE SIT, & gratia efficax conſiſtat in certâ illuminatione mentis, & delectatione voluntatis circa aliquod objectum, & in eo, quod adſit æqualis, vel major delectatio obſiſtens, evidens periculum eſt, ne, quam talis gratia relinquit indifferentiam, brutis conveniat.

Sic ille ab Impertinenti, quod dederat à biennio, non declinando neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, unam poſtulare pergit indifferentiam, ſeu potentiam agendi, & non agendi, quæ brutis non conveniat, reliqua diſcrimina, inter modos agendi hic, & illic, nihil moratus.

Porro *IOANNES LACMAN* aſſertione illâ ſuâ ad diſputationem propoſitâ, cum in confertiſſimo auditorio omnis generis litteratorum hominum non ſegniter urgeretur, ut oſtenderet, quomodo ſub gratiâ efficaci ſic explicatâ homo haberet plus poteſtatis ad non agendum, quam bruta ad non agendum, cum ad agendum aguntur naturaliter, habuit quidem in promptu reſpondere, hominem agere dependenter à judicio rationis, ſeu deliberate; non item brutum: ſed cum preſſius urgeretur, ut exhiberet majorem poteſtatem non agendi in eo homine, quam in brutis, aliena varia locutus, tandem involavit in *Auguſtini* dictum male relatum, pejus etiam intellectum, *Quod amplius nos delectat, ſecundum id agamus neceſſe eſt*: dicere debuiſſet, & exprimere in Theſ. *operemur neceſſe eſt*, ut facilius intelligeretur dictum de delectatione deliberata: quam intelligentiam ſuâ ſponte ingerit contextus *Auguſtini*. Porro non ſine tremulâ iracundiâ jactato *Auguſtini* dicto ſic vitiato; pallens, turbatuſque oculis, &

toto vultu, *Si Auguſtinus,* inquit, *pro nobis, quis contra nos?* Sic argumentationem iſtam abrupit, incuſſo horrore piis auribus, cum appareret, Profeſſorem ſic fidere ſuo judicio de ſenſu dicti Auguſtiniani, ad minimum valde controverſo, ut declarare videretur, nihil ſibi eſſe curandum, aut attendendum, quidquid eſt reliquæ in Eccleſiâ auctoritatis; quando judicaret *Auguſtinum* à ſe ſtare.

Amavit vero eandem aſſertionem Profeſſor idem uſque adeo, ut non putaverit negligendam in iis Theſibus, quas Lovanii die 29. Aprilis 1675. ſuſtinuit pro laureâ Doctorali Theologicâ ſic ſtatuens Theſi 3.

Qui nolentem prævenit, ut velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit: per adjutorium cujus efficacia congruè poteſt explicari modo, quem ſuggerit S. AVGVSTINVS his verbis: QVOD MAGIS DELECTAT, SECVNDVM ID OPEREMVR NECESSE EST.

Aliis, aliiſque modis, ſed Janſenianis, ſuperiores Aſſertiones dederunt alii, atque alii.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 7. Maji 1672. Theſi 2.

Omnis enim gratia Quodammodo efficax eſt: habet enim neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, NON QVIDEM COACTIONIS, SED INFALLIBILITATIS; quia intentio Dei deficere non poteſt.

Phraſim; *Neceſſitas infallibilitatis*, in ſuo errore de libertate adamatam Calviniſtis in Synodo Dordrechtanâ notavimus cap. 2. §. 5.

IACOBVS PONTANVS S.T.D. Lovanii die 12. Septemb. 1652. Theſi 1.

Patet hinc, non omne voluntarium eſſe liberum; ut proinde jure merito à PIO V. Pont. Max. proſcripta ſit hæc propoſitio: QVOD VOLVNTARIE FIT, ETIAMSI NECESSARIO FIAT, LIBERE TAMEN FIT. Cum illa propoſitione ne apparenter quidem conſonat hic articulus: Neceſſitas, QVÆ EST VOLVNTARIA (phraſi S.S. P.P. premens tantum, non perimens) QVA SIMPLICITER NECESSE EST ALIQVID FIERI, NON REPVGNAT LIBERTATI.

Nota fucum Janſenianum, *neceſſitas voluntaria, ſimplex.* Vide obſervat. præamb.

His conſentanea ſunt hæc Doctoris ejuſdem Lovanii eâdem die, & anno Theſi 2.

Hæc neceſſitas nihil etiam læſit libertatem CHRISTI Domini, cujus etiamſi liberum arbitrium eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum (quod non facere non poteſt) tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, ſive meriti, QVIA IN ILLVD NON COACTE, SED SPONTE TENDIT, & ita actus ſui eſt Dominus, ait iterum D. THOMAS in 3. d. 18. q. 1. art. 2. Porro ad eſſentiam actus meritorii libertatem requiri prætenſam hodie bicornem illam indifferentiam, aut æquilibrium, nulla ratio, aut experientia probat.

Neceſſitatem ſuam hic Doctor appellavit *Voluntariam, & ſimplicem*; voluntatem vero *ſponte*, & non *coactè* agentem. Hæc omnia exemplo *Corn. Janſenii*, ut vidimus

vidimus in obſervatione præambula. Ad locum illum D. Thomæ in 3. ſumptum ex *Auguſtino Ianſenii* lib. 6. *de gratia Chriſti* cap. 38. col. 730. videat Lector, quæ adnotamus infra §. 5. hujus capitis.

GERARDVS VAN WERM S. T. D. Lovanii 21. Junii 1651. ſic paucis abſolvit Theſi 4.

Nulla igitur gratia, *QVALITERCVMQVE SIT DETERMINATIVA VOLVNTATIS*, *eſt noxia libertati.*

IOANNES BAVDVIN S. T. P. Namurci 2. Maji 1676. Theſ. 6. ſic poſuit.

VT VERISSIMVM SIT, ad meritum, vel demeritum requiri libertatem à neceſſitate, non ſufficere à coactione, in praxi tamen obſervandum, haberi libertatem à neceſſitate, ubicumque invenitur à coactione.

Iſtud; *ut veriſſimum ſit &c.* eſt gratis concedentis; quod hic eſt admiratione dignum, cum id quod ſic conceditur, ſit veritas Catholica.

Quam recta utiliſve ſit obſervatio pro praxi, quæ ſubditur, judicium ſit lectoris.

GERMANVS PHILALETHES EVPISTINVS, aliàs *CAROLVS AB ASSVMPTIONE* S. T. P, Duaci Anno 1670. non una aſſertione augere poteſt hunc locum. Lib. *de ſcient. med. ad exam. revocatâ* docet, nunc quidem nihilo magis agentia libera ſe determinare, aut applicare, quam agentia naturalia: ipſum audi num. 77.

Alio modo actus eſt ab agente ſecundum ſubſtantiam actus, & non ſecundum determinationem agentis; in hoc actu CONVENIT VOLVNTAS CVM AGENTIBVS NATVRALIBVS, non quod non ſit liber, ſed QVOD VOLVNTAS AD ILLVM NON SE DETERMINET; ſicut & agentia naturalia non ſe determinant ad ſuos actus.

Ibidem num. 102. *Prædeterminatio ſpecialis independens ab aliquo actu præcedente, & conſilio, quâ indiget homo infirmus, TOLLIT, QVOD ACTVS SIT IN POTESTATE VOLVNTATIS, eique tribuatur; ex eo quod voluntas in hujuſmodi actu, non ſit movens, ſed mota ...... juxta illud Rom.* 8. *QVICVMQVE SPITITV DEI AGVNTVR, HI FILII DEI SVNT.*

Ibidem num. 103. *Tunc actus dicitur à Deo dari; quando ita eſt à Deo, ut NON SIT APPLICATIVE A LIBERO ARBITRIO; ſed ſolum elicitivè ...... cum ergo adjutorium datum ADAMO, & Angelis, daret illis poteſtatem ſe applicandi, actus illorum NON ERANT SPECIALIA DONA DEI; ſecus eſt de actibus bonis hominis infirmi, qui fiunt auxilio gratiæ victricis, & prædeterminantis: nam hæc gratia ita applicat liberum arbitrium ad volendum, ut ex præcedente actu non ſe applicet.*

GERMANVS idem *PHILALETHES* S. T. P. Duaci Anno 1671. in altero opuſculo *de libertate* hæc eadem recocta dedit num. 93.

Alia eſt libertas voluntatis ſe applicantis, ALIA EST LIBERTAS VOLVNTATIS APPLICATÆ TANTVM. Et num. 99. *Cum libertas natura lapſa NON SIT*

LIBERTAS VOLUNTATIS SE APPLICANTIS, *ſed voluntatis applicatæ.* E num. 96. *Natura infirma habet etiam poteſtatem volendi & juſtitiam, & peccatum: ſed peccatum ex propriâ applicatione: juſtitiam verò ex ſpeciali Dei applicatione.*

Ex his nemini mira videbuntur, quæ habet ibidem num. 85.

Quartum argumentum hâc ratione deducitur: quando neceſſitamur ad finem, neceſſitamur etiam ad media ſine quibus non habetur finis ...... Reſpondetur diſtinguendo antecedens: quando neceſſitamur ad finem, neceſſitamur ad media neceſſitate Objecti conceditur. NECESSITATE AGENTIS NEGATUR.

Atque hæc quidem plauſum tulerunt in Belgio; ſed imprimis Lovanii die 6. Maji 1675. cum hunc *Philaletheu Martinus Steyart* in iis Theſibus, quas diſputavit pro Laureâ Doctorali Theſi 2. appellavit *de SS. Auguſtino, & Thomâ bene meritum Scriptorem.*

Sed præcipue ardent hi Theologi prædicare neceſſitatem peccandi in homine peccatore, quæ libertati haud obſit.

ANTONIUS CHASSE S.T.P. Duaci die 20. Februarii 1671. Theſi 16.

Per peccatum Adami amiſit homo omnia dona originalis juſtitiæ ...... voluntate igitur non bonâ permanente, PERIIT POTESTAS APPLICANDI SE *ex proprio conſilio ad bonum: unde ad malum ſemper ſe voluntas applicabit, ſi gratiâ vincente concupiſcentiam non præveniatur.*

GERARDUS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 18. Aprilis 1657. Theſi 1.

PROPTER QUOD TRADIDIT ILLOS DEUS IN DESIDERIA CORDIS EORUM IN IMMUNDITIAM: non peccatum illud Dei eſt, ſed judicium, quod exercuit, non impertiendo malitiam, ſed ſubtrahendo indebitam gratiam: quam ſi Angelo, vel homini, cum primum facti ſunt, ſubtraxiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent: nunc autem quibus illam ſubtrahit, jam pœna eſt peccati præcedentis, & non excuſatio ſequentis.

Hæc ſunt illa, quæ ut maxime arcana ſuæ doctrinæ de gratiâ, & libertate exornavit *Corn. Ianſenius* lib. 4. *de ſtatu naturæ lapſæ* cap. 25. col. 666. non dubitans, quin neceſſitas peccandi, quam attribuit naturæ lapſæ, excuſatura fuiſſet à culpâ hominem in ſtatu naturæ integræ; quæ tamen in naturâ lapſâ non excuſet, quia aliquo pacto ſit voluntaria; utpote dependens à peccato *Adami* cum indifferentiâ exercito, quod in nos omnes propagatum eſt. Hanc ergo vim *Ianſenius* tribuit peccato originali etiam condonato.

Eamdem *Doctor GERARDUS VAN WERM* tribuere eidem peccato videtur.

Artificium Calvinianum in hoc omni genere obſervavimus ſuprà cap. 1. §. 4.

Huc ſpectare poteſt breve iſtud ejuſdem Doctoris Lovanii propoſitum die 16. Decembris 1654. Theſi 1.

IN DESIDERIA CORDIS EORUM. Quibus, etſi gratia ad ea ſuperanda neceſſaria carerent, libere tamen ſuccubuerunt, & ſuccumbendo peccaverunt.

LIBERTUS FROMONDUS S.T.D. Lovanii die 10. Junii 1653. efficacius hæc eadem expreſſa dedit Theſi 2. *Pecca-*

Peccatores, qui potentiſſimâ, graviſſimâque tentatione pulſantur, & ad ei quocumque demum modo reſiſtendum OMNI PRORSVS AVXILIO DIVINO DESTITVTI SVNT *(idem eſto judicium de dæmonibus)* LIBERRIME SVCCVMBVNT *peccando, & conſentiendo, non peccare, aut non conſentire* NVLLATENVS VALENTES.

IACOBVS PONTANVS S.T.D. Lovanii die 6. Julii 1665. de *Adamo* paucis perſtrinxit, quod de humano genere per *Adamum* lapſo intelligas. Sic poſuit Theſi 2.

Adam *uno vetitæ arboris guſtu corruit de poſſe non peccare, in non poſſe non peccare.*

Alia hujus generis cum plurima occurrant, tempus eſt abrumpere hunc locum.

§. 2.

Aſſertiones explodentes quæſtionem de libertate, ejuſque concordiâ cum divinâ gratiâ, ut Philoſophicam.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanienſis hunc locum ſibi vindicat totum. Hic enim Doctor in celebri ſuo tractatu *de gratiâ*, quem paucis abhinc annis Lovanii confertiſſimis Diſcipulis magno plauſu dictavit, explicuitque in Scholâ publicâ, quæſtionem de libertate, ejuſque definitione & concordia cum gratiâ traducere non dubitavit, ut quæſtionem Philoſophicam. Poſtquam enim operosè contenderat locum *ad Philippenſes* cap. 2. *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini: Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bonâ voluntate*, eſſe accipiendum in rigore, & proprio verborum ſenſu, ſæpius inſinuans minimè obſcurè modum Janſenianum, quo Deus *operetur in nobis velle*; immittendo videlicet cæleſtem in nos delectationem majorem, quam eſt delectatio concupiſcentiæ, ſatis oſtendit ſe quodam ſcrupulo angi de ſalvandâ libertate; ſed ſcrupulum inſuperabilem ſopire conatur perſuadendo ſibi, quæſtionem de libertate eſſe Philoſophicam, neque ſibi Doctori Theologo eſſe laborandum de modo, quo conciliatur gratia cum libertate.

Unde cap 5. ſui tractatus Philoſophiæ tribuit partes pugnantis pro libertate: *Attonita*, inquit, *Philoſophia intervenit, ut ipſa audiatur:* & poſtquam hanc loqui fecit, quæ ipſi libuit, *non eſt*, inquit, *Philoſophia verè Chriſtiana, quæ ſic loquitur.* Philoſophiam Chriſtianam, ſi interrogaretur in hâcce causâ, ait reſponſuram; *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* At certè Philoſophiam Chriſtianam in hâcce causâ deceret eſſe ſolicitam, de ſalvandâ libertate indifferentiæ, omnibus Theologis, & Chriſtianis Philoſophis agnitâ ex tot evidentibus S. Scripturæ locis, Patrum teſtimoniis, Conciliorum, & Pontificum definitionibus; ac inprimis ex recentibus fidei decretis *Innocentii X, & Alexandri VII.* contra quinque propoſitiones.

Pergit quæſtioni libertatis inurere invidiam Philoſophiæ his verbis cap. 6. *Vnde quicumque ſenſum illum tueri vult, alium locum non proferet, quam illum, quo adſtruitur hominis libertas : & tunc ſubſumet, quod cum iſtâ libertate non ſtet efficacia gratia, quæ importatur per ſenſum proprium verborum Apoſtoli ad Philippenſes ; quod non eſt ob clariorem intelligentiam Scripturæ recedere à ſenſu proprio verborum ; ſed ab illo recedere ob Philoſophiam. Subſumptum autem, quod formatur, non niſi à Philoſophiâ ſuggeritur.*

Imò ſubſumptum de libertate indifferentiæ agnitæ omnibus Theologis, quod formari debet, & cujus mentionem horret hic Doctor, deſumitur ex Scripturis ſacris, SS. Patribus, Conciliorum, & Rom. Pontificum definitionibus.

Quantum horreat mentionem libertatis indifferentiæ oſtendit inprimis cap. 10. his verbis : *Forſitan quiſpiam expectabit, ut etiam oſtendamus, quod cum illâ gratiâ efficaciâ conſiſtant illa, quæ pro humanæ libertatis defenſione prætendit Philoſophia. Sed potius, quam in iſtam diſputationem in hoc tractatu deſcendam, malo oſtendere, quod ad iſtam deſcendere non ſit neceſſe .... ſed quidquid ſit ſeu de experientiâ libertatis, ſeu de definitione ejus Philoſophicâ, nihil de illis tangere volumus in præſenti tractatu ...... ut melius, & ſincerius attendamus ad eum, quem habemus certiorem Propheticum, Euangelicum, & Apoſtolicum ſermonem, aliaque traditionis documenta. Illis in hoc tractatu diſcuſſis, & inde formato judicio, videre poterimus poſt hunc tractatum, quomodo illo judicio ſuppoſito, DE LIBERTATE PHILOSOPHANDVM SIT; ut ita, prout par eſt, Philoſophia pediſſequam agat fidei, & Theologiæ ; non Dominam.* Ecce nullâ curâ conciliandi cum gratiâ libertatem, cenſet hic Doctor ſtatuendum eſſe de efficaciâ gratiæ, & poſtea Philoſophiam de libertate contorquendam ad conceptum de gratiâ præformatum ; quaſi non æquè illuſtres ſint loci Theologici de libertate, ejuſque indifferentiâ, quam de gratiâ, ejuſque efficaciâ, ut ſimul utriuſque cura debeat eſſe, ne quid de alterâ ſtatuatur, quod alteri præjudicet.

Scrupulus de libertate huic Doctori adhæſit ad extremum uſque tractatum : ſed conſtanter conatus eſt excutere, ut Philoſophicum; imò ut noxium Tyronibus : Epilogum enim totius tractatus concluſit in hæc verba : *Vltimum fortè deſiderari poſſet, ut Philoſophiæ cymbam onerariæ fidei, & Theologiæ alligarem; hoc eſt, ut oſtenderem, qualiter ſuppoſitâ illa, quam tradidi de myſterio gratiæ, fide, & Theologiâ, Philoſophandum ſit de libertate, de concordiâ illius cum gratiâ ; ut ſicuti hic tractatus eſt de medicinalis gratiæ CHRISTI fide, & Theologiâ, alter eſſet de medicinalis gratiæ CHRISTI Philoſophia, tamquam pediſſequa fidem, & Theologiam ſequens. Sed plures rationes in præſentiarum diſſuadent : 1. quia feſtinandum eſt, ut jactura temporis per bellum, & contagium erepti reparetur : 2. Quia provincia illa magis propria eſt adhuc verſantibus in Philoſophiæ palæſtrâ : 3. Quia non omnibus Theologiæ ſtudioſis ſimilis tractatus eſt neceſſarius, aliquibus etiam periculoſus ; præſertim in Theologiæ Tyrocinio,*

rocinio, dum eos adhuc circa illa, quæ in hoc tractatu dicta ſunt, fortaſſis contingit vacillare.

Tertia ratio eſt notabilis 1. Quatenus affirmat, non omnibus Theologiæ ſtudioſis tractatum de libertate, ejuſque concordiâ cum gratiâ eſſe neceſſarium. Alii cenſent, eum tractatum, hoc potiſſimum tempore, eſſe per-neceſſarium, ob graſſantem in Patriæ noſtræ viſceribus Hereſim de libertate, ejuſque concordiâ cum gratiâ, quam diſcordiſſimam hoc tempore exhibent *Calviniſtæ*, & *Ianſeniani*, libertatem non aliter conciliantes cum gratiâ, quam cum neceſſitate. 2. Notabilis eſt eadem ratio tertia, quatenus affirmat, aliquibus periculoſum fore eum tractatum de libertate. Supponere videtur hic Doctor, Doctrinam ſuam de gratiâ in hoc Tractatu, eſſe Doctrinam fidei, cui nefas ſit diſſentire; tum verò meritò timet, ne Tyrones animadvertentes, libertatem nihilo felicius conciliari cum gratiâ præconceptâ à Magiſtro, quam cum neceſſitate, reſiliant à doctrinâ de gratiâ.

Quamquam enim verò rem cenſet oppidò facilem, conciliationem libertatis cum gratiâ. Etenim cap. 10. ſui tractatus ſic ſeſe expedit paucis: *Quamquam ut ad materiam redeamus, non tam abſtruſa, & remota ſit ab hominum cogitatione efficacis illius gratiæ, & humanæ libertatis concordia...... imò, ſi res bene inſpiciatur, tantum difficultas eſt, ut libertas convenienti definitione deſcribatur ...... ſed quidquid ſit ſeu de experientiâ libertatis, ſeu de definitione ejus Philoſophicâ, nihil de illa tangere volumus &c.* Ecce res eſt tam facilis, judicio hujus Doctoris, ut ſolum dependeat à concipiendâ quâdam definitione libertatis, quæ ſit conformis præformato conceptui gratiæ efficacis: ſi ex locis Theologicis tibi perſuaſeris gratiam efficacem inferre neceſſitatem voluntati, non eſt laborandum de conciliandâ libertate cum gratiâ: *tantum difficultas eſt, ut libertas convenienti definitione deſcribatur*: Deſcribatur ergo cum *Ianſenio* exempli causâ lib. 6. *de gratiâ Chriſti* cap. 5. col. 625. *Voluntas ſeu volitio, & libera voluntas idem ſunt, ſicut velle, & liberè velle.* Ecce facilem conciliationem libertatis cum gratiâ efficace, quantumvis eam conceperis inimicam libertati indifferentiæ, Scripturis ſacris, & Eccleſiæ totius auctoritati toties aſſertæ: etenim his neglectis, *ſolum eſt difficultas, ut libertas convenienti definitione deſcribatur.*

Neque ſanè uſpiam hic Doctor in ſuo tractatu ſolicitus eſt, ut oſtendat, teſtimonia ſacra, evidenter nobis exponentia libertatem indifferentiæ, non repugnare efficaci gratiæ à ſe aſſertæ, ac ne quidem cap. 7. ubi id videri poteſt profiteri: ſatis ibi habet ad duo, aut tria Scripturæ teſtimonia affirmare, ea etiam accepta in proprio verborum ſenſu non officere ſuę doctrinæ de Gratiâ, Deum facere, ut velimus liberè, & quædam ſimilia.

§. 3.

§. 3.

Aſſertiones negantium Libertatem indifferentiæ, In ſtatu naturæ lapſæ.

GERARDVS VAN WERM S. T. Doctor Lovanii die 21. Martii 1652. ſic poſuit Theſi 5.

Perperam igitur in hoc ſtatu definitur peccatum: eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod Iuſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere.

LIBERTVS FROMONDVS S. T. D. Lovanii die 22. Novemb. 1651. Aſſertionem eamdem majori quâdam luce donatam propoſuit Theſi 2.

Qui audent in hoc ſtatu definire peccatum, ut definit S. AVGVSTINVS l. de duabus animabus. C. XI. *EST VOLVNTAS RETINENDI, VEL CONSEQVENDI, QVOD IVSTITIA VETAT, ET VNDE LIBERVM EST ABSTINERE; apertè ſe oſtendunt AVGVSTINO contradicere ...... licet igitur liberum arbitrium ſit determinatum ad unum numero, tamen ex hoc non amittit libertatem, vel rationem laudis, & meriti, QVIA IN ILLVD NON COACTE, SED SPONTE TENDIT, & ita eſt actus ſui Dominus.*

GERARDVS VAN WERM S.T.D. præcipuam materiam præbuit augendo huic loco die 9. Martii 1652. ſic ſtatuit Theſi 3.

Humani arbitrii Libertatem hanc in indifferentiâ ad utrumlibet oppoſitorum conſtituere, eſt ſtatum hominis lapſi ad eum, qui eſt hominis integri, revocare.

Doctor idem Lovanii die 21. Martii 1652. Theſi 1.

PER QVEM ACCEPIMVS GRATIAM. Non tale adjutorium, quod homo deſereret cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet.

Doctor idem *GERARDVS VAN WERM* Lovanii 6. Decembris 1674. ſic ſtatuit Theſi 3.

Stabiliunt hæc loca libertatem noſtram; ad quam nullâ ratione requiri poteſt æquilibris quorumdam Philoſophorum indifferentia.

Idem Lovanii die 16. Maji 1676. Theſi 1.

Meritò proinde negamus, huic libertati neceſſarium eſſe voluntatis æquilibrium, ſeu proximam indifferentiam ad utrumque.

LIBERTVS FROMONDVS S. T. D. die 28. Martii 1645. ſic præiverat Theſi 4.

Etſi gratia efficax ex ſe, & intrinſecâ vi movendi ſit efficax, liberum tamen arbitrium non evertit. VOLVNTAS (enim) LIBERA TANTO EST LIBERIOR, QVANTO SANIOR, TANTO AVTEM SANIOR, QVANTO DIVINÆ GRATIÆ, MISERICORDIÆQVE SVBIECTIOR. Epiſt. 89. ad Hilarium ad Libertatem illam ſtabiliendam neceſſaria non eſt exploratio ſcientiæ mediæ, NEC REQVIRITVR ETIAM

ÆQVI-

ÆQVILIBRIVM INDIFFERENTIÆ INTER DVO OPPOSITA. Immò proximam illam indifferentiam ad libertatem non eſſe neceſſariam, non auctoritas ſolum, ſed & ratio ſuadet.

Doctor idem Lovanii die 23. Martii 1647. Theſi 2.

Rectè à S. Auguſtino conciliatur libertas cum divinâ præſcientiâ, & efficaci lapſi hominis gratiâ, NON HABITO RESPECTV AD VOLVNTATIS INDIFFERENTIAM.

IOANNES SINNICH S.T. Doctor Lovanii 4. Februar. 1651. conſentanea dedit Theſi 1.

Propter concupiſcentiam, quæ liberum arbitrium ità deprimit, ut ad bonum nihil valeat, niſi à gratiâ Dei, quæ de nolente facit volentem, & voluntatem determinat (non tamen Libertatem evertendo, ut volunt aliqui ESSENTIAM EIVS MALE STATVENTES IN ÆQVILIBRIO AD VTRVMLIBET) prævenîatur, & ſuſtentetur.

Doctor idem Lovanii die 28. Januar. 1649. aliquantò verecundius ſic poſuerat Theſi 2.

De Fide non eſt libertatem involuere, aut præſupponere famoſam illam indifferentiam (quâ voluntas duobus utrimque accincta judiciis inter duo oppoſita tamquam in bilance ſuſpendi debet.)

LAMBERTVS VINCENT S.T.D. Lovanii 2. Decemb. 1673. rem ſic expreſſit Theſi 1.

Nonne ad libertatem requiritur, ut potentia poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, & conſideratis iis, quæ partim ab intrinſeco, partim ab extrinſeco proveniunt, æquè poſſit agere, quam non agere? Negativè reſpondemus.

Doctor idem die 24. Februar. 1676. verbis haud multum diverſis hæc dedit Theſi 1.

At numquid ſaltem ad eſſentiam meriti requiritur æquilibris iſta indifferentia, quâ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis Voluntas poſſit agere, & non agere? Minimè.

THOMAS VANDEN BERGHE S.T.P. Gandavi die 29. & 30. Auguſti 1674. Lovanienſes Doctores ſic eſt imitatus Theſi 11.

Libertatis autem eſſentia non conſiſtit in illo aut contrarietatis, aut contradictionis æquilibrio, ſeu proximâ indifferentiâ.

Non putamus, eruditū lectorem magnoperè cōmoveri, ut faveat quibuſdam ex hiſce aſſertionibus; quod ſolum negare videantur ad meritum, aut demeritum in ſtatu naturæ lapſæ requiri *voluntatis æquilibrium*, aut *æquilibrem indifferentiam*. Dubitari non poteſt, quin per æquilibrium illud intelligant, quod Theologi intelligunt per indifferentiam; quæ vox ipſis ſignificat abſolutam potentiam ad oppoſita, ſeu contrariè, ſeu contradictoriè, quidquid ſit de inclinatione in alteram partem, quæ potentiam non tollat ad partem oppoſitam.

tam. Si Doctores hi noſtri ſolam negarent perfectionem æquilibrii requiri ad meritum, aut demeritum, futiles ſanè eſſent aſſertiones: quis enim Theologus aſſeruit, illam requiri? dubitationem, ſi quæ hic eſſe poteſt, ſuſtulerunt *Gerardus van Werm, & Libertus Fromondus*, æquilibrium, ut vidimus, interpretantes *proximam indifferentiam*. Alii ſimpliciter appellavere indifferentiam, alii indifferentiam etſi non appellarint, ſic deſcripſerunt, ut de mente ſuâ dubium non reliquerint. Denique eam indifferentiam ſine dubio oderunt, quam ipſorum Doctor *Cornelius Ianſenius* lib. 7. *de gratiâ Chriſti* toto cap. 13. 14. 15. qui de perfectâ ratione æquilibrii parum laboravit.

§. 4.

Aſſertiones affirmantium omnem actum voluntatis eſſe liberum.

NVnc *ipſum cubile totius Libertatis luſtrandum eſt*; *ipſa, inquam, voluntas noſtra, hoc eſt, volitio*, inquit, *Cornelius Ianſenius* lib. 6. *de gratiâ Chriſti* cap. 5. in principio. Ibi verò præformato pridem conceptu gratiæ efficacis ſine ullâ curâ libertatis, facile ipſi negotium fuit fabricare quamdam definitionem, aut deſcriptionem libertatis convenientem conceptui gratiæ: ibi ergo dedit hæc axiomata col. 622. *libera eſt voluntas, hoc eſt volitio ratione ſui: quia eſt eſſentialiter libera: implicat enim contradictionem ut voluntas non ſit libera; ſicut implicat, ut volendo non velimus aut non faciamus, quod volumus; hoc eſt, ut voluntas non ſit voluntas* &c. Hæc verò ſedulò imitati ſunt hi noſtri. Specimina pauca videamus.

GERARDVS VAN WERM S.T. D. Lovanii die 11. Februarii 1651. Aſſertionem hanc dedit Theſi 3

Indifferentia quippe quam gratia non permittit, ad voluntatis libertatem impertinens eſt, AD QVAM SVFFICIT REI PLACITÆ SPONTANEVS APPETITVS.

Videſne Lector, quam facile ſit conciliare cum efficaci gratiâ libertatem: *tantum difficultas eſt*, ajebat *Franciſcus van Vianen* à nobis relatus §. 2. hujus capitis, *ut libertas convenienti definitione deſcribatur*. Ecce igitur rem facilem, utcumque gratiam ſtatueris neceſſitantem: *Ad libertatem ſufficit rei placitæ ſpontaneus appetitus.*

ALBERICVS VANDEN KERCKHOVEN S. T. Profeſſor Antverpiæ die 22. & 23. Auguſti 1673. ſic aſſeruit Theſi 2.

Nihilominus verè, & abſque ullâ contradictione etiam ab eodem dictum eſt; QVOD VOLVNTARIVM, ET LIBERVM: ET VBI VOLVNTAS, IBI LIBERTAS.

THOMAS VANDEN BERGHE S.T.P. Gandavi die 29. & 30. Auguſti 1674. rem expreſſit nitidè Theſi 11.

Nihil tamen tam in noſtrâ poteſtate eſt, quam ipſa voluntas, quæ nec voluntas eſſet, ſi in

ſi in noſtrâ non eſſet poteſtate : porrò quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S.T.P.in Tungerloo die 2.& 3.Septembris 1676. hæc dedit Theſi 7.

Aſſerimus igitur conformiter ad caſtiſſima Sanctiſſimi Patris noſtri AVGVSTINI principia centies inculcata ; potentiam liberam eſſentialiter nihil eſſe, QVAM DELIBERATAM VOLVNTATEM.

Circumſpectione uſus eſt Janſenianâ, ut potentiam liberam eſſe diceret voluntatem non qualemcumque ; *Sed deliberatam* ; quod ipſum reliquos crediderimus ſubintelligere : non enim in alia voluntate *Corn. Ianſenius* totius libertatis cubile collocavit, ut intelligitur ex iis, quæ dedimus in obſervatione præambula ad caput præſens.

Profeſſor idem hâc libertatis notione poſitâ, nihil habuit facilius, quam ut gratiam cum libero arbitrio conciliaret ibidem Theſi 23.

Sat poteſt intelligi, quomodo per efficaciam gratiæ non contingat libertatem amitti, quia voluntas à Deo per gratiam ad actum mota, eſt voluntas, & conſtat ex antè dictis, QVOD VBI EST VOLVNTAS, IBI SIT LIBERTAS.

ANDREAS LAVRENT S.T.D.Lovanii die 22.Novembris 1653.non tam poſuit aſſertionem indifferentiæ inimicam, quam probare conatus eſt auctoritate *S. Bonaventuræ* ; ſic enim habet Theſi 1.

Arbitrium porro dicitur liberum ; inquit S. BONAV. in 2. diſt. 25. q. 2. non quia ſic velit hoc, ut poſſet velle ejus oppoſitum ; ſed quia omne, quod vult, appetit ad ſui ipſius imperium ; quia ſic vult aliquid, ut velit ſe velle illud, & ideo in actu volendi ſeipſum movet, & ſibi dominatur, & pro tanto dicitur Liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.

Ad hæc obſervet Lector, locum illum *S. Bonaventuræ*, ad eliminandam libertatem indifferentiæ ſimiliter eſſe adhibitum à *Corn. Ianſenio* lib. 6. *de gratiâ Chriſti* cap.26.col.705. Atque iterum lib.8. *de gratiâ Chriſti* cap.15. col.874.& ante *Ianſenium* fuiſſe ad eumdem finem adhibitum à *Calviniſtis*, Quibus locum illum *S.Bonaventuræ* objicientibus diligenter reſpondit *Guilielmus Eſtius* in 2. d. 25. §. 2. Nobis non licet his inhærere.

§. 5.

Aſſertiones plenam Libertatem vindicantium amori Beatifico, amori, quo Deus amat ſeipſum &c.

HOc ſanè ex omni eâ Doctrinâ, quam exponimus hoc capite, eſt conſequens, ut amor Beatificus, amor, quo Deus amat ſeipſum, & ſimiles, ſint liberrimi : procedunt enim ex judicio rationis : ſunt actus Voluntatis rationalis,

nalis,neque ſimiles appetitibus brutorum : ſola illis deeſt libertas indifferentiæ; ſed hæc eſt Libertas quædam à Philoſophis adamata, & nequaquam requiſita ad perfectam libertatem, quæ ſuffi.iat ad merendum, & demerendum. Quare non dubitant vulgò hi noſtri exemplo *Cornelii Ianſenii* lib. 6. *de gratiâ Chriſti* cap.7.8.9.10. admittere conſequentiam, amori Beatifico Libertatem aſſignantes ſufficientem ad merendum, & reipsâ merituram; niſi deeſſet ſtatus viæ &c.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D.Lovanii die 28. Aprilis 1676. Aſſertionem hanc propoſuit Theſi 2.

Alioquin Libertas in Beatis, etſi ſint IMMVTABILITER DETERMINATI ad bonum, ſi Deus voluiſſet, SVFFICIEBAT AD MERITVM, ut & Libertas in damnatis ad demeritum; Licet ſint immutabiliter determinati ad malum.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 1. Junii 1676. in eamdem ſententiam hæc dedit Theſi 1.

In actibus quoque Beatorum, imò & in viſione beatificâ, tanta reperitur libertas, ut ſi ita divinæ bonitati placuiſſet, & tempus meriti non ad viam reſtrictum eſſet; AD MERENDVM FORET SVFFICIENTISSIMA.

His conſentanea dedit idem Doctor Lovanii die 21. Auguſti 1666. & die 12. Decembris 1668.quæ brevitatis ſtudio tranſilimus.

IOANNES SINNICH S. T. D. Lovanii die 28. Februarii 1651. ſic paucis abſolvit Theſi 2.

Ad viſionem beatificam in voluntate ſequitur quidam Dei amor, ... AMOR ILLE LIBER, ET, QVANTVM EX PARTE ACTVS, MERITORIVS EST.

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D.Lovanii die 23.Martii 1647. etiam paucioribus abſolvit Theſi 2.

DEVS LIBERE AMAT SEIPSVM.

IACOBVS PONTANVS S.T.D.Lovanii die 3.Auguſti 1656. aliquanto operoſius etiam acceerſitâ auctoritate S.Thomæ ſic ponens Theſi 2.

Liberum non ſolum reperitur in Viatoribus; ſed etiam in Deo, Angelis, & Beatis; quod juxta D. THOMAM lib 3.contra gentes cap. 138.etiamſi ſit aliqua neceſſitas ex interiori inclinatione procedens, laudem tamen virtuoſi operis non minuit, ſed auget: illâque feliciſſimâ neceſſitate beati non premuntur, ſed fruuntur.

Etſi hoc non agamus,ut infirmemus eas Doctrinas,quas referimus ſolâ causâ informandæ S.Sedis: nimis tamen difficile eſt, hoc loco non notare intolerandum abuſum auctoritatis *S. Thomæ*, præcipuè cum animadvertamus quoſdã alios ex his noſtris hoc loco *S. Thomæ* abuſos eſſe. Doctor Angelicus illo capite 138.profitetur ipſo titulo, ſe agere *de errore eorum qui vota impugnant*. Impugnabant autem hoc argumento: *Vnumquodque bonum, quantò liberius agitur, tantò virtuoſius eſſe videtur. Quantò autem ex majori neceſſitate quis ad aliquid obſervandum adſtringitur, tantò minus libere id agere videtur: videtur igitur derogari laudabilitati virtuo-*

virtuoſorum actuum per hoc, quod ex neceſſitate obedientiæ, vel voti fiunt....

Ad hæc illico reſpondet *S. Thomas* his verbis: *Videntur autem hujuſmodi homines neceſſitatis rationem ignorare. Eſt enim duplex neceſſitas: quædam coactionis: & hæc laudem virtuoſorum actuum diminuit: quia voluntario contrariatur: coactum enim eſt, quod voluntati contrariatur. EST AUTEM QUÆDAM NECESSITAS EX INTERIORI INCLINATIONE PROCEDENS; ET HÆC LAUDEM VIRTUOSI ACTUS NON MINUIT, SED AUGET. Facit enim voluntatem magis intenſe tendere in actum virtutis.* Putamus, non eſſe his quidquam addere, ut intelligat perſpicax lector, quam fraudulenter adhibita ſint verba *S. Thomæ* ex lib. 3. contra Gentes cap. 138. Ait *S. Thomas* neceſſitatem voti, ſolius obligationis nomine ſic dictam, augere laudem virtuoſi operis, quia ſuſcipitur liberâ voluntate, liberâque animi inclinatione; adeoque facit magis intensè tendere in actum: hæc ſic accipit Doctor *Iacobus Pontanus*; ac ſi abſoluta neceſſitas, modo ex inclinatione interiori procedat laudem boni operis diceretur augere; hinc etiam conficiens libertatem Beatorum in illis actibus, in quibus neceſſitatem patiuntur, puta in amando Deo. Judicet Sapiens Lector.

IOANNES DE WITTE S.T.P. Antverpiæ die 13. & 14. Julii 1671. Aſſertionem paucis ſic expreſſit Theſi 17.

Amor Beatorum, quo Deum amant, ET EX PARTE LIBERTATIS, ET EX PARTE ACTUS, MERITORIUS EST.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S.T.P. in Tungerloo die 2. & 3. Septemb. 1676. dictu nefas exiſtimavit, non eſſe proprie liberum amorem, quo Beati Deum amant, aut Deus ſeipſum. Sic loquitur Theſi 6.

Rejicimus igitur relatam modò de Libertate deſcriptionem; quia ex illâ manifeſtè ſequitur, auctoribus illius etiam non diſſitentibus, non eſſe veri, & proprii dicti nominis libertatem in amore, quo Deus amat ſe pſum, ſicut & nec in amore, quo beati diligunt Deum.

FLORENTIUS DE COCQ S.T.P. Antverpiæ die 10. Martii 1677. aſſertionem depinxit variè Theſi 15.

Liberi ergò quoque fuerunt ſancti in gratiâ confirmati, nec ideo illorum diminuta libertas, quia minor ad malum, aut bonum omittendum indifferentia: talem enim indifferentiam ad libertatem minimè requiſivit Angelicus Doctor in 3. Diſt. 8. a. 2. ubi ait: etſi liberum CHRISTI arbitrium etiam eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem, aut etiam rationem laudis, ſive meriti: quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui Dominus. Rem illam plenius fortaſſe abſolvet BONAVENTURA in 2. Diſt. 25. q. 1. Liberum arbitrium, ait, poteſt dupliciter conſiderari, aut ſecundum quod liberum, aut ſecundum quod deliberans. Si loquamur de ipſo ſecundum quod liberum, ſic concedo quod poteſt eſſe non ſolum reſpectu contingentis, ſed etiam neceſſarii; ſicut patet in Deo, in CHRISTO, & in Angelis, & hominibus beatis: cum enim duplex

ſit neceſſitas, videlicet coactionis, & immutabilitatis, neceſſitas coactionis repugnat Libertati arbitrii; neceſſitas verò immutabilitatis non .... ne ergo eo uſque vacilles, ut mox, ut NECESSE *inſonat, liberum abdices: non enim omnis neceſſitas libertatem adimit .... nonne & liber eſt* CHRISTVS, *qui neceſſe diligit Deum, ut ante docuit* D. THOMAS? *Nonne liberi beati in cælo, qui felici neceſſitate fini ſuo indeficienter inhærent?*

Hic notet Lector 1. teſtimonium illud *D. Thomæ*, quod legit in hac Theſi, ſumptum videri, unde hi Doctores, & Profeſſores ſumunt pleraque; ex *Auguſtino* videlicet *Cornelii Ianſenii*: nam hic Doctor non omiſit illud adhibere lib. *6. de gratiâ Chriſti* cap. 38. col. 730. niſi quod Profeſſor erraverit in ſcribēdâ citatione *Diſt*. 8. ſcribere debuiſſet *Diſt*. 18. Non hoc agemus, ut vindicemus *D. Thomam* à calumniâ: centies id actum eſt luculentè contra novatores. Obiter obſervamus quid ſit *eſſe Dominum ſui actus* ſecundum AngelicumDoctorem 1. p. q. 82. a. 1. ad 3. *Dicendum, quod ſumus Domini noſtrorum actuum, ſecūdum quod poſſimus HOC, VEL ILLVD ELIGERE*: ad hæc, diſtinguendum eſſe inter neceſſitatem ad unum numero objectum, & ad unum numero actum: Denique illud *non coactè, ſed ſponte*, excludere neceſſitatem agendi ex mente *D. Thomæ*: quia lib. 1. contra gentes cap. 88. ſic ratiocinatur: *Liberum arbitrium dicitur reſpectu eorum, quæ NON NECESSITATE quis vult, SED PROPRIA SPONTE. Vnde in nobis liberum arbitrium eſt reſpectu ejus, quod volumus currere, vel ambulare. Deus autem alia à ſe non ex neceſſitate vult, ut ſuprà oſtenſum eſt; Deo igitur liberum arbitrium competit.* His adde quod *D. Thomas* non uno loco, ſed in primis quæſt. *6. de malo* art. unico in corp. de novâ opinione neceſſitatem aſſerentium in hoc ſtatu etiam citra coactionem, ſimpliciter pronuntiaverit; *HÆC AVTEM OPINIO EST HÆRETICA: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus.*

Notet 2. Lector, alterum teſtimonium *S. Bonaventuræ*, quod adhibet Profeſſor, adhibitum ſimiliter eſſe ab ejus Doctore *Ianſenio* lib *6. de gratiâ Chriſti* cap. 26. col. 705. & ante *Ianſenium* adhibitum fuiſſe à *Calviniſtis*, contra quos Eſtius in 2. Diſt. 25. §. 2. Hæc adnotaſſe ſufficiat ad Theſim tam ſpecioſam auctoritate gemini Doctoris Eccleſiæ *S. Thomæ, & S. Bonaventuræ*.

GERMANVS PHILALETHES EVPISTINVS, ſeu *CAROLVS AB ASSVMPTIONE* S. T. Profeſſor Duaci concludere hunc locum meretur. Nemo operoſius pro Libertate amoris Beatifici decertavit. Videbat plane, ex iis, quæ & in libro *de ſcientiâ mediâ ad examen revocatâ*, & in altero libro *de libertate*, diſputaverat univerſe de libertate ad meritum, & demeritum requiſitâ, eſſe conſequens, amorem Beatificum eſſe liberrimum. Quare anno 1671. libro *de libertate* toto capite 9, bene prolixo hoc agit ex profeſſo, ut oſtendat liberrimum eſſe amorem illum. Titulum capiti hunc præfigit: *Concluditur, Beatum habere perfectiſſimum amoris ſui beatifici dominium.* §. 1. hunc titulum ponit: *Ex Vanitate conditionis ab Adverſariis requiſita, deducitur amoris Beatifici perfectiſſimum*

Domi-

Dominium. §. 2. hunc titulum : *Ex naturâ Syllogiſmi practici deducitur, Beatum habere perfectiſſimum amoris ſui Beatifici dominium.* §. 3. hunc ; *Confirmatur doctrina præcedens ; & Angelicis teſtimoniis corroboratur.* Hic verò non niſi geminum affert *S. Thomæ* teſtimonium ; ſed utrumque petitum ex *Auguſtino Cornelii Ianſenii* ; alterum ſcilicet ex *D. Thomæ* commentariis in 2. diſt. 25. q. 1. a. 1. ad 4. quod invênit apud *Ianſenium* lib. 6. *de gratiâ Chriſti* cap. 24. col. 701. Alterum ex commentariis ejuſdem in 3. diſt. 18. a. 2. ad 5. quod invênit ibidem col. 700. Confidentius affirmamus hæc illum ſumpſiſſe à *Ianſenio:* quia hoc illi eſt familiare, non ſolum teſtimonia Sanctorum, ſed etiam paginas ad verbum ſumere à *Ianſenio*, quod demonſtratum eſt pridem, neque ipſe negavit reſpondês, ſed potius faſſus eſt, ut ſupra explicuimus. Reliquos titulos illius opuſculi exhibeamus : §. 4. hæc præfigit : *Neceſſitas amoris beatifici eſt neceſſitas naturalis inclinationis, tenens ſe ex parte minoris, & ideo non excludens perfectiſſimum ejus Dominium.* §. 5. hæc : *Concordantur utriuſque ſolis Diſcipuli.*

Porro hunc §. 5. ſic orditur. *Quemadmodum ad unitatem idem ſapiendi, circa differentiam gratiæ in naturâ ſanâ, & lapsâ reducere tentavimus in primo opuſculo, utriuſque ſolis Diſcipulos : ita & circa libertatem id ipſum tentamus in præſenti opuſculo.* Diſcipulos autem utriuſque ſolis intelligit Diſcipulos *S. Auguſtini*, & *S. Thomæ.* Diſcipulos vero *S. Auguſtini* intelligit *Ianſenianos* : quod eſt evidens : quia in priori opuſculo, ſeu libro *de Scient. med. ad examen revocatâ* ut oſtendat, non eſſe diſcrimen quoad rem inter gratiam efficacem aſſertam à Diſcipulis *S. Auguſtini*, & aſſertam à *Thomiſtis*, objicit ſibi num. 96. & ſequentibus ſeptem diſcrimina, eadem prorſus de verbo ad verbum, quæ contra gratiam prædeterminantem tamquam à ſuâ diverſam objecerat *Cornelius Ianſenius* in ſuo *Auguſtino* lib. *de gratia primi hominis* cap. 20. Atque hæc diſcrimina poſtquam conatus eſt oſtendere, eſſe ſolum imaginaria gloriatur num. 105. *de evulſis prædeterminationis phyſicæ aculeis, quibus hæc prædeterminatio Doctrinam S. AVGVSTINI de gratiâ primi hominis, & Angelorum pungere à Diſcipulis S. ejuſdem Doctoris videbatur.* Atque hic eſt *Philalethes* cujus liber *de Scient. Med. ad exam. revoc.* tam magnificè eſt approbatus à tot S. Theologiæ Doctoribus in Belgio, quia etiam jactare audet in ſuo *Funiculo Triplici* num. 47. num. 206. & ſequentibus, Doctrinam ſuam delatam ad Congregationem Indicis & S. Inquiſitionis evaſiſſe immunem à cenſurâ, & putidiſſime gloriatur de Patrocinio quorumdam S.R.E. Cardinalium.

§. 6.

Aſſertiones continentes fuçum cujuſdam Libertatis indifferentiæ.

NImis decantata eſt Theologis pariter, & Philoſophis Libertas indifferentiæ etiam pro hoc ſtatu naturæ lapſæ, quam, ut illi ſimpliciter valedicere ſtatuerint hi noſtri Theologi. Fucos ergo indifferentiæ varios induxerunt. Specimina quædam videamus.

LAURENTIUS NEESEN S. T. P. Mechliniæ anno 1675. in ſuâ Theologiâ morali *de actibus humanis* tract. 5. dub. 3. pag. 87. induxit nobis indifferentiam quamdam remotam his verbis.

Proximam proinde in ſtatu innocentiæ habebat homo indifferentiam ad bonum, & malum, MODO TANTUM REMOTAM.

Adnotandum eſt, hunc Profeſſorem non agnoſcere in hoc ſtatu gratiam proxime ſufficientem, quæ non ſit efficax, ut oſtendi ejus verbis ſuprà relatis cap. 2. §. 2. Quando igitur ait, in hoc ſtatu ſolum dari indifferentiam remotam ad peccandum ex. c. & non peccandum, cum homo peccat, non eſt exiſtimandum, quod agnoſcat quamdam potentiam remotam ad non peccandum, quam poſſit homo facere proximam orando ex. c. aliove pio exercitio, ad quod habeat gratiam proximè ſufficientem: quia gratia proximè ſufficiens nulla eſt per hunc Profeſſorem, niſi efficax: efficacem autem non habet ille homo; cum reipsâ non oret: ergo ſimpliciter non habet ille homo gratiam proximè ſufficientem, ut illam potentiam remotam ad non peccandum efficiat proximam. Ex his patet indifferentiam illam remotam, quam agnoſcit Profeſſor in hoc ſtatu, eſſe fucum quemdam indifferentiæ.

Fucum eumdem aliter propinavit ibidem tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 557. & 558. his verbis.

Dices ad implendum aliquod præceptum requiritur libertas; ſed hæc nequit ſubſiſtere, ubi deeſt gratia proxime ſufficiens; eò quòd illa conſiſtat in proximâ potentiâ ad agendum, vel non agendum. Reſp. negando confirmationem ſubſumpti; & dicimus illam conſiſtere IN POTENTIA REMOTA AD AGENDUM, VEL NON AGENDUM.

Fucum novum, & bene craſſum miſcuit iis verbis, quæ ſubjicimus ex eodem loco pag. 558. & 559 & ubi ſic diſſerit.

Dices; herus aliquis eſſet cenſendus Tyrannus, qui famulum ex fractâ tibiâ impotentem obligaret ad ambulandum: ergo & Deus erit cenſendus tyrannus, ſi homini infirmo, nec habenti ſufficientem gratiam ad implendum mandatum equidem illud imperet fieri. Reſp. & dico primò: hunc nodum debere ſolvi ab adverſariis requirentibus gratiam ſufficientem; & ab illis petendum, an infideles non obligentur amare Deum ſuper omnia, dolere de peccatis propter Deum ſummè bonum offenſum; quæ tamen ipſi potentiâ proximâ

mâ nequeunt implere ; utpote carentes fide : præterea ab ipſis petendum, an infideles non obligentur ſervare totam legem naturæ, quod tamen nequeunt facere ſine ſpeciali gratiæ auxilio, quod ipſi non habent .... Reſpondeo in formâ, & dico ; non ſtatim aliquid cenſendum nobis impoſſibile, quod non poſſumus exequi potentiâ proximâ ; neque enim obſervatio præceptorum æqualiter ab hominibus eſt poſſibilis .... homini verò pagano & infideli, qui de Deo nihil umquam audivit, obſervatio præcepti de Deo diligendo, eſt poſſibilis potentiâ valde remotâ : qui tamen omnes ſimpliciter dicendi ſunt poſſe implere illud præceptum, etiam hic ultimus, IN QVANTVM HABET LIBERVM ARBITRIVM ADHVC FLEXILE AD BONVM ET MALVM ; CVI PROINDE DEVS POTEST DARE GRATIAM, QVA FIAT PROXIME POTENS ad implendum præceptum, ut oportet.

Quam difficiles nodos objiciat ſolvendos adverſariis judicet eruditus Lector. Nos adnotaſſe habebimus ſatis fucum indifferentiæ novum, & bene craſſum. Homo paganus & infidelis, qui de Deo nihil umquam audivit, ſimpliciter dicendus eſt indifferens ad implendum præceptum dilectionis Dei, & poſſe illud implere, *in quantum habet liberum arbitrium adhuc flexile ad bonum & malum, cui proinde Deus poteſt dare gratiam, quâ fiat proximè potens &c.* Si hoc ſatis eſt ad demerendum, uti cenſet hic Profeſſor, nulla impoſſibilitas, nulla neceſſitas, nulla nequidem coactio obeſt libertati requiſitæ ad demerendum : nulla enim auferet *liberum arbitrium flexile &c.*

Fucum illum indifferentiæ craſſum continent etiam hæc, quæ dedit idem *LAVRENTIVS NEESEN* in eâdem Theol. Mor. *de Actib. humanis* Tract. 5. dub. 4. pag. 90. his verbis.

Qui deſtituitur divinâ gratiâ, poteſt benefacere, non quidem proximè, quaſi gratiâ ſufficiente ſemper præmunitus, ſed quia quâcumque tandem peccati voluptate trahatur, REMANET NIHILOMINVS IN ILLO naturalis capacitas ad credendum, ſperandum, & amandum Deum.

Patet etiam hîc, nullâ neceſſitate, impoſſibilitate, coactione auferendam illam *capacitatem naturalem* ; adeoque nullam neceſſitatem, impoſſibilitatem, aut coactionem poſſe officere libertati ex doctrinâ hujus Profeſſoris.

Fucum paulò ſubtiliorem induxit idem *LAVRENTIVS NEESEN*, cujus laus ipſi non debetur : invênit enim compoſitum à *Cornelio Ianſenio* ; ſed induxit ipſe his verbis in eâdem Theol. Mor. *de Act. hum.* Tract. 5. dub. 3. pag. 87.

Petes, an homo in ſtatu naturæ lapſæ ſit indifferens ad peccandum ſine gratiâ Dei. Reſp. omnino ; tam quoad ſpeciem, quam quoad exercitium : poteſt enim facere peccatum hujus, vel illius ſpeciei ; item unum, & idem peccatum facere, vel omittere. V. G. dum tentatur ad ebrietatem, vel luxuriam, poterit ex timore infamiæ, vel vanâ gloriâ omittere, & clavum clavo pellere, idque etiam ſine ullâ Dei gratiâ.

Quæ eſſent adnotanda ad hunc fucum, ea dedimus cap. 1. §. 3. ubi ſimilem nobis occaſionem præbuit idem Profeſſor. Fucum vero hunc compoſuit *Corn.*

Ianſenius lib. 4. *de ſtatu nat. lapſa* cap. 19. & 20. ubi deteſtatam ſibi millies indifferentiam prædicatam à ſcholaſticis, conatur ſibi vindicare. Nos vide loco citato, ubi & oſtendimus fucum inſeliciter compoſitum principiis ipſis Janſenianis nequaquam congruere.

Hæc nobis ſuppeditabat hoc loco *LAVRENTIVS NEESEN* S. Theologiæ in Archiepiſcopali gymnaſio Mechliniæ Profeſſor veteranus, & non parvi nominis in Belgio, ſcriptis etiam libris nomen ſibi augens ferè quotannis.

GERMANVS PHILALETHES, aliàs *CAROLVS AB ASSVMPTIONE* S. T. P. Duaci, primum quidem Anno 1671. in Libro *de Libertate* num. 22. fucum & ipſe induxit non ſuum, ſed *Corn. Ianſenii*, ut videbimus. Sic docet laudatus ſæpe Profeſſor *Philalethes* illo num. 22.

Ille enim poteſt non agere, qui ideo non agit, quia non vult agere, & ſi vellet, ageret: nec ad hoc requiritur, ut aliquando ſit ſine actu, aut poſſit ſuſpendere actum; ſed dato, quod ſemper ageret, nec poſſet ab actu ceſſare, aut eum ſuſpendere, adhuc hæc conditionalis eſſet vera, ſi non vellet, non ageret, & ideo agit, quia Vult: quod ſufficit, ut negatiō actus dicatur eſſe in poteſtate volentis, ejuſque Dominio. In hoc videntur deficere juniores, quod negationem actus putent non eſſe in poteſtate volentis, ſi non poſſit aut ſuſpendere actum, aut ceſſare ab actu ..... ; non ergo requiritur ad hoc, quod negatio actus ſit in meâ poteſtate, ut poſſim velle non agere; ſed ſufficit, ut poſſim velle agere, & actio ad meam ſequatur voluntatem.

Subtilitas tota hujus fuci indifferentiæ cujuſdam ad agendum, & non agendum, accepta eſt referenda *Cornelio Ianſenio*, qui eam magno conatu procudit lib. 6. *de gratiâ Chriſti* cap. 4. 5. aliiſque, ſed imprimis cap. 35. ubi col. 719. *omnis*, inquit, *Voluntatis deliberata motus eſſentialiter quoque talem indifferentiam contradictionis quodam ſenſu ſecum trahit ... ... Si præſto eſt* voluntas, *cum volumus, & non præſto eſt, cum nolumus: ergo libera eſt nobis* (libertate ſcilicet indifferentiæ) *Si verò perpetuò, & ſtabiliter velit, perpetuò, & ſtabiliter præſto eſt, perpetuò & ſtabiliter libera eſt.* Unde & de Beatis Deum amantibus loquens col. 721. *Poſſent*, inquit, *Volitionem ſuam mutare, ſi vellent ...... ſed ratio mutandi nulla præſto eſt, & ideo numquam mutare volunt .... Hinc fit ut iſto ſenſu etiam abruptio, ſeu ceſſatio illius voluntatis, ſit in poteſtate; quia fit, cum volunt.* Reliqua perlegenti & conferenti patebit, quam plenè hoc loco Magiſtri ſui ſenſum omnem hauſerit *GERMANVS PHILALETHES EVPISTINVS.*

Fucum indifferentiæ dedit alterum, de quo non putamus veniſſe in mentem *Cornelio Ianſenio*. Luſit Philalethes in eodem libro *de libertate* num. 51. 52. his verbis objiciens ſibi, & reſpondens.

Objicies: Dominium actus conſiſtit in poteſtate agendi, & non agendi ..... Reſpondetur, diſtinguendo majorem: Dominium actus conſiſtit in poteſtate agendi, & non agendi poſitivè negatur: & non agendi negativè conceditur .... ipſa poteſtas ſe applicandi ad actum eſt etiam poteſtas non agendi negativè, *SIVE POTESTAS IMPEDIENDI NEGATIONEM*

GATIONEM ACTUS. Ad dominium ſui actus ſufficit, quod negatio actus poſſit impediri per determinationem propriam ad actum.

Si attenderit Lector, non eſt opus adnotatione. Tantum animadvertat, quod *agere, & impedire negationem actus* idem reipsâ ſunt. Igitur *poteſtas agendi*, & non *agendi negativè*, ſive *impediendi negationem actus* aliud nihil eſt, quam *poteſtas agendi*. Eſt ergo hic fucus indifferentiæ perridiculus.

Præterire non poſſumus quemdam fucum indifferentiæ, quem non invenimus quidem diſertis verbis expreſſum aliquo libro, vel Theſi; ſed exiſtimamus placere permultis. Res eſt repetenda aliquantò altius.

IOANNES LACMAN nuper Philoſophiæ Profeſſor, nunc S.T. Doctor Lovanii die 7. Julii, & aliis diebus anno 1670. defendit quaſdam Theſes Philoſophicas, in quibus Theſis 5. Metaphyſicæ continebat hanc Aſſertionem Theologicam, de quâ & ſuprà fuit mentio.

Gratia efficax cum Libertate noſtrâ .... valde bene conciliari videtur, dicendo quod gratia efficax conſiſtat in certâ illuminatione mentis, in delectatione voluntatis circa aliquod objectum, & in eo, quod abſit aqualis, vel major delectatio obſiſtens. NAM QUOD MAGIS DELECTAT, SECUNDUM HOC AGAMUS NECESSE EST.

Hæc Theſis fuit calidè oppugnata in diſputatione: laboravit vero Profeſſor, ut ſalvaret indifferentiam libertatis humanæ gratiâ efficaci præventæ: tandem hunc indifferentiæ fucum dedit: Ex parte voluntatis præventæ efficaci gratiâ omnia ſunt indifferentia: voluntas enim ipſa eſt indifferens: delectatio gratiæ quoque eſt indifferens: quia eadem modò eſt efficax, modò non eſt efficax, prout conjungitur cum minori, vel majori, aut æquali delectatione contrariâ: igitur in voluntate præventâ gratiâ efficaci omnia ſunt indifferentia: quia negatio majoris, vel æqualis delectationis concupiſcentiæ, ſub quâ delectatio gratiæ eſt efficax, & victrix, eſt ſolum negatio, & merum nihil; quod autem nihil eſt, indifferentiæ officere non poteſt. Hæc ille Profeſſor magnâ ſuorum approbatione. Hunc fucum indifferentiæ convincit Theſis ipſa Profeſſoris extremâ ſui parte; *Quod magis delectat, ſecundum hoc agamus neceſſe eſt*: Magis delectare importat negationem majoris, aut æqualis delectationis contrariæ: hinc verò oritur iſtud; *agamus neceſſe eſt*. Denique evidens eſt ex obſervatione præambulâ ad caput præſens, illam qualemcumque indifferentiam non fuiſſe repudiatam à *Cornelio Ianſenio*, in cujus ſenſu damnata eſt propoſitio Tertia ex Quinque.

CAPUT IV.

Specimen Doctrinæ Theologicæ de Hæreſi Semi-Pelagianorum circa prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem.

OBSERVATIO PRÆAMBULA.

Ad Propoſitionem quartam ex Quinque Ianſenianis.

Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

DE hâc Propoſitione *Innocentius* X. Conſtit. *cum occaſione*, & *Alexander VII.* Conſtit. *Ad Sacram*, ſic definiverunt: *falſam, & hæreticam declaramus, & uti talem, damnamus*, & quidem *in ſenſu à* CORNELIO IANSENIO *intento*, uti declaravit *Alexander VII.*

Propoſitionem tradidit *Cornelius Ianſenius*, cum alibi, tum lib. 8. de Hæreſi Pelagianâ cap. 6. ubi col. 455. de Maſſilienſibus, ſeu Semi-Pelagianis, ſic loquitur: *utrum autem præterea internam aliquam gratiam .... ad credendum neceſſariam eſſe ſentiant, perplexior difficultas eſt.* Poſt longam diſputationem concludit in hæc verba col. 462. *in hoc ergo propriè Maßilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellet: neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus relictus eſſet in uniuscujuſque arbitrio, & poteſtate.*

De ſenſu, quo Propoſitionem hanc tradidit Auctor, non eſt operæ pretium hîc occupari, partim quia planus eſt, partim quia circa hanc Propoſitionem Quartam, quatenus affert quid diſtinctum ab eâ doctrinâ, quæ continetur in prioribus tribus, parum verſati videntur hi noſtri Theologi, quorum doctrinam exponimus.

Etenim prima Pars hujus Propoſitionis eſt Hiſtorica, ut patet. Poſterior pars, quatenus doctrinam affert, continetur in Propoſitione Primâ, & Tertiâ; imò & in Secundâ, ut conſideranti patebit: huic verò doctrinæ ſuperaddit cenſu-

cenſuram Hæreſis Semi-Pelagianæ in doctrinam Catholicam affirmantium, *Interiori gratiæ poſſe humanam voluntatem reſiſtere, vel obtemperare.*

Neque tamen Propoſitionem Quartam reliquerunt prorſus intactam. Hoc videamus.

§. UNICUS.

Aſſertiones referendæ ad Quartam Propoſitionem ex Quinque Ianſenianis.

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D.Lovanii die 22. Novembris 1651.aſſertionem hanc dedit Theſi 1.

GRATIA VOBIS. Quam non ſolum Semi-Pelagiani docebant omnibus dari; ſed fatebantur inſuper prævenire eorum voluntates,quibus ea gratia dabatur: ſed tale erat adjutorium primi ſtatus,quod deſereret ADAM, cum vellet,& in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Aug.de Corr.& grat.cap.11.

His verò conſtat ineſſe primàm partem Quartæ Propoſitionis. Poſterior verò pars minimè obſcurè inſinuatur; ſi ex iis, quæ ſuprà docentem audivimus hunc Doctorem de gratiâ & libertate, attendas, in quem ſenſum accipere hoc loco videatur verba *Auguſtini* quibus ſe explicat.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S.T. Profeſſor in Tungerloo die 2.& 3. Septembris 1676. hæc propoſuit Theſi 24.

At, dicet aliquis, Semi-Pelagiani dicebant, initium fidei eſſe ex nobis, non verò ex gratiâ, ergo ipſos inter, & Moliniſtas magnum eſt Chaos. Sed contra nos dicimus, non tantum initium fidei,ſed & reliqua bona opera fidem ſubſequentia, in ſententiâ Moliniſtarum ſunt ex nobis: non enim ideo Semi-Pelagiani dicebant, initium fidei eſſe ex nobis,quia ad illud non prærequireretur gratia; ſed quia ad illud non putabant neceſſariam gratiam voluntatis determinatricem,hoc eſt de ſe efficacem, dantem ipſum primum actum fidei.

Continent & hæc ſine dubio priorem partem propoſitionis Quartæ. An & contineant partem poſteriorem judicet ſapiens lector ex iis quæ hunc Profeſſorem audivimus ſuprà differentem in materia de gratiâ & libertate.

Quæ ſunt alia plurima pertinentia ad Propoſitionem Quartam ex Quinque *Ianſenianis*, quatenus hæc doctrinam continet,ea dedimus ſuprà ad tres propoſitiones priores.Quare ad alia pergere nobis licet.

CAPUT V.

Specimen Doctrinæ Theologicæ de Morte Chriſti pro omnibus.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Quintam Propoſitionem ex Quinque Ianſenianis.

Semi-Pelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

De hâc propoſitione *Innocentii X.* Conſtit. *cum occaſione*, & *Alexander VII.* Conſtit. *Ad Sacram* ſic definiverunt. *Falſam, Temerariam, Scandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut CHRISTVS pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit: Impiam, Blaſphemam, Contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Et quidem *in ſenſu à Corn. Ianſenio intento*, ut declaavit *Alexander VII.*

Propoſitionis primam partem *Cornelius Ianſenius* tradidit lib. 3. *de gratiâ Chriſti* cap. 21. col. 386. his verbis. *Nec enim juxta doctrinam antiquorum, pro omnibus omnino CHRISTVS paſſus, aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit, cum hoc potius tamquam errorem à fide Catholicâ abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.* Inter antiquos illos memoraverat etiam *S. Auguſtinum.*

Poſteriorem partem de morte Chriſti pro ſolis prædeſtinatis tradidit ibidem poſt pauca ſic docens; *Quibuſdam hominibus dare prædeſtinavit fidem, Charitatem, & in eâ perſeverantiam uſque in finem, quos abſolutè prædeſtinatos, electos, & ſalvandos dicimus .... pro iſtis in æternum vivificando mortuus eſt; pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum, non pro cæteris, qui à fide & Charitate deficientes, in iniquitate moriuntur.* Hoc agit toto illo cap. 21.

Quia verò damnata eſt propoſitio in ſenſu à *Corn. Ianſenio* intento, adnotandum 1°. eſt, hoc unum contendiſſe *Ianſenium*, Morte ſuâ *Chriſtum* nullo modo intendiſſe perſeverantiam, aut ſalutem æternam reproborum, ſed ſolorum Electorum: nihil interea moratus eſt admittere, alio quodam ſenſu Chriſtum eſſe mortuum pro reprobis. *Pro his enim*, inquit, eâdem col. 386. *in tantum mortuus eſt, & in tantum propitiatio peccatorum eſt, & in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibuſdam divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt.*

Adno-

Adnotandum 2°. nihil etiam moratum eſſe admittere mortuum eſſe Chriſtum pro omnium ſalute quoad meram ſufficientiam pretii, ſine intentione mortem dirigente ad ſalutem omnium. Etenim lib. 3. *de gratiâ Chriſti* cap. 21. col. 381. 382. dicit eo modo, quem S. Proſpero affingit, facilè ſolvi locum 1. Timoth. 2. ubi dicitur Chriſtus *redemptionem ſemetipſum dediſſe pro omnibus*: & col. 382. *ſolutio*, inquit, *iſta facilis eſt*. Sed denique eam oſtendit non valde ſibi placere, quia iſtum modum loquendi non uſurpavit *Auguſtinus*, & quia ſic etiam pro ſalute dæmonum dici poſſet mortuus eſſe *Chriſtus*.

§. I.

Aſſertiones affirmantium CHRISTUM eſſe mortuum pro ſolis prædeſtinatis.

VAriè id affirmarunt varii: hic eas Aſſertiones proponimus, quibus id ſimplicius quidam affirmarunt partim diſertè, partim æquivalenter.

ANDREAS LAURENT S.T.D. Lovanii rem ipſam publicis Theſibus expreſſam propoſuit non ſemel. Die 11. Auguſti 1651. hæc dedit Theſi 3.

ET ANIMAM MEAM PONO PRO OVIBUS MEIS; ſcilicet electis, pro quorum æternâ ſalute (NON ITEM REPROBORUM) rectè dicitur mortuus eſſe CHRISTUS.

Doctor idem Lovanii die 10. Novembris 1651. Theſi 2.

PERIBIT INFIRMUS IN TUA SCIENTIA FRATER, PROPTER QUEM CHRISTUS MORTUUS EST: ſi hinc inferas, Chriſtum pro æternâ ſalute ullius reprobi fudiſſe ſanguinem, NEGABIMUS CONSEQUENTIAM.

His rectè quadrat argumentatio, quam Doctor idem Lovanii die 20. Auguſti 1660. propoſuit his conceptam verbis Theſi 3.

Proinde CUM PLURIMI HOMINES AD SALUTEM ÆTERNAM NON PERVENIANT, perperam exiſtimamus, verè Deum voluntate beneplaciti velle, & quantum eſt ex parte ſuâ, deſiderare, ut omnes omnino homines ad æternam ſalutem perveniant.

Oſtendit hæc argumentatio, ex mente hujus Doctoris nullius reprobi ſalutem Deum verè velle; adeoque neque pro ullius reprobi ſalute mortuum eſſe *Chriſtum*.

IACOBUS PONTANUS S.T.D. Lovanii die 20 Januarii 1661. argumentationem dedit priori ſimilem Theſi 2.

CUM SCIAMUS, QUAM PLURIMOS HOMINES AD SALUTEM ÆTERNAM NON PERVENIRE, non debemus æſtimare Deum voluntate beneplaciti velle, & quantum eſt ex parte ſuâ, deſiderare, & optare, ut omnes omnino homines ad æternam ſalutem perveniant. quod tamen propterea non obtineat, quia bona ejus voluntati obſiſtat mala voluntas hominis.

Huic

Huic argumentationi fundamentum quoddam poſuit idem Doctor Lovanii die 17. Junii 1664. Theſi 3.

Perperam imaginamur, vere Deum voluntate beneplaciti velle, & quantum eſt in ſe, optare, ut omnes ſalutem conſequantur.

LAURENTIUS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1675. his conſectanea dedit in ſuâ Morali Theol. *de act. hum.* tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 556.

Prænotandum 1. nos non debere imaginari in Deo voluntatem, ſtudium, & conatum; quibus, quantum in ipſo eſt, conetur, & agat, ut aliquid aſſequatur, quod tamen non obtinet; quaſi bonæ ejus voluntati reſiſtat mala hominis voluntas &c.

Hæc ille objecto ſibi loco *Iſaiæ* cap. 5. *quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* Solam hic agnoſcens voluntatem quamdam ſigni.

GERARDUS VAN WERM S. T. D. Lovanii die 9. Martii 1652. ſic poſuit Theſi 3.

UT OMNIS, QUI CREDIT IN EUM, HABEAT VITAM ÆTERNAM: hoc loco ſatis manifeſtat ipſe Dominus PRO SOLIS ELECTIS, & prædeſtinatis ſe redemptionem dediſſe.

LIBERTUS FROMONDUS S.T D. Lovanii die 2. Octobris 1647. Aſſertionem brevem, ſed diſertam poſuit Theſi 2.

MALE DIXERIS pretioſum Chriſti ſanguinem PRO ULLIUS REPROBI æternâ ſalute Patri oblatum.

§. 2.

Aſſertiones reſtringentium ad ſolos prædeſtinatos locutiones S. Scripturæ generales de morte CHRISTI pro omnibus.

ABundant his reſtrictionibus Theſes Sacræ, quas Lovanii vocant, hoc eſt Theſes Theologicæ in textum Sacræ Scripturæ.

GERARDUS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 29. Julii 1643. locum 2. Petri 3. ſic reſtrictum dedit Theſi 4.

NOLENS ALIQUOS PERIRE; Electorum, morte æternâ.

IACOBUS PONTANUS S.T.D. Lovanii die 22. Octobris 1644. locum *Pauli* ad Tit. 2. ſic reſtrinxit Theſi 3.

QUI DEDIT SEMETIPSUM PRO NOBIS; Electis, quibus ſolis applicatum eſt pretium redemptionis; licet fuerit ſufficiens omnibus redimendis.

Ecce quia ſolis Electis plene applicatum eſt pretium redemptionis, pro ſolis Electis dicitur ſemet ipſum dediſſe *Chriſtus*: porrò de ſufficientia illa pretii nec *Ianſenius* dubitavit, ut conſtat ex obſervatione præambula ad hoc caput.

Doctor idem Lovanii die 10. Februarii anno proxime ſequenti, hoc eſt 1645. aſſertionem eandem etiam argumento confirmatam dedit Theſi 3.

QUI

QVI DEDIT SEMET IPSVM. In mortem. PRO NOBIS. Electis: ſicut enim Chriſtus Ioannis 17. pro ſolis Electis patrem rogavit, ita propriè tantum pro peccatis electorum finaliter abolendis ſacrificium propitiatorium Patri obtulit.

Accuratiſſimè Doctor idem Lovanii die 25. Junii 1652. reſtrinxit locum *Ioannis*, ſic ponens Theſi 2.

SIC DEVS DILEXIT MVNDVM, Electos ex mundo, VT FILIVM SVVM VNIGENITVM DARET; non pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æternâ ſalute.

Doctor idem Lovanii die 2. Maji 1653. Theſi 2.

NON PRO NOSTRIS TANTVM; SED ETIAM PRO TOTIVS MVNDI. Quod propter triticum dicitur, quod eſt per totum mundum, uti habet S. AVGVSTINVS Epiſt. 48. Nihil ergo hic locus facit ad ſtabiliendam nonnullorum ſententiam quo (qui) *CHRISTVM pro infidelium in infidelitate morientium; aut juſtorum non perſeverantium æternâ ſalute, mortuum eſſe volunt.*

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D. Lovanii die 8. Julii 1647. Theſi 2.

QVI OMNES HOMINES VVLT SALVOS FIERI. Quia ſcilicet omnes qui ſalvantur Deo volente ſalvi fiunt; ut ſit acceptio commoda.

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D. huic ſimilem aſſertionem propoſuit non ſemel. Die 8. Julii 1647. hæc legebantur Theſi 2.

QVI OMNES HOMINES VVLT SALVOS FIERI: non omnes omnino, ſed quicumque ſalvantur.

Rurſus die 9. Novembris eodem anno 1647. Doctor idem verbis fere totidem Theſi 2.

QVI OMNES HOMINES VVLT SALVOS FIERI. Non omnes omnino, ſed omnes quicumque ſalvantur.

LIBERTVS idem *FROMONDVS* S.T.D. Lovanii die 22. Novembris 1651. *Pauli* verbis nitide interpoſuit voculam Theſi 3.

SED PRO OMNIBVS Electis TRADIDIT ILLVM.

HENRICVS SCHAILLE S.T.D. Lovanii die 30. Auguſti 1675. ſimilem *Pauli* locum ſimiliter reſtrinxit Theſi 2.

QVI MORTVVS EST PRO NOBIS; electis.

CHRISTIANVS LVPVS S.T.D. Lovanii die 14. Auguſti 1651. Aſſertionem poſuit ſingularem Theſi 4.

QVI TRADIDIT SEMETIPSVM RPO NOBIS OBLATIONEM DEO. Non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, ac ſolis fidelibus.

FLORENTIVS DE COCQ S.T.P. Antverpiæ die 10. Martii 1677. Lovanienſibus Doctoribus ſuccinuit hac Aſſertione Theſi 21.

Sicuti illud, quod dictum eſt, OMNES IN CHRISTO VIVIFICABVNTVR, cum tam multi æternâ morte puniantur: ideo dictum eſt, quod omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in CHRISTO. Ita quod dictum eſt, OMNES

 HOMI-

HOMINES VVLT DEVS SALVOS FIERI, cum tamen multos nolit ſalvos fieri, ideo dictum eſt, quia omnes, qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt.

§. 3.

Aſſertiones cenſuram impingentes communi Doctrinæ de morte Chriſti pro omnibus, aut voluntate Dei ſalvandi omnes.

SI aut *Chriſtus* mortuus ſit pro omnium hominum ſalute, aut omnes homines Deus velit ſalvos fieri, conſtat omnibus hominibus offerri à Deo auxilia ad ſalutem aliquo modo ſufficientia; & contra, ſi omnibus offerantur auxilia ad ſalutem aliquo modo ſufficientia, conſtat *Chriſtum* eſſe mortuum pro ſalute omnium, & Deum velle, ut omnes ſalvi fiant. Conſideret ergo lector Aſſertiones, quas ſubdimus.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 16. Octobris 1649. Pelagianiſmum impegit communi doctrinæ Theſi 2.

IPSE EST PROPITIATIO .... NON PRO NOSTRIS TANTVM, SED ETIAM PRO TOTIVS MVNDI : non pro toto mundo, ſed pro his, qui electi erant. Non ergo omnibus ſufficientia gratiæ auxilia, quibus ſalvi fiunt, ſi velint, ſuppeditantur: hæc veriſſima AVGVSTINI Doctrina, ILLA PELAGII, ET DISCIPVLORVM EIVS.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 27. Februarii 1653. ſimili ſeveritate eſt uſus Theſi 2.

Falſum ergo VVLGATVM ILLVD SEMIPELAGIANORVM gratiam omnibus offerri, atque ingeri ad ſalutem.

Hæc & ſimilia haud immerito accipias tamquam dicta contra communem doctrinam affirmantium omnibus offerri à Deo auxilia aliquo modo ſufficientia ad ſalutem : nam ſi de gratiâ interiori ſtrictè dictâ accipias, neque hodie Theologi docent, neque olim Pelagiani, aut ſemi-Pelagiani dixerunt eam omnibus prorſus hominibus *offerri atque ingeri.*

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D. Lovanii die 27. Junii 1646. Theſi 2.

QVI VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI; non omnes omnino, quantum in ipſo eſt, aut modò ipſi velint : ut male AMBROSIASTER & PELAGIVS contra AVGVSTINVM, PROSPERVM ET FVLGENTIVM : ſed omnes, quicumque ſalvantur.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S. T. P. in Tungerloo die 2. & 3. Septembris 1676. totus eſt in eo, ut Molinam, ejuſque diſcipulos facit ſemi-Pelagianos Theſi 24.

Sunt qui putant, SEMI-PELAGIANOS quo ad multa, & quidem quo ad capitalia,

talia, quibuſdam MOLINÆ *diſcipulis eſſe contrarios, ſed revera falluntur ..... SEMI-PELAGIANI univerſis volebant hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis CHRISTI, ſine exceptione eſſe propoſitam. Hinc deducunt in Deo eſſe propoſitum univerſale de reſtaurando univerſo genere humano, & de omnibus ad unum uſque redimendis.*

§. 4.

Aſſertiones in ſpeciem, & fucatè affirmantium, Chriſtum non pro ſolis Prædeſtinatis eſſe mortuum.

FUcum alium, aliumque ſuggeſſit *Corn. Ianſenius*, ut vidimus in obſervat. præamb. ad hoc caput: illum omnem adhibuerunt hi noſtri.

IOANNES SINNICH S.T D Lovanii die 17. Auguſti 1650. duram Aſſertionem ſic lenire eſt conatus Theſi 3.

NON PRO MVNDO ROGO: pro quo nec fudit ſanguinem, NISI QVANTVM AD PRETII MAGNITVDINEM.

Non potuit diſſimulare *Ianſenius*, parum ſibi placere hunc fucum; quia alioqui & dici poſſet *Chriſtum* eſſe mortuum pro dæmonibus: cum & his liberandis ſuffecerit pretii magnitudo.

LIBERTVS FROMONDVS S. T. D. Lovanii fucos dedit varios: hunc quidem die 2. Octobris 1647. Theſi 3.

QVI EST SALVATOR OMNIVM HOMINVM. quia omnibus dat aliquam ſalutem juxta D. Chryſoſt. Ambroſianum commentarium, & alios. Vita enim temporalis, multaque vitæ hujus bona omnibus plane hominibus communia ſunt.

Doctor idem Lovanii die 14. Septembris 1652. ſic variavit Theſi 3.

Meruit verò omnibus Prædeſtinatis ſuam prædeſtinationem, juſtitiam, peccatorum remiſſionem, nec non perſeverantiam finalem, atque omne auxilium gratiæ, omnemque motum pium, quo ad juſtitiam diſponuntur, etiam iis, qui ejus nativitatem præceſſerunt. REPROBIS VERO QVIBVSDAM IVSTITIAM TEMPORALEM, nullis autem vitam æternam, aut media ad eam ſufficientia prometitus eſt.

Nec vitam æternam; nec media ad illam ſufficientia meritus eſt Chriſtus ulli Reprobo: attamen ut à *Ianſenio* didicit hic Doctor, profuit & Reprobis quibuſdam; cum quibuſdam ſit meritus juſtitiam temporalem; imo Salvator eſt omnium prorſus, quatenus omnibus dedit aliquam ſalutem, vitam, & bona temporalia. Sic ille ſe expedit Scripturis ſacris.

Gravius quiddam promittere viſus eſt Doctor idem Lovanii die 18. Auguſti 1653. Theſi 4.

Cum RECTISSIME DICATVR Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine

omnium perditionem: poteſt tamen dici PRO HIS TANTVM CRVCIFIXVS, *quibus mors ipſius profuit.*

Facilius intelligetur hæc ratio dicendi Salvatorem pro totius mundi redemptione crucifixum; ſi iſtud; *propter veram humana natura ſuſceptionem*, ſic augeamus cum *S. Proſpero* in Reſponſ.ad objectionem 1.Vincentianam, *Propter unam omnium naturam*, ET VNAM OMNIVM CAVSAM *à Domino noſtro in veritate ſuſceptam.*

HENRICVS SCHAILLE S.T.D.Lovanii die 30. Auguſti 1675. Theſi 2.

QVI MORTVVS EST PRO NOBIS. Electis: effectus enim præcipuus, & integer penes ſolos electos eſt, licet quoad pretii ſufficientiam pro omnibus mortuus ſit; imo & quibuſcumque etiam reprobis gratiæ temporales dantur, illæ ſunt in præmium crucis ejus.

Cautiones Janſenianæ hic adhibentur accuratè. Ante omnia locum Pauli reſtringit Doctor ad Electos: tum vero agnoſcit ſufficientiam pretii pro omnibus; ſine dubio etiam dæmonibus: denique & Reprobis monet profuiſſe Crucem Chriſti ob gratias temporales. Nihil horum præterivit *Janſenius*, ut conſtat ex obſervat. præamb. ad caput præſens.

CAPUT VI.

Specimen Doctrinæ Theologicæ de peccatis ignorantiæ.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Doctrinam Janſenianam de peccatis ignorantiæ.

DOctrinæ tam variæ in materiâ Quinque propoſitionum, quæ pleræque, imo omnes, ſi rectè inſpicias, verſantur circa libertatem hominis in hoc ſtatu requiſitam ad merendum, & demerendū, ſubnectimus eam, quæ eſt apud nos celebris, de peccatis ignorantiæ. 1. Quia non minus eſt paradoxum, non requiri voluntarium ad merendum, & demerendum, quam non requiri ad hoc libertatem à neceſſitate. Conſtat autem quod ubi ignorantia eſt, ibi voluntarium non ſit, quatenus eſt ignorantia. 2. Quia doctrina Janſeniana de peccatis ignorantiæ iiſdem nixa eſt principiis, quibus doctrina de peccatis ex neceſſitate patratis: neceſſitas non excuſat; cum ſit pœna peccati originalis, ſic neque ignorantia, quæ eſt pœna peccati ejuſdem. Peccato *Adami*, in quo peccavimus, ſummâ libertate poſita eſt cauſa & neceſſitatis & ignorantiæ: eſt ergo

ergo hic invenire & libertatem indifferentiæ, & voluntarium in cauſâ: ſic ille ſpeculatus eſt præeunte *Calvino*: vide quæ adnotavimus c.1. §.4.in principio.

Certè quidem lib. 2. *de ſtatu nat.lap.* cap. 6. ubi indagat radicem arcanæ ſuæ doctrinæ de peccatis ignorantiæ, admirationem abſtergere conatur, quod in hominibus excæcatis in pœnam ſuorum peccatorum eadem difficultas eſſe videatur: ac tandem col.313.*Cum ergo*,inquit,*neceſſe ſit,ut qui divino judicio excæcatus eſt,plus offendat, & cadendo vexetur; cur non & ipſorum peccata propter cæcitatem ante vincibilem,jam invincibilem, excuſemus; ſi ignorantia invincibilis illius naturalis juris excuſat?* Contendit,parem eſſe cauſam hujus ignorantiæ; quæ ſcilicet vincibilis, ſeu vitabilis fuerit peccante *Adamo*. Liquet, hoc illum agere iis locis omnibus,quibus doctrinam ſuam in eo fundat, quod in pœnam peccati inflicta ſit ignorantia illa,quæ excuſatura eſſet, ſi non dependeret à peccato; ut operose inculcat illo cap.6. Quare neque omiſit annotare ibidem cap. 4. col. 304. difficultatem hîc eſſe ſimilem ei, quæ eſt in peccato originali,etſi minorem eſſe velit.

Cùm ergò ſit minimè obſcurum, hos noſtros Theologos ſuam de peccatis ignorantiæ doctrinam ſumpſiſſe ex *AVGVSTINO Cornelii Ianſenii* (hoc oſtendunt argumenta,auctoritates, rationeſque quibus utuntur) operæ pretium erit eorum doctrinas in hâc materâ,quæ ad manum ſunt, hoc loco exponere.

§. I.

Aſſertiones rotundè affirmantium ignorantiam invincibilem juris naturæ non excuſare à peccato.

IOANNES SINNICH S. T. D. Lovanii die 28. Januarii 1649. Aſſertionem ſic expreſſam dedit Theſi 3.

Ignorantia alia eſt vincibilis, alia invincibilis. Ignorantia vincibilis non excuſat à peccato; excuſat autem INVINCIBILIS facti, & juris poſitivi; NON AVTEM IVRIS NATVRÆ.

Doctor idem Lovanii die 4. Februarii 1651.

Peccati originalis vulnus eſt ignorantia, quæ ſi fuerit invincibilis legis poſitivæ, etiam divinæ,& facti,excuſat quidem; SED SI LEGIS NATVRÆ FVERIT, MINIME.

LIBERTVS FROMONDVS S. T. Doctor Lovanii die 22. Novembris 1651. Theſi 1.

ITA VT SINT INEXCVSABILES: licet EX IGNORANTIA INVINCIBILI juris naturæ tranſgrediantur præceptum. Nam ignorantia illa neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat; ſed forte ut mitius ardeat.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 23. Octobris 1665. ſatis habuit propoſuiſſe conditionalem Theſi 1.

Ignorantia Dei invincibilis .... etſi daretur, rectè tamen amor creaturæ ut vitioſus imputaretur.

Ibidem hæc leguntur Theſi 2.

DA MIHI INTELLECTUM legis tuæ. quam impreſsiſti mihi: talis quippe ignorantia ſive ſit ſecundum voluntatem, SIVE ETIAM SECUNDUM NECESSITATEM, quia viribus arbitrii ſuperari non poteſt, non excuſat.

Doctor idem Lovanii 23. Novembris 1666. rediit ad ſuam conditionalem Theſi 3.

Etiamſi per impoſſibile daretur ignorantia Dei INVINCIBILIS; rectè tamen amor, & converſio ad creaturam ultimatè ut vitium reputaretur.

IACOBUS PONTANUS S T D. Lovanii die 9. Maji 1663. Theſi 2.

Ignorantia, qualiſcumque ſit, non poteſt totaliter excuſare à peccato, quod eſt ex parte electionis, quando ſcilicet quis fruitur utendis, amando creaturam propter ſe: interdum vero totaliter excuſat ab eo, quod eſt peccatum ex parte materiæ. Ignorantia tamen juris naturæ, ETSI PONAS INVINCIBILEM, non poteſt totaliter excludere deordinationem voluntatis ſequentis.

Doctor idem Lovanii die 3. Auguſti 1656. Theſi 4.

Neque id ſolum de peccatis, quæ contingunt ex ignorantiâ Vincibili, ſed etiam cum AUGUSTINO rectius de iis dicitur, quæ fiunt ex INVINCIBILI IURIS NATURALIS; utpote quæ ne quidem ſemper excuſat à peccato mortali.

Non ſatis capimus, cur dicat, *non ſemper* excuſare ignorantiam illam *invincibilem*, & non potius, numquam excuſare: ſi aliquando non excuſet, neceſſe eſt excuſare numquam.

Accedant hæc Doctoris ejuſdem *IACOBI PONTANI*, quæ dedit die 24. Julii 1664. Theſi 1.

Cum tantâ ignorantiâ veritatis, tantâque abundantiâ cupiditatis homo venit in hanc vitam, ut, ſi dimittatur vivere, ut velit, in facinora, & flagitia vel cuncta vel multa perveniat, nec niſi magno cum labore, quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita diſcatur: qui autem neſciunt, ipſam boni appetendi, malique vitandi ignorantiam, patiuntur peccandi neceſſitatem. Neceſſe eſt enim, ut peccet, qui neſciendo, quid facere debeat, quod non debet facere, facit. Non ſolum igitur oblivio, & ignorantia quæ ſecundum voluntatem eveniunt, ſubjacent peccato, ſed & quæ ſecundum neceſſitatem; certè & PELAGIUS agnovit, hominem prævigilare debere, ne ignoret: ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentiâ ſuâ, quod adhibita diligentiâ ſcire debuiſſet.

GERARDUS VAN WERM S, T. D. Lovanii copioſam materiam præbuit huic loco. Videamus quædam. Die 15. Maji 1649. hæc probavit Theſi 2.

Aliæ gentes illâ non obligabantur. Nec tamen idcirco immunes fuerunt ab obligatione legis naturalis, à cujus tranſgreſſione NE QUIDEN PER IGNORANTIAM INVINCIBILEM EXCUSABANTUR.

Doctor

Doctor idem Lovanii die 13. Januarii Theſi 3.

Ignorantia alia eſt juris,alia facti : & hæc ſi invincibilis ſit , excuſat à culpa : non plene illa, ſi circa jus naturæ verſetur.

Idem Lovanii die 29 Octobris 1667.Theſi 2.

Ignorantia facti tamen,vel juris poſitivi tam divini,quam humani , ſi ſit invincibilis omnino à peccato excuſat ; NON SIC IGNORANTIA IVRIS NATVRALIS.

Conſentanea tradidit Doctor idem Lovanii die 21. Auguſti 1666. Theſi 3. die 11.Martii 1672.Theſi 3.

Sed illa in primis Aſſertio celebratur,quam Lovanii idem Doctor *GERARDVS VAN WERM* propoſuit die 24.Martii 1670. Theſi 2.

Vt quis ex ignorantiâ juris naturæ contra jus naturæ docendo peccet, requiritur, ignorantiam culpâ perſonali eſſe contractam,quod non requiritur, ut quis ex ignorantiâ juris naturæ contra jus naturæ agendo peccet. Quamvis autem hæc ignorantia non excuſet à toto ; excuſat tamen à tanto : etſi non à tanto,ut propter illam ſit peccatum Veniale, quod alias eſſet mortale.

Poſt hæc mox infertur in Theſi, eum qui peccavit ex Ignorantiâ contra jus naturæ,neque illud peccatum eſt confeſſus, quia ignorabat eſſe peccatum, debere iterare omnes confeſſiones interea factas,ſimul atque reſciſcit , ſe peccaſſe contra jus naturæ.Sed de hoc infrà.

Hic notandum eſt diſcrimen, quod ponit hic Doctor inter docentes contra jus naturæ, & inter agentes contra jus naturæ. Docentes illi ſoli peccant , qui ignorantiam contraxerunt culpâ perſonali ; agentes verò,etſi non contraxerint culpâ perſonali.Unde hoc privilegium Doctoribus? Exiſtimamus,ex eo,quod docentes eſſe licitum E.C. quod jure naturæ eſt illicitum , neſciunt ſe docere eſſe licitum,quod jure naturæ eſt illicitum;adeoque laborant ignorantiâ facti. Aliud eſſet,ſi ſcirent ſe docere contra jus naturæ , & nihilominus ignorarent, quod ſic docere eſſet peccatum.

In priori ergo caſu ſi interrogetur Doctor ; quare docuiſti contra jus naturæ ? Excuſabit ſe dicens ; neſciebam me docere contra jus naturæ: ſicut qui deſtruxiſſet rem alienam , putans eſſe ſuam , diceret , neſciebam me deſtruere rem alienam.Sed ſi ultrà interrogetur Doctor; quare neſciebas te docere contra jus naturæ ? cogetur reſpondere,quia neſciebam, id; quod docebam licere, eſſe illicitum jure naturæ. Ecce ergo ultima excuſatio Doctoris terminatur in allegatione ignorantiæ juris naturæ : hæc ignorantia debet influere in excuſationem. Judicet ergo ſapiens Lector , an excuſatio docentium contra jus naturæ ſit magis legitima,quam agentium contra jus naturæ.

Non eſt prætereunda ſubtilis ratio quam aſſerunt Theſes ab hoc Doctore propoſitæ die 24.Julii 1669. ubi ſic legimus Theſi 3.

Nullus eximitur à peccato per ignorantiam juris naturalis : quia nullus eſt , nec eſſe poteſt immunis à peccato , ſi CHRISTVM non ſequatur , CHRISTVM autem nemo ſequitur,

ſequitur, niſi per charitatem ad minus imperfectam: qua quia tota luminoſa, non poteſt dirigere pedes in viam erroris.

IOANNES BAVDVIN S.T.P. Namurci die 2. Maji 1676. ſuccinuit Doctori Lovanienſi Theſi 11. ad excuſationem Doctorum docentium contra jus naturę.

*Ignorantia juris naturæ ſemper aliquid peccati reliquit (*relinquit*) in eo, qui ex illâ tranſgreditur jus naturæ: poteſt tamen illud penitus evacuari in eo, qui ex illâ docet, vel opinatur aliquid licitum, quod licitum non eſt.*

Ex poſteriori parte Aſſertionis liquet, intelligendam eſſe ignorantiam ſine perſonali culpâ contractam: alioqui enim non diceret, peccatum poſſe penitus evacuari in eo, qui docet contra jus naturæ.

IOANNES RECHT S.T.D. Lovanii die 25. Septembris 1664. Theſi 1.

Ignorantiæ tenebræ, quæ nonnumquam inducunt QVAMDAM PECCANDI NECESSITATEM. Neceſſe eſt enim, ut peccet, qui neſciendo, quid facere debeat, quod non debet facere, facit.

THOMAS VANDEN BERGHE S.T.P. Gandavi die 29. & 30. Auguſti 1674. Theſi 7.

Vnde legis naturæ ignorantiam, ſive eam ſolâ humanâ poteſtate invincibilem, ſive divinâ gratiâ, & poteſtate vincibilem dixeris, à peccato ne excuſes.

IOANNES DE WITTE S.T.P. Antverpiæ die 13. & 14. Julii 1671. Theſi 2.

*Hæc lex (*naturalis*) tam ſtrictè obligat homines, ut ab ejus prævaricatione, NVLLA ETIAM IGNORANTIA INVINCIBILIS (poſito quod talis detur) EXCVSET.*

MACARIVS HAVERMANS S. T. P. Antverpiæ die 12. & 13. Julii 1672. Theſi 20.

Cum vel non detur ignorantia invincibilis juris naturæ, uti probabilius putamus, vel SI DETVR, EQVIDEM NON EXCVSET A PECCATO FORMALI: ex quâ ſententiâ non ſequitur, quod Deus impoſſibilia jubeat.

Profeſſor idem etſi poſtea abſolute tenuerit, non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ, manſit tamen erga illam valde pius: ſic loquitur in ſuo *Tyrocinio edito* anno 1674. tract. 1. cap. 8. §. 13. num. 212 pag. 262.

Secundum veriorem & in SS. Patribus fundatam ſententiam nulla datur ignorantia juris naturæ, quæ ſit invincibilis, & inculpabilis. Contrariam huic Aſſertioni ſententiam, ſaltem quoad primam partem diu tenui, & bis in publicis Theſibus defendi; NVLLAM SCILICET IGNORANTIAM INVINCIBILEM IVRIS NATVRÆ EXCVSARE A PECCATO, etiam ſupponendo, dari talem invincibilem ignorantiam. At quia hoc multis nimis durum videtur, tandem aſſertionem hanc publicè defendi, licet valde probabilem adhuc judicem alteram ſententiam, eamque non contemnendis rationibus fulcire poſſem.

Hic Profeſſor ergo mutavit ſententiam: *quia hoc multis nimis durum videbatur.* Exinde contraria ſententia ipſi cæpit eſſe *verior, & in SS. Patribus fundata*; non ſic tamen, quin piis oculis reſpectare pergat ſententiam dimiſſam.

§. 2.

§. 2.

Aſſertiones inſinuantes artificium Ianſenianum conciliandi voluntarium peccatis Ignorantiæ invincibilis.

DE illo artificio egimus c.1.§.4. item in obſervat.Præamb.ad cap. præſens *Ianſenianum* appellavimus; ſed *Calvino* adſcribunt *Calviniſtæ*. Peccatis ignorantiæ voluntarium accerſitur à peccato originali, quod contraximus voluntate *Adami*, in quo peccavimus.

Inſinuant verò artificium illud eæ Aſſertiones, quibus docetur, ideo non excuſare ignorantiam juris naturæ, quia pœna eſt peccati originalis; quæ ratio vim non habet, niſi quatenus inſinuat, ignorantiam dependere à peccato libero & voluntario nobis ſaltem libertate & voluntate Primi parentis, adeoque eâdem libertate & voluntate, eſſe libera & voluntaria nobis peccata provenientia ex ignorantiâ. Ex illis vero Aſſertionibus videamus non nullas.

IACOBVS PONTANVS S.T.D.Lovanii die 25.Novembris 1662. Aſſertionem hanc dedit Theſi 2.

Ignorantia ſive ſit facti, ſive ſit juris poſitivi humani, aut divini, modo ſit invincibilis, excuſat à culpâ, quia facit, ut actio in ratione peccati ſit involuntaria: ubi autem voluntarium non eſt, ibi culpa non eſt. At in iis, quæ ſunt juris naturæ ſecundum ſententiam SS. PP. & præcipuorum Scholaſticorum Ignorantia non excuſat penitus à peccato, SI QVIDEM INFLICTA EST IN PÆNAM PECCATI.

Hic notanda veritas generalis: *ubi voluntarium non eſt, ibi culpa non eſt.* Hoc ut verum intelligatur etiam in peccatis ignorantiæ juris naturæ, dicitur illa ignorantia *inflicta eſſe in pænam peccati.* Non poteſt hoc dictum intelligi reſtrictum ad pænam peccati perſonalis: quia generaliter *Ignorantia in iis, quæ ſunt juris naturæ non excuſat.* Atqui certum eſt, ante omne peccatum perſonale dari hujuſmodi ignorantiam, atque ex eâ peccari poſſe, & non raro peccari: his ergo peccatis concilianda erit ratio voluntarii hoc pacto; *ſiquidem ignorantia inflicta eſt in pænam peccati originalis.* Teneat hæc Lector etiam ad Aſſertiones ſequentes.

IOANNES RECHT S.T.D.Lovanii die 29.Januarii 1672.Theſi 3.

DANTIS VINDICTAM IIS, QVI NON NOVERVNT DEVM. Etiam quibus Chriſtus non eſt prædicatus. Nam & in illis ignorantia Dei peccatum eſt, ET NON SOLVM PÆNA PECCATI.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 14. Auguſti 1665. ſimilem dedit Aſſertionem Theſi 3.

Notitia quippe Dei eſt juris naturæ; adeoque ipſius ignorantia NON EST TANTVM PÆNA PECCATI, ſed etiam peccatum.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 19. Januarii 1673. Theſi 2,

Quantumvis enim actus aliquis cum humanâ ratione conſonet, ſi ab æternâ lege diſſonet, SEMPER in ſe malus eſt, etiam reſpectu agentis; ſi ignorantia eum non excuſet. Qualem nullam excuſare agnoſcimus in jure naturæ, ita ut inexcuſabilis ſit ſive qui ſciens, ſive qui ignorans hujus prævaricator eſt; ipſa namque ignorantia, in iis qui noluerunt intelligere, peccatum eſt, in iis autem, qui cæno vitiorum obcæcati non potuerunt, pœna peccati.

Ecce *Ignorantia nulla excuſat in jure naturæ*: Quia vel noluerunt intelligere, & hos liquet non excuſari: vel non potuerunt; ac ne hi quidem excuſantur, cum in illis ignorantia ſit pœna peccati; non ſemper peccati perſonalis, ut hîc oſtenſum eſt ad Aſſertionem primo loco poſitam, ergo & peccati originalis, quod itidem in hâc Aſſertione comprehenditur nomine *cœni vitiorum*, ne Aſſertio ipſa mutilam contineat doctrinam, & ineptam diviſionem.

ÆGIDIVS GABRIELIS S.T. Profeſſor Bruxellis anno 1675. in ſua *Morali Chriſtianâ, & diabolicâ*, rem ipſam exquiſitè expreſſit loquens de ſtatu naturæ corruptæ *Præambul.* §. 7. pag. 12.

Quia tamen hic ſtatus hominis FVIT HOMINI VOLVNTARIVS, & manet illi Voluntarius, quamdiu non eſt per CHRISTVM reparatus; ideo omnis amor Voluntarius in hoc ſtatu, ſecluſo ſcilicet Salvatore, eſt malus, & peccaminoſus. Nec illum excuſat à peccato ignorantia; quia CVM SIT PŒNA PECCATI, non tollit ab illo deordinationem.

Hîc verò quod dicitur Status naturæ corruptæ *fuiſſe homini voluntarius*, ſine dubio intelligendum eſt de voluntario voluntate *Adami*, in quo peccavimus: neque enim voluntate propriâ elegimus nobis iſtum ſtatum. Tum vero rectè quadrat ratio: *Nec illum excuſat ignorantia; cum ſit pœna peccati.* Pœna illa ſcilicet ſeu Ignorantia fuit homini voluntaria voluntate *Adami*, in quo peccavit; ſicut Status ipſe naturæ corruptæ fuit voluntarius, cujus proprietas & corruptela quædam eſt ipſa ignorantia.

Ad hæc nota fatente hoc Auctore Præamb. §. 8. pag. 14. ignorantiam, quæ eſt pœna peccati Originalis, manere quoque in Statu naturæ per *Chriſtum* reparatæ: *Non tamen*, inquit, *virtute iſtius renaſcentiæ, & renovationis ſolius depellitur ignorantia ab intellectu, malitia à voluntate, concupiſcentia ex membris; ſed relinquuntur iſtæ pœnæ.* Quare etiam in Statu naturæ per *Chriſtum* reparatæ, etſi abeſſet omne peccatum perſonale, ſubſiſteret ratio ignorantiæ non excuſantis: cum ſit *pœna peccati*, ſaltem originalis.

Ratio eadem placere debet illis, quos audivimus §. proximè ſuperiori affirmantes rotunde, ignorantiam invincibilem juris naturæ non excuſare à peccato: non enim ſalvabunt rationem Voluntarii in illo peccato, niſi eam repetendo à peccato *Adami*, quod eſt ignorantiæ noſtræ prima radix: neque enim ignorantia ſimpliciter nobis invincibilis dependet à propria cujuſque noſtrum

vo-

voluntate: nam quæ eſt hujuſmodi ignorantia, ea ſimpliciter Vincibilis dici & debet,& ſolet ab his noſtris Theologis.

Quod etiam non pauci libentius hoc tempore prædicent omnem juris naturæ ignorantiam eſſe Vincibilem, non illico nobis perſuadet, eos eſſe alienos ab artificio *Ianſeniano*, de quo hactenus; niſi nobis modum ediſſerant, quo cenſeant vinci potuiſſe propriâ nobis diligentiâ ignorantias tam varias in materia juris tam variâ,& tam perplexâ. Non eſt difficile dictu vinci ignorantiam potuiſſe eo ſenſu, quo voluntaria dici poteſt etiam ea, quæ invincibilis dici conſuevit: ibi ſcilicet vinci potuit,ubi peccavit *Adam*, & nos in ipſo. Quid illi ſentiant plerique de modo, quo vinci poſſint, aut potuerint ignorantiæ, non eſt exploratum. Hoc liquet, ad praxim ipſam parum intereſſe, an vincibilem dixeris,etiam propriâ cujuſque diligentiâ, an invincibilem. De pulsâ poſt factum ignorantiâ, ſtatuendum ſemper,eſſe peccatum, vel influente voluntate *Adami* in quo peccavimus, vel influente negligentiâ præteritâ, incertum quâ, orationis, aliâve. Sed his immorari non vacat.

§. 3.

Aſſertiones affirmantium præciſè nullam ignorantiam juris naturæ excuſare à peccato.

IGnorantiam invincibilem juris naturæ non excuſare à peccato, *multis nimis durum videtur*; quod commovit *MACARIUM HAVERMANS*, ut vidimus §. 1. Omnem juris naturæ ignorantiam eſſe vincibilem,eſt parum *Ianſenianum*, ſi ſermo ſit de vincibilitate per diligentiam cujuſque propriam. Malunt ergo ſæpè hi noſtri, etiam illi, qui aliàs ſuſtinuerunt, ne invincibilem quidem ignorantiam excuſare à peccato, proponere Theſim præciſe dicentes,nullam ignorantiam juris naturæ excuſare, ut interpretetur, qui vult, nullam dari juris naturæ ignorantiam ſine culpâ propriâ. Aſſertiones hujus generis occurrunt innumeræ. Quaſdam delibamus..

FRANCISCUS VAN VIANEN S.T.Doctor Lovanii die 21. Junii 1660. ſic poſuit Theſi 2.

ET NESCIT, QUO EAT, QUIA TENEBRÆ OBCÆCAVERUNT OCULOS EIUS. Et fiunt ipſi multa probabilia contra legem; non tamen propterea excuſatur, ſicut nec ob ullam ignorantiam vel probabilitatem in lege natura.

Doctor idem Lovanii die 24. Septembris 1672. Theſi 1.

Uſque adeo enim ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Domini, ut inexcuſabilis ſit omnis homo, quem in juris naturalis ignorantiâ abſorberi ita contingit, ut contra jus naturæ agat.

Idem Lovanii die 9. Martii 1676. Theſi 1.

Hæc lex licet quo ad aliqua ſui præcepta ignorari poßit, numquam tamen, & nuſquam in totum excuſatur, quod per han. legem damnatur, QVANTVMVIS EX IGNORANTIA, & ut loquitur D. Thom. SECVNDVM CONSCIENTIAM fiat, quod contra hanc legem agitur.

In *D Thomam* iſto loco extant commentarii Thomiſtarum copioſi, qui ſcrupulum eximant. Libet ſubnectere aliud humanam conſcientiam perimens.

Doctor Anonymus (vitio, ut reor Typographi *Lipſii*, ne quidem primam nominis litteram, quod alibi aſſolet, exprimentis) Lovanii die 13. Octob. 1666. Theſi 3.

Hinc tamen ne inferas, ſemper licitum eſſe concordare conſcientiæ. Imo hoc tantum abeſt, ut potius etiam ſemper mala ſit omnis voluntas concordans rationi erranti errore præveniente ex ignorantiâ legis naturalis.

GERARDVS VAN WERM S. T. Doctor Lovanii die 27. Octobris 1670. Theſi 1.

Ignorantia enim quamvis peccatum diminuat, ab eo tamen non omnino excuſat; quin imò ſi ſit juris naturæ, rectè dixeris quod numquam. Quid igitur? damnare poterit juſtus Deus hominem, qui neſciens incurrit malum, quod ſi ſciret omnino evitaret, ac fugeret? PROCVL DVBIO.

LAMBERTVS VINCENT S. T. Doctor Lovanii die 26. Octobris 1675. Theſi 3.

Numquam excuſat à toto ignorantia agentem contra jus naturæ, quamvis à tanto, unde ſi peccetur mortaliter occaſione ignorantiæ, minus graviter quidem punietur; tamen in æternum.

Tædioſum ſit cætera perſequi. Conſentanea dederunt *GERARDVS VAN WERM* S.T. Doctor die 21. Martii 1652. Theſi 2. die 8. Februarii 1667. Theſi 3. die 6. Decemb. 1674. Theſi 1. *CHRISTIANVS LVPVS* S.T. Doctor 19. Novembris 1672. Theſi 2. *LAMBERTVS VINCENT* S. T. Doctor die 24. Februarii 1676. Theſi 3. *IACOBVS PONTANVS* S. T. Doctor die 2. Decembris 1666. Theſi 3. *HROZNATA VAN SAFTINGHEN* S. T. Profeſſor die 2. & 3. Septembris 1676. Theſi 13. aliique permulti.

§. 4.

Aſſertiones non ſolum facta ex ignorantia contra Legem naturæ, ſed ignorantiam ipſam juris naturæ peccati arguentes.

I*ACOBVS PONTANVS* S.T. Doctor Lovanii 23. Auguſti 1661. Sententiam ſic propoſuit Theſi 2.

IGNO-

IGNORANTIÆ TENEBRÆ, SVNT VERI NOMINIS PECCATA, ſicut & alia, quæ apud Aug. pœna vocantur peccatorum: nec ad peccandum requiritur reflexio, aut dubium de malitiâ, quæ fuit Doctrina Pelagianorum.

Pertinent hæc ad illam quoque ignorantiam quæ eſt mera pœna peccati originalis: quia & illa cenſetur inter pœnas peccatorum. Pertinere eadem ad ignorantiam invincibilem juris naturæ credibile faciunt eæ aſſertiones, quas probantem vidimus hunc Doctorem §.1.& 2.

Doctor idem Lovanii die 9. Februarii 1666. Theſi 2.

Sicuti non datur ignorantia involuntaria juris naturæ, ita NEC EIVS DATVR INCVLPABILIS.

Non eſt difficile intellectu, quam rationem voluntarii vindicet omni ignorantiæ juris naturæ, ſi Aſſertiones attendas ab ipſo probatas de ignorantia invincibili juris naturæ non excuſante à peccato, ut ſuprà vidimus. Non eſt illi difficile rationem voluntarii repetere à peccato *Adami*, in quo peccavimus.

Conſentanea dedit hæc die 28. Maji 1664. Theſi 1.

Ignorantia juris naturæ non excuſat à toto, & peccata ex illâ commiſſa habent formalem malitiam diſtinctam à malitia ignorantiæ.

GERARDVS VAN WERM S. T. D. Lovanii die 13. Auguſti 1670. Theſi 2.

Iuris tamen naturalis ignorantia. numquam excuſat in totum actum ex ſe pravenientem (provenientem) .... *imo, habet actus ille formalem malitiam diſtinctam A MALITIA IGNORANTIÆ.*

Probantem vidimus hunc Doctorem §.1. eas Aſſertiones, quibus affirmabatur, ne quidem invincibilem juris naturæ ignorantiam excuſare à peccato. Non eſt ergo difficilis conjectura de cujus ignorantiæ malitia hic ſit ſermo.

CHRISTIANVS LVPVS S.T. Doctor Lovanii in Theſibus pro Laurea Doctorali à ſe propugnatis die 19. Auguſti 1651. apud *Maximilianum le Dent* S.T.P. *in Reſponſione ad Epiſt. famil.* cap. 1. 5. Aſſertionem concepit his verbis.

Nihilominus uti omne carnalis concupiſcentia; ita quoque omne vitioſæ originalis ignorantiæ germen eſt PROPRII HOMINIS PECCATVM.

CAPUT VII.

Specimen Doctrinæ Theologicæ de ſtatu integritatis, & puræ naturæ.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Propoſitionem Bajanam 26.

Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.

QUoniam, ut in principio hujus opuſculi obſervavimus, *Ianſeniani* errores fere manarunt ex eo diſcrimine, quod ſtatuit inter gratiam naturæ integræ, & naturæ lapſæ, non abs re erit ſuperioribus hoc loco ſpecimen adjungere Doctrinæ Theologicæ de ſtatu integritatis, & puræ naturæ.

Propoſitionem quam exhibuimus condemnarunt ſummi Pontifices *Pius V. Gregor. XIII. Vrbani VIII.* & quidem *in ſenſu ab Aſſertore intento.*

Aſſertor verò Propoſitionis fuit *MICHAEL BAIVS* lib. *de prima hominis juſtitiâ* cap. 4. ubi, *forſitan,* inquit, *plerique non difficulter adducentur, ut ſupra dictis veterum teſtimoniis adhærentes, à communi recentiorum opinione diſcedant, fatentes hominem ſic initio conditum eſſe rectum; ut IVSTITIA, PIETATE ET CÆTERIS SPIRITVS S CHARISMATIBVS REPLETVS FVERIT. Cæterum, quod hæc fuerit NATVRALIS EIVS CONDITIO, cujus ſemper neceſſario ſit abſentia malum, & non potius INDEBITA QVÆDAM HVMANÆ NATVRÆ EXALTATIO, quæ ex bona melior facta ſit ...... non facile perſuaderi ſibi patientur. Quapropter de hâc parte diligentius diſſerendum eſt.* Tum verò toto illo capite incumbit in hujus rei probationem, quæ fere in eo conſiſtit, quod malum quoddam, & vitium hominis ſit illis bonis carere, quod & concupiſcentiæ applicat ſic argumentans: *Quia enim vitium eſt hominis quod caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & quod lex carnis repugnat legi mentis, ideo manifeſtè intelligitur, naturæ hominis eſſe, ut utrumque ad nutum pareat imperio rationis*, Aſſertionem ſuam confirmat reliquo iſto libro.

Ex his nota, *BAIVM* nomine *integritatis* in articulo damnato intellexiſſe *Iuſtitiam, pietatem cæteraque Spiritus S. Chariſmata*, ſubjectionem concupiſcentiæ & carnis *ad nutum rationis*, quod ipſum ex profeſſo docet toto cap. 3. ejuſdem libri.

Ut

Ut etiam ne dubites, quid naturale dixerit, cap. 9. oſtendit, *quod non oporteat ea, quæ naturalia dicuntur, ſemper ex internis rei principiis eſſe exorta*, ut præfert titulus; & in contextu, *Naturale*, inquit, *non cauſa, aut originis ſuæ comparatione dicitur, ſed rei, cui ſic ineſt, ut ad naturalem ejus integritatem pertineat, ſitque ejus abſentia malum.*

Propoſitioni Bajanæ 26. de quâ hactenus ſimiles ſunt aliæ, atque aliæ ibidem damnatæ; in primis propoſitio 21. *Humana natura ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* Hanc tradidit eodem lib. *de primâ hominis juſtitiâ* cap. 4. ſunt & ſimiles propoſitio 9. 23. 24. aliæque.

Porro ex hac Baji doctrina profluit alia & alia ab iiſdem Pontificibus damnata; atque inprimis illa, quam continet propoſitio inter Bajanas prima. *Nec angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.* Cui conſonat propoſitio 3. & 7. quas *Bajus* tradidit lib. 1. *de meritis operum* cap. 4. Profluit ſimiliter doctrina propoſitionis 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Hæc ſufficiat obſervaſſe.

§. I.

Aſſertiones affirmantium, debitam fuiſſe Naturæ humanæ gratiam, aut juſtitiam originalem.

SI fuerit homini debita gratia, aut juſtitia originalis, liquet ſanè hanc fuiſſe homini naturalem, priuſquam peccaverat. Aſſertiones videamus.

ANDREAS LAVRENT S.T. Doctor Lovanii die 27. Februarii 1676. Aſſertionem ſic propoſuit Theſi 3.

Cum ADAMVS in rectitudine originali (EXTRA QVAM EVM DEVS CONDERE NON POTERAT) conſtitutus eſſet, non conſideravit, quod conſiderare debuit.

Si non potuerit eum Deus condere extra rectitudinem originalem, putamus ſanè eam fuiſſe illi debitam.

GERARDVS VAN WERM S. T. D. Lovanii die 9. Auguſti 1656. Theſi 1.

Gratia....... ITA TAMEN DEBITA FVIT naturæ rationali ante lapſum, VT SINE EA CONDI NON POTVERIT.

Doctor idem Lovanii die 21. Martii 1653. Theſi 1.

Ita tamen DEBITA FVIT (caritas) *creaturæ rationali ante lapſum; ut SINE EA CONDI NON POTVERIT, ergo nec in ſtatu puræ naturæ.*

Doctor idem *GERARDVS VAN WERM* Lovanii die 9. Auguſti 1656. Aſſertionem probavit miram his verbis Theſi 1.

Et quamvis (gratia) *tantæ ſit excellentiæ, ut nulli creaturæ, etiam poſſibili naturaliter ineſſe*

ineſſe poſſit; ITA TAMEN DEBITA FVIT naturæ rationali ante lapſum, VT SINE EA CONDI NON POTVERIT.

Hæc verò, dicimus, mira eſt Aſſertio, ita eſſe debitam naturæ rationali gratiam, ut ſine ea condi non potuerit,& tamen illi gratiam haud eſſe naturalem. Bajus quidem, in cujus ſenſu damnatæ ſunt propoſitiones 21.26. & ſimiles, non alio ſenſu dixit gratiam primo homini fuiſſe naturalem niſi quod eſſet debita. Liquet hoc ex ipsâ propoſitione 21.in qua hæc leges; *Debita fuit,ac proinde naturalis dicenda eſt.*

Æque mira eſt hæc probata ab eodem Doctore Lovanii die 13. Auguſti 1654. Theſi 1.

(Juſtitia originalis) *homini quidem ſupernaturalis fuit,hâc tamen omnino privatus CONVENIENTER CONDI NON POTVIT.*

☞ Si non potuit condi convenienter, non potuit abſolute condi: Deus enim condere non poteſt,niſi convenienter.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 4.Februarii 1651.Theſi 3.

Iuſtitia originalis,licet in ſubſtantiâ ſuâ ſupernaturalis ſit, QVADANTENVS TAMEN ETIAM FVIT HOMINI NATVRALIS.

Naturalis,ſupernaturalis,perplexa eſt locutio; ut in re ſcabioſa.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S.T. Profeſſor in Tungerloo die 2.& 3. Septembris Theſi 20.

Ex quibus diſce, quid ſit gratiam debere eſſe indebitam, & ſimul collige, non eſſe contra doctrinam Catholicam aſſerere, quod certo ſenſu gratia ſit creaturæ rationali innocenti debita, & quod ideo NON POTVERIT DEVS PRIMVM HOMINEM ALITER QVAM IN GRATIA CONDERE. Hoc enim aſſeruit AVGVSTINVS,& ideo defendemus: eſt enim unum ex iis, QVÆ CAPITALITER CONTRA PELAGIANOS INTORSIT.

Inſinuat hic Profeſſor eſſe Fidei dogma, contra Pelagianos,*quod non potuerit Deus primum hominem aliter quam in gratia condere.*

MACARIVS HAVERMANS S.T.P. Antverpiæ anno 1674. in ſuô *Tyrocinio* tract.2.cap.7.num.91.pag.518. ſic docet.

Licet quis teneret, hominem ante peccatum non potuiſſe produci ſine gratiâ ſanctificante, tamen (ſalvo meliori judicio) non ita clarum eſt, quod talis incurreret cenſuram; videntur enim illa duo bene poſſe conſiſtere, hominem non potuiſſe ſine illâ gratiâ produci, & tamen illam gratiam eſſe indebitam naturæ humanæ exaltationem,& ſupernaturalem ejus conditionem; quia gratia illa non fuiſſet debita naturæ, ſed Providentiæ divinæ.

Has ſubtilitates neque *MICHAELI BAIO*, in cujus ſenſu damnatæ ſunt propoſitiones 21.26.& ſimiles, neque tribus ſummis Pontificibus credimus fuiſſe curæ: *BAIVS* quidem non ægre his acquieviſſet, ut intelligitur ex iis,quæ de ejus mente dedimus in obſervat. Præamb. ex lib. *De prima hom. Iuſtit.* c.11.ubi oſtendit, *quod non oporteat ea,quæ naturalia dicuntur, ſemper ex internis rei principiis*

eſſe exorta. Adnotemus verbo, Deum eſſe naturam omnia naturantem: exigentiæ innatæ, quas vocant, naturarum creatarum, explicandæ nobis ſunt per illam naturam conditricem, perque rationes potentiæ, bonitatis, & ſapientiæ ipſius: ita ut inconceptibile videatur, Deum non potuiſſe condere naturam humanam ſine gratia ſanctificante, & hanc non exigi ab illa, aut non eſſe illi naturalem. Sed non Philoſophemur.

§. 2.

Aſſertiones affirmantium, merita Angelorum Primi hominis ante lapſum non fuiſſe Dei Dona, aut gratiam.

HIc lector teneat cenſuram primæ Propoſitionis Bajanæ de quâ in obſerv. Præamb. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.* Huic ſimilis eſt Propoſitio 3. & 7. Aſſertiones quædam huc pertinentes ſupra exciderunt, hic proprius eſt earum locus.

IOANNES DE WITTE S.T.P. Antverpiæ die 13. & 14. Julii 1671. ſic ſtatuit Theſi 7.

Vnde ſi in juſtitiâ perſeveraſſet; merita ipſius, & perſeverantia NON FVISSENT SPECIALIA DEI DONA; *ſed merita humana, & liberi arbitrii.*

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S.T. Profeſſor in Tungerloo die 2. & 3. Septembris 1676. Theſi 21.

Perſeverantia hominis primi, ſi ſtetiſſet, NON FVISSET SPECIALE QVODDAM GRATIÆ DONVM, *ſed meritum humanum, & meritum liberi arbitrii.*

LAVRENTIVS NEESEN S. T. Profeſſor Mechliniæ Anno 1675. in ſuâ Theologiâ Moral. de *Actibus human.* Tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 554. & 555. probat, in hoc ſtatu non dari gratiam proxime ſufficientem, quæ non ſit efficax, his verbis.

I. Quia talis gratia ſufficiens tantum eſt gratia ſanæ voluntatis, non ægrotæ, prout modò poſt lapſum habemus; adeoque nobis inutilis, non ſecus ac cibus hominis ſani ſtomacho ægrotanti, vel lux ſolis oculo laſo II. *ſi cum tali ſufficienti gratiâ poſſet homo poſt lapſum operari;* POSSET SIBI, ET NON DEO ACTIONES SVAS MERITORIAS ADSCRIBERE, *poſſet per liberum arbitrium, gratia non donante ſurgere; poſſet in bono uſque ad finem ſe ipſo perſeverare; & ita tandem vitam æternam conſequi; poſſet quoque libertate ſua voluntatis ſeipſum ab aliis diſcernere ....* III. *Ille qui haberet talem gratiam ſufficientem, non deberet Deum orare pro gratiâ ulteriori.*

Quoniam ergo hic Profeſſor cenſet illam gratiam *eſſe gratiam ſanitatis*, ſeu Angelorum, & Primi hominis ante lapſum, liquidò cenſet, Angelos, & Primum hominem ante lapſum *potuiſſe ſibi, & non Deo actiones ſuas meritorias adſcribere: potuiſſe in bono uſque ad finem ſe ipſis perſeverare, & ita tandem vitam æternam conſe-*

qui: potuiſſe quoque libertate ſuæ voluntatis ſeipſum ab aliis diſcernere: non debuiſſe Deum orare pro gratiâ ulteriori, pro ſuâ perſeverantiâ &c.

Liquet ergo ex hac de mente hujus Profeſſoris, merita Angelorum, & Primi hominis ante lapſum, non fuiſſe Dei dona, aut gratiam.

GERMANUS PHILALETHES EUPISTINUS, aliàs *CAROLUS AB ASSUMPTIONE* S. T. Profeſſor Duaci Anno 1670. præcipuam præbuit materiam huic loco in libro *de ſcientiâ mediâ ad exam revoc.* cap. 2. art. 1. §. 7. ubi totus in eo eſt, ut conciliet Diſcipulos *S. Auguſtini*, hoc eſt *Ianſenium* & *Ianſenianos*, cum Diſcipulis *S. Thomæ*. Percurrit ibi illa ſeptem capita diſcriminis, quæ *Cornelius Ianſenius* lib. de gratia primi hom. cap. 20. contendit eſſe inter gratiam prædeterminantem à Thomiſtis aſſeriam, & inter adjutorium gratiæ aſſertum à *S. Auguſtino*. Singula capita diſcriminis verbis ipſis *Ianſenii* exponit *Philalethes*, atque etiam caput diſcriminis ſeptimum num. 103. pag. 154. his verbis.

Septimum contrarietatis caput eſt, quia prædeterminatio illa phyſica libero arbitrio merita, & eorum mercedem invictè donat. Hoc autem adjutorium ADAMI, & Angelorum nullo modo faciebat. Hoc diſcrimen verbis totidem (uti & reliqua) expreſſerat *Ianſenius* lib. *de grat. primi hom.* cap. 20. col. 182. ut non dubites, quin *Ianſenius*, ejuſque aſſeclæ ſint Diſcipuli illi *S. Auguſtini*, quos idem ſentire cum Thomiſtis contendit hic *Philalethes*.

Porro diſcrimen illud Septimum conatur diſſolvere his verbis eâdem pag. 154. & 155.

Eodem modo ſolvitur hæc ultima contrarietas, ac præcedens. Eſt enim ſequela præcedentis. Tunc actus dicitur à Deo dari; quando ita eſt a Deo, ut non ſit applicativè à libero arbitrio, ſed ſolum elicitivè; quando verò actus tam elicitivè, quam applicativè eſt à libero arbitrio; eo quod ex præcedente actu, & conſilio fiat, tunc non dicitur à Deo dari .... Cum ergo adjutorium datum ADAMO, & Angelis daret illis poteſtatem ſe applicandi, ACTUS ILLORUM NON ERANT SPECIALIA DONA DEI; ſecus eſt de actibus bonis hominis infirmi, qui fiunt auxilio gratiæ victricis, & prædeterminantis. Nam hæc gratia ita applicat liberum arbitrium ad volendum, ut ex præcedente actu non ſe applicet.

Nihil commovere debet quod hi noſtri ſolum negent merita in illo ſtatu Integritatis fuiſſe *ſpecialia dona Dei*; explicat hoc *PHILALETHES* (& idem ſine dubio cæterorum eſt ſenſus) negans ibidem pag. 154. eſſe dona, *niſi eo modo, quo actiones liberi arbitrii naturales, & artes dicuntur a Deo dari, quæ tamen omnes tribuuntur libero arbitrio.*

His congruenter jam ante dederat num. 81. pag. 125. his verbis.

Homo ſanus .... poterat in bono, quod inceperat perſeverare, ſi vellet; id eſt, poterat ſine aliquo ſpeciali auxilio ſibi dare voluntatem perſeverandi; quamvis ad hoc indigeret, AUXILIO GENERALI, QUO DEUS IN OMNI OPERANTE OPERATUR. Ideo juxta ſecundum principium adimpletio præceptorum, ſive naturaliter, ſive ſuper-

ſupernaturalium , *TRIBVEBATVR LIBERO ARBITRIO* , *VT APPLICANTI, NON DEO* , *eratque in poteſtate hominis ſani abſque aliquo ſpeciali auxilio ea adimplere : non minus ac eſt in noſtrâ poteſtate loqui,& ambulare.*

GERMANVS idem *PHILALETHES* congruenter ad hæc ſuperiora docet minimè obſcurè. Angelos , & Primum hominem ante lapſum non debuiſſe petere à Deo gratiam implendi præcepta , perſeverandi &c. Etenim libro *de ſcientia mediâ ad examen revocatâ*, num. 110. pag. 165. ſic argumentatur.

Actus precibus impetrandus exigit auxilium efficax adjuvans POSSE : ſed impletio præcepti in homine infirmo eſt actus precibus impetrandus : Ergo adimpletio præcepti in homine infirmo exigit auxilium efficax adjuvans POSSE. Prob. Major. Actus, qui non eſt in hominis poteſtate , exigit auxilium adjuvans POSSE : actus autem precibus impetrandus non eſt in hominis poteſtate.

Hæc ille contra gratiam ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ,ultra quam requiratur gratia efficax *adjuvans poſſe*, qua ſit opus in illo ſtatu ob hominis infirmitatem, ut declarat num. 106. pag. 158.

Quoniam ergo Angeli & Primus homo ante lapſum non indigebant illâ gratiâ efficaci *adjuvante poſſe*, neceſſe eſt,ut cenſeat hic *Philalethes* Angelos , & primum hominem ante lapſum non debuiſſe actus ſuos bonos precibus impetrare , aut implorare : alioqui enim & de illis formari poſſet idem argumentum , & concludi *adimpletionem præcepti in homine ſano exigere auxilium adjuvans poſſe.*

Quæ proximè ſubdit alia atque alia , eamdem ejus mentem faciunt manifeſtam. Sed hæc ſufficiant huic loco.

§. 3.

Aſſertiones ſimpliciter affirmantium impoſſibilitatem naturæ puræ, & miſeriarum hujus ſtatus ſine peccato.

TEneat lector cenſuram propoſitionis 55. inter Bajanas vulgò dictas. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem,qualis nunc naſcitur.*

Quoniam verò nimis certum eſt , Deum non potuiſſe ab initio creare hominem cum peccato, uti nunc naſcitur , damnatam propoſitionem intelligunt communiter Theologi de homine naſcente cum iis incommodis , & miſeriis, quæ peccatum ſunt conſecutæ ; ac non ſolum cum privatione gratiæ,ſed etiam cum repugnantiâ concupiſcentiæ adverſus rationem , cum ignorantiâ &c. Et quia cenſent, hæc ita eſſe pœnas peccati originalis,ut exiſtiment fore naturales hominis conditiones ſeclusâ ſpeciali gratiâ, & beneficio Dei indebito, propoſitionem damnatam ſic intelligunt , ac ſi diceretur : *non potuit Deus ab initio condere hominem in ſtatu puræ naturæ.* Quod ipſum agendo non ſolum de privatione

gratiæ, ſed etiam de aliis miſeriis concupiſcentiæ, ignorantiæ, & cæteris, cum quibus naſcimur, operosè contendit *Bajus*, ut vidimus in obſervat. præamb. ad caput præſens. Noſtros ergo Theologos audiamus.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 15. Maji 1649. aſſertionem hanc propoſuit Theſi 1.

Statu puræ naturæ repudiato tamquam impoſſibili, & præterito Statu naturæ integræ, cum Sancto AVGVSTINO quadruplicem ſtatum ponimus hominis lapſi.

Verbis ſeverioribus conceptam aſſertionem dedit idem Doctor Lovanii die 9. Martii 1652. Theſi 3.

Adeo ut dicere, Deum poſſe, vel potuiſſe hominem condere in puris naturalibus, ſummam in eo arguat INIVSTITIAM.

THOMAS VANDEN BERGHE S.T.P. Gandavi die 29. & 30. Auguſti 1674. Theſi 4.

An autem in ſtatu naturæ puræ homo creari potuerit; non putamus.

IOANNES DE WITTE S.T.P. Antverpiæ die 13. & 14. Julii 1671. ſatis habuit, aſſertionem poſuiſſe ut probabilem Theſi 6.

Probabile eſt Deum non potuiſſe hominem creare in ſtatu puræ naturæ.

MACARIVS HAVERMANS S. T. P. Antverpiæ die 12. & 3. Julii 1672. more ſuo haud paulò confidentius, ut diſcipulus Magiſtrum ſuperaret, ſic poſuit Theſi 15.

Deus Angelos (idem eſt de homine) cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam. Imo aliter ſaltem ſecundum providentiam ordinariam eos creare non poterat. Licet autem potuiſſet, inde tamen malè infertur, quod potuerit illum creare in ſtatu puræ naturæ, cum hic ultra defectum gratiæ, includas rebellionem carnis contra ſpiritum. Non poteſt autem Deus condere hominem deſtitutum auxilio ad domandam partem inferiorem, & ſuperiori ſubjiciendam. NE VMBRA QVIDEM APPARENTIÆ EST, quod hæc ſententia ſit condemnata per reprobationem hujus: DEVS NON POTVISSET AB INITIO TALEM HOMINEM CREARE, QVALIS IAM NASCITVR. Vnde IMPROBABILE EST DICERE, hanc ſententiam nequidem gaudere titulo probabilitatis.

Crevit huic Profeſſori confidentia anno proximè ſequente hoc eſt 1673. die 12 Julii, cum hæc dedit impertinenti 3.

Perſtamus in noſtrâ ſententiâ, ſtatum puræ naturæ eſſe impoſſibilem; & NON EST APPARENTIA, hanc ſententiam à PIO V eſſe condemnatam, & tantum abeſt, quod hæc ſententia non poſſit tutò ſuſtineri, ut è contra putemus, quod CONTRARIA SENTENTIA NON SATIS TVTÒ VIDEATVR POSSE SVSTINERI.

Profeſſor idem cauſam univerſam contra poſſibilitatem puræ naturæ inſtruxit operosè anno 1674. in ſuo *Tyrocinio* tract. 2. cap. 7. à num. 90. pag. 511. ubi ſic orditur.

Cogor hic ..... CLARE OSTENDERE; *QVAM* INVICTE EX DICTIS

DE-

DEMONSTRARI POSSIT impoſſibilitas ſtatus puræ naturæ ; ſeu illius ſtatus , quem natura noſtra habuiſſet, ſi ab initio à Deo condita fuiſſet, ſicut nunc naſcimur , hoc eſt rebellioni carnis, & omnibus aliis miſeriis hujus vitæ eo modo obnoxii quo nunc , excepto peccato. Oſtenditur autem Primò : quia impoſſibilis eſt ille ſtatus , in quo creatura rationalis .... non potuiſſet ſuum Creatorem, ſuum Benefactorem &c. caſtè, ſeu propter ſe diligere. Atqui, juxta jam dicta , ſine gratiâ ſupernaturali, quam natura pura excludit, non poteſt Deus caſtè propter ſe diligi .... Tertiò , impoſſibilis eſt ſtatus in quo homo non poſſet ullum opus moraliter bonum operari: atqui, juxta ſupra dicta, non datur ullum opus moraliter bonū, niſi ex charitate.... Hiſce accedit primò, quod divina bonitas non magis poſſit hominem creare ſine ſuâ culpâ cum concupiſcentia , quam cum habitibus vitioſis .... Atqui juxta veram Theologiam non poteſt Deus ſe ſolo infundere habitum vitioſum.

Hæc aliaque Profeſſor *MACARIVS HAVERMANS* nihil dubitans.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S.T.P. in Tungerloo die 2. & 3. Septembris 1676. Pelagianiſmo videtur terrere velle adverſarios Theſi 2.

Notent ſimiliter illi, quibus nullum videtur inconveniens , ſi dicatur , Deum poſſe creaturam rationalem omnibus miſeriis, quas modo patimur, condere obnoxiam, etiamſi nullum omnino præceſſiſſet peccatum: ſi enim hæc quorumdam recentiorum DOGMATA SVSTINENTVR, VT FIDEI NOSTRÆ NON CONTRARIA, certe FVTILIBVS NITITVR ARGVMENTIS AVGVSTINI DOCTRINA CONTRA PELAGIANOS TRADITA.

Profectò inſinuare audet hic Profeſſor communem ſententiam Theologorum, quam vocat *recentiorum quorumdam dogmata*, eſſe *fidei noſtræ contrariam* , & victores *Auguſtini* eſſe *Pelagianos*, ſi vera ſit illa communis doctrina.

Conſtat ſibi ibidem Theſi 15.

AT CONTRA HOS IVLIANI ASSECLAS omnes Auguſtiniani genuini filii, & diſcipuli propugnare debent, concupiſcentiam non eſſe naturale hominis bonum, illam eſſe pudendam, odio habendam , & ideo NON POTVISSE A DEO HOMINIBVS INSERI, ſed eſſe pœnam per peccatum introductam : contra quam, ſi velit eſſe bonus, viriliter debet pugnare ſpiritus. Hæc omnia ex ſcripturis Catholicè intellectis de concupiſcentia docuit AVGVSTINVS. Ex quibus perſpicuè ſatis patet , quid ille de poſſibilitate illius ſtatus ſenſerit , in quo nullo adhuc commiſſo peccato æque Spiritui bellum indiceret concupiſcentia, ac modo : ſtatum illum in ſententia ipſius eſſe impoſſibilem , eſt nimis quam manifeſtum.

Atque hæc nobis ad manum erant , quæ ſufficere videbantur ad præbendum Specimen Doctrinæ Theologicæ ex Academiâ Lovanienſi per Belgium manantis in materiâ quinque Propoſitionum *Cornelii Ianſenii* , & quibuſdam aliis huic affinibus.

PARTIS PRIMÆ FINIS.

SPECIMEN
DOCTRINÆ THEOLOGICÆ
PER BELGIUM MANANTIS
EX
ACADEMIA LOVANIENSI.

Ab Anno 1644. uſque ad Annum 1677.

PARS SECVNDA.

Specimen Doctrinę Theologicæ ex Academiâ Lovanienſi per Belgium manantis in materia Fidei, Spei, Caritatis, Pœnitentiæ, & Sacramenti Pœnitentiæ.

Occurrent in hâc ſecundâ Parte, Lector, varia adnotata pridem à *FRANCISCO SIMONIS* S. T. Licentiato in libro, cui titulus; *Status, Origo, & Scopus, reformationis hoc tempore attentatæ in Belgio circa adminiſtrationem & uſum Sacramenti Pœnitentiæ &c.* Sed ille Auctor ſatis habuit adnotaſſe quædam pauca: nobis major incumbit diligentia, qui hanc operam præſtamus Facultati Theologicæ Lovanienſis Academiæ, hoc tempore informanti S. Sedem de ſua doctrina Theologica, Studemuſque ut valde accurata evadat iſta informatio ad magnum Eccleſiæ bonum, quod illi profitentur ſe habere præ oculis, & nos habemus.

De illo libro *Franciſci Simonis* non eſt noſtrum ferre judicium. Attamen occupati hâc Secundâ parte Speciminis concinnandâ,& fontes ipſos adeuntes, unde petiit ea dogmata quæ Pontifici Maximo judicanda exhibet, comperimus profectò virum non fuiſſe indiligentem aut levem, utcumque ſecus ſit viſum *MACARIO HAVERMANS* S.T.Profeſſori Antverpiæ,cujus nuper prodiit liber,cui titulus; *Epiſtola Apologetica ad Summum Pontificem INNOCENTIUM XI. contra injuſtam accuſationem FRANCISCI SIMONIS.*

De hâc *Epiſtolâ Apologeticâ* hoc unum rogamus lectorem, ut judicium ſuum ſuſpendat hebdommadis perpaucis,quibus eſt opus, ut excusâ hâc ſecundâ parte Speciminis,Tertia ſcribatur, quod erit operæ non magnæ, in qua Lector ea inveniet,ex quibus duo docebitur. Primum,quam nullo fundamento, vaniſque prætextibus expoſtulet *Macarius Havermans* de *Franciſco Simonis* ut accuſatore injuſto,cujus cauſa non eſt nobis contemnenda ob non parvam connexionem, quam habet cum hac ſecunda Parte Speciminis, etſi cum Auctore ipſo nihil contraxerimus. Alterum docebitur Lector,quam leviter & parvâ diſcretione,ne quid gravius dicamus, ea collegerit *Macarius Havermans*, quæ ad informandam S.Sedem de Doctrinâ ſuorum Adverſariorum habet illa Epiſtola. Hæc aliaque dignetur expectare Lector in Tertiâ Parte Speciminis. Interea nihil nos moretur illa *Epiſtola Apologetica*, quo minus filum noſtrum perſequamur.

CAPUT I.

Specimen Doctrinæ Theologicæ in materia fidei.

AD materiam fidei merito reducimus obſervantiam debitam Sedi Apoſtolicæ,quæ eſt totius fidei petra. Ad Doctrinam vero Theologicam in materia fidei merito itidem reducimus facta ipſa Lovanienſium Academicorum, quibus ſenſum ſuum declararunt de iſta obſervantia debita Sedi Apoſtolicæ; quid enim intereſt, factone an ſcripto mentem ſuam declararint?

Exponemus igitur hoc loco primùm quidem facta ipſa toti Belgio notoria, quibus mentem ſuam declararunt: Tum vero & variorum doctrinas in materia fidei, quas ſervant publicæ paginæ typis impreſſas.

§. I.

Doctrina Lovanienſium Academicorum de Obſervantiâ debitâ Conſtitutionibus Sedis Apoſtolicæ factis ipſis comprobata in Belgio.

ETſi profiteamur ipſo titulo hujus opuſculi nos exhibere Specimen Doctrinæ per Belgium manantis ab anno 1644. hoc tamen loco paulo altius repetenda res eſt, ne, cum exponitur doctrina factis ipſis comprobata, factorum ſeries mutila exhibeatur.

VRBANVS VIII. die 1. Auguſti 1641. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decretum edidit, quo proſcripſit inter alios etiam librum, cui titulus *AVGVSTINVS Cornelii Ianſenii.*

Quomodo in Academia Lovanienſi ſuſceptum fuerit illud Decretum intelligetur ex litteris Apoſtolicis, quas ad illam Academiam dedit idem Pontifex die 11. Januarii 1642. cujus partem aliquam deſcribimus.

„ Dilecti filii Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum admiratione „ audivimus in vobis, qui religioſæ fidei defenſionem profitemini, non eam „ inveniri alacritatem ad juſſa Apoſtolica capeſſenda, quæ tum Eccleſiæ Au„ ctoritati, tum integritati, ac pietati veſtræ par eſſet, dum Decretum ad coër„ cenda circa materiam de Auxiliis ingeniorum diſſidia à nobis publicatum, „ debitæ executioni demandari minime curaſtis, ſed ad illius editionem impe„ diendam, neſcimus quo malo affectu ducti, inani certè ſpecie, & prætextu, „ quemadmodum ad nos perlatum eſt, Laicos Magiſtratus inducere non du„ bitaſtis. Patet quantum hoc ab iis, qui Eccleſiæ militant, abhorreat, quod „ offendiculum hinc puſillis, quantum hoſtibus ſcandalum exoriatur. Sedi „ quidem Apoſtolicæ non eadem ſuggerit conſilia, quæ fuere, & operâ, „ & votis univerſitatem iſtam beneficiis cumulandi. Speramus tamen fo„ re &c.

Ad hæc nomine Academicorum ſic eſt concepta reſponſio, ut numquam à ſe inductos eſſe Magiſtratus Laicos *Veritate ipſâ teſte teſtarentur*, affirmarentque nullum à ſe objectum impedimentum, quo minus à Sanctitate ſuâ publicatum nuper Decretum executioni mandaretur. Hoc verò quia erat alieniſſimum à vero, non ſolum Theologiæ Doctores rectiùs ſentientes; ſed etiam utraque juris Facultas, decreverunt, ſeorſum ſibi ſcribendum eſſe ad Sanctitatem ſuam, declarandumque, ſe in reſponſum iſtud Academiæ minimè conſenſiſſe.

Interea ab Illuſtriſſimis viris *Richardo Stravio* Dionyſienſi Epiſcopo, &, qui ei ſub illud tempus ſucceſſit in Apoſtolicæ juriſdictionis per Belgium adminiſtratione, *Antonio Bichio* Abbate *S. Anaſtaſiæ*, & *Fabio Chiſio* Neritonenſi Epiſcopo

ſcopo S.Sedis nuntio ad partes Rheni, nihil non actum, ut ſaniora conſilia capeſſerent Academici: ſed fruſtra, ut patebit ex epiſtolâ ejuſdem Illuſtriſſimi *Fabii-Chiſii* ad Eminent. Card. *Franciſcum Barberinum*, cujus Fragmentum ſubjicimus.

„ Parmi havere e col Framondo, e col Caleno provati i più dolci e più caritavi modi, che ſi poteſſero provare, perche diſingannati dalla propria Paſſione ſi rendeſſero oſſequenti al Decreto fatto ſopra il *Ianſenio* ſenza che N. S. doverà paſſar avanti à publicar la Bolla ſopra la mala qualità della dottrina. Ma porche eglino tanto piu ſi ſono moſtrati pertinaci con abuſare gli atti delli miei corteſi rimonſtranze Jo meſſa da parte ogni ſperanza di loro miglior riſolutione attenderò quel tanto che N. S. ordinarà di vantaggio per eſeguire dentro a' confini di queſta Nunciatura, ſi come ſpero che farà il S.r Abbate di S.Anaſtaſia in Bruſelles &c.

Tantorum ergo virorum pia ſtudia & conatus cum eluſiſſent annum integrum, atque interim liber *Ianſenii* palam venderetur, & ejus doctrina defenderetur aſſiduè, *magno*, ut ait Pontifex in Bulla, *cum Catholicorum Scandalo, & auctoritatis S.Sedis contemptu*, tandem ſua Sanctitas *huic malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti opportunum remedium adhibere volens*, Conſtitutionem, quæ incipit *In eminenti*; Romæ publicavit die 19.Junii 1643.quindecim circiter menſium intervallo, ex quo data erat pridie nonas Martii anno Incarnationis Dominicæ 1641. qui eſt à Nativitate, ut vulgò numeramus 1642. Cauſam dilatæ publicationis ad tantum tempus explicuit ipſe Pontifex in Brevi ad Gubernatorem Belgii *Franciſcum de Mello* die 24. Octobris 1643.his verbis: *Ejuſmodi publicatione per id temporis ſpatium ſuperſederi mandavimus eâ ſpe freti, ut Ianſeniani Apoſtolicis decretis, quæ ante vulgata fuerant, tandem acquieſcerent.*

Porro ſub initium Julii anni 1642. pervenit Conſtitutio ad Illuſtriſſimum Neritonenſem, cum mandato, ut eam recudi curaret, notamque faceret: nova enim publicatione haud erat opus, ut in ipſâ Conſtitutione declaratur. Juſſus itidem eſt tollere quædam menda typographica; idque imprimis additione commatis, ſeu virgulæ disjunctivæ præcipui momenti ante hæc verba; *in rigore & proprio verborum ſenſu &c.* Quoniam etiam Belgis, Germaniſque parum notus erat ſtylus Rom. Curiæ numerandi annos Incarnationis à die 25.Martii, diem Nativitatis, ſeu Circumciſionis Domini, vulgaris calculi initium, ſubſequente, pro anno quadrageſimo primo poſuit quadrageſimum ſecundum, non tempus datæ Bullæ, ſed computandi modum immutans. Atque hæc quidem Academicis noſtris tricandi, & cavillandi occaſionem præbuerunt.

Exemplaria Bullæ hoc modo recuſæ Neritonenſis Epiſcopus Coloniâ miſit ad Nepotem ſuum Abbatem S.Anaſtaſiæ pronuntium Apoſtolicum in Belgio, hic verò ad Belgii Gubernatorem, Archiepiſcopos, Epiſcopos alioſque.

 Conſtat

Conſtat à Gubernatore imprimis,& Archiepiſcopo Mechlinienſi, & aliis pleriſque,Bullam tunc quidem eâ,quâ par erat,reverentiâ acceptam fuiſſe.

Lovanii verò poſtquam ex mandato Illuſtriſſimi Internuntii, & *Ioannes Schinckelius* S.T.Doctor Collegis ſuis Doctoribus & Licentiatis Bullam prælegiſſet die 13.Julii 1643.& *Guilielmus ab Angelis* S.T.itidem Doctor eamdem diſcipulis in ſchola Theologica & prælegiſſet, & ſedulò commendaſſet, dici non poteſt, quantam invidiam incurrerint. Rei acti ſunt apud Academiæ Rectorem *Ioannem Sinnichium* S.T.Doctorem Janſenianum,& accuſati de crimine falſi in uſurpatione Bullæ vitiatæ,ac ſuſpectæ. Re intellectâ Illuſtriſſimus Pronuntius Apoſtolicus *Antonius Bichius* litteras dedit inhibitorias, quibus à causâ perſequendâ coram alio tribunali, quam ſuo, aut Judicis à ſe delegandi, deſiſtere jubebatur Actor, qui erat Academiæ Promotor, ſic appellant fiſci curatorem.

Hoc mandatum ita contempsêre hi noſtri, ut auſi ſint ad Illuſtriſſimum Pronuntium allegare duos Juris Doctores,qui poſtularent, ut ſuas haſce litteras privilegiis Academiæ contrarias, revocaret: ni faceret: ad alia remedia, ſæcularem ſcilicet potentiam,ſe recurſuros. Non ſegnius fecerunt, quam minati erant. Conſtante ſibi Illuſtriſſimo Pronuntio Senatus Brabantiæ auctoritatem implorarunt poſtulantes per Advocatum Fiſcalem Academiæ, inhibitionem illam à Pronuntio factam abrogari, gravemque eidem intentari pœnam,ſi impoſterum tale quid auderet.

Sed ſtudio & pietate Cancellarii Brabantiæ factum eſt, ut irritus caderet hic conatus. Interea Academiæ Rector *Ioannes Sinnichius* S.T.Doctor ſpreto mandato Apoſtolico judicem in hâc causâ ſibi ſubſtituit ſuæ factionis hominem *Henricum Haulthomme.* Appellarunt Rei ad quinque Judices, ad quos pertinet ſuprema in Academia Juriſdictio, etiam ſupra Rectorem. Hi verò & Judici delegato, & Actori interdixêre ulteriorem cognitionem, & proſecutionem cauſæ,intentatâ Actori ni obediret centum aureorum pœnâ.

His nihil moti eò progreſſi ſunt, ut per dictum *Haulthomme* ſententia lata & publicata ſit 13.Auguſti, quâ declarabatur *Ioannem Schinckelium incidiſſe in pœnam utentium litteris,ſeu Bullis Sedis Apoſtolicæ vitiatis in partibus earum ſubſtantialibus &c.* Hanc ſententiam Quinque Judices poſtridie irritam declaraverunt,& Actorem pœnâ intentatâ 100. aureorum, muldarunt: hîc verò ad Senatum Brabantiæ confugit, à quo ei impetratum eſt, ne Quinque Judices, qui proceſſuri videbantur ad declarandam Reorum innocentiam, procederent in cauſæ iſtius cognitione. Atque huic mandato obediri à ſuis Academia voluit, quæ paulò ante mandata Apoſtolica ſpreverat.

Omittamus permulta, ac inprimis mendacia, quibus Bullam ajebant eſſe quidem Romæ conceptam, ſed à ſua Sanctitate improbatam, juſſamque ſupprimi, fallaciâ vero Jeſuitæ Angli à Secretariis acceptam; excuſamque eſſe. Hæc

Hæc & his ſimilia litteris Româ datis certiſſimò conſtabant etiam S.T.Doctoribus: nominabantur viri illuſtres, qui litteras Romæ dederant,quique in Belgio acceptas oſtenderant.

Argumenta vero contra Bullam hæc inter alia etiam libellis publicis ferebantur.

PRIMVM, quod, quæ Romæ excuſa erat Bulla Annum præferret Incarnationis 1641, quæ verò Coloniæ, & in Belgio Annum 1642. Argumentum hoc oriebatur ex imperitia ſtyli Curiæ Romanæ ſaltem ſimulatâ,ut intelligitur ex iis,quæ ſupra annotavi.

SECVNDVM, quod nequidem Anno 1642. eo menſe ac die, qui Bullæ inſcribitur,haberi aut videri Romæ potuerit libellus ſupplex *Ioannis Ianſenii*, illo ipſo fere tempore ſub prælo ſudans; qui tamen inter alios Bullâ iſtâ eſt prohibitus. Parum conſiderabant inter datam Bullæ, & publicationem interceſſiſſe menſes circiter quindecim; Cauſam tanti intervalli ſuprà explicuimus verbis ipſius Pontificis. Interea verò facta eſt acceſſio quorumdam libellorum prohibendorum; quod impedire haud debebat, quo minus ſub eâdem datâ Anni Incarnationis 1641. (hoc eſt vulgari calculo Anno nat. 1642.) prid. Non. Martii publicaretur.

TERTIVM, quod à die 24.Junii viſa Bulla in Belgio fuiſſet, quinque ſcilicet diebus, poſtquam eſſet Romæ publicata. Hinc verò poterant conſequentiam facere,Bullam Romæ fuiſſe quibuſdam communicatam, priuſquam publicaretur: quod nullâ admiratione dignum.

QVARTVM, quod Colonienſis editionis Bulla ante hæc verba *in rigore &c.* haberet comma, quod aberat à Bulla Romæ editâ. De hoc commate dictum ſupra,& infra agetur uberius.

QVINTVM, quod in Bulla falſo diceretur doctrina *Cornelii Ianſenii* ſcandalum peperiſſe.

SEXTVM, quod doctrina ejuſdem *Cornelii Ianſenii* eſſet prorſus Auguſtiniana, quam ab Eccleſiâ damnatam eſſe nemo Catholicus ſine horrore ſuſtineat audire.

Nihil non egêre, & Neritonenſis Epiſcopus *Fabius Chiſius*, & Pronuntius Apoſtolicus *Antonius Bichius*, & S. Congregatio Univerſalis Inquiſitionis Romanæ,ut perſuaderent legitimam eſſe Bullam. Quæ cum fruſtra eſſent omnia, neceſſe habuit Summus ipſe Pontifex *Vrbanus VIII.* Bullæ ſuæ teſtimonium dare datis litteris Apoſtolicis die 14.Octob. 1643.ad Belgii Gubernatorem, ad duos Archiepiſcopos Belgii,ad Epiſcopum Antverpienſem, ad Academiam Lovanienſem, ac Duacenam,ad ſingulos in eamdem ſcribens ſententiam, etſi verbis diverſis. In iis vero litteris, quas ad Academiam Lovanienſem dedit Pontifex, poſtquam collaudaſſet eos, qui Bullam reverenter accepiſſent, hæc ſubjunxit: *Ingenti tamen animi ægritudine audivimus, aliquos non defuiſſe, quorum teme-*

temeritas eò prolapſa eſt, ut prædictam Conſtitutionem tum ob prorogatum publicationis tempus ac etiam quorumdam interpunctionem, & litterarum menda, tum ob immutatum in Colonienſi editione annum, inanibus ſcilicet argumentis, in dubium vocare, & falſitatis arguere non ſunt veriti.

Porrò illo tempore etſi Univerſum Academiæ corpus nondùm occupaſſet Janſeniana contagio, imò dignior, meliorque pars Rom. Pontifici faveret: tamen & inter Theologos ex octo Regentibus quinque erant Janſeniani, & ex aliis Academiæ membris, qui rectè ſentiebant, alii Janſenianos metuebant, alii privatis ducti rationibus inimicos habere nolebant: alii denique non quidem cauſam bonorum ſed perſonas oderant. Denique Janſeniani dominabantur, Rectorem inſtituebant, cœtum cogebant, decernebant, mandabant, publicabant pro libitu omnia, parteſque ſuas augebant quotidie magno ſanæ doctrinæ & Religionis detrimento.

Sic dominante factione, cum auditum eſſet Lovanii Pariſienſem Academiam admiſiſſe Bullam Urbani Pontificis contra *AUGUSTINUM Ianſenii* epiſtolam memorabilem Lovanienſis Academiæ nomine ad Academiam Pariſienſem dederunt die 10. Martii 1644. cujus exordium hoc eſt.

,, *Magnifice & perilluſtris Domine*, *Eximii & Clariſſimi viri*. Non ſine magnâ ,, admiratione, & animi noſtri dolore ex litteris quorumdam apud vos Reli- ,, gioſorum nuper audivimus, Bullam à Theologis Societatis adverſus Reve- ,, rendiſſimum D. Epiſcopum Iprenſem Romæ extortam, & tot nominibus ,, ſubreptitiæ, & doloſæ impetrationis ſuſpectam, non ſolum vos recepiſſe, ſed ,, etiam ad damnationem quorundam articulorum, qui in *Auguſtino* illius Re- ,, verendiſſimi explicantur, inclinare, aut jam damnaviſſe, quod tamen poſtre- ,, mum, ubi ingenium, ſolertiam, doctrinam, prudentiam tot Illuſtrium viro- ,, rum, ex quibus Academiæ veſtræ cætus componitur, cogitamus, credere ,, non poſſumus. Ergone poſt tot veterum temporum pugnas & Victorias ,, Sacro-ſancta *S. Auguſtini* doctrina tandem victa ſuccumbet, & quæ aſſultu to- ,, ties dejici non potuit, jam ſuffodietur cuniculis? Non ſinat Deus Perillu- ,, ſtres & Eximii Domini, ut ſic diſſipetur hæreditas verbi Incarnati & patri- ,, monium Crucifixi. Certe nos hic nequidem Bullam illam recepimus &c.

Magis etiam memorandus eſt conventus ille, quem Lovanienſis Academiæ Rector *Ioannes Haulthomme* ex conſenſu Academiæ ipſius indixit in diem 16. Februarii 1644. in quo diſceptaretur, an duæ *Ianſenii* ſententiæ, *gloriam æternam, & claram Dei viſionem homini ſecundum ſe eſſe debitam*, *& ſtare in nobis libertatem cum gratia neceſſitante*, aliud quidpiam haberent quam ipſam *Auguſtini* Doctrinam. Synodi cujuſdam ſpeciem habebat conventus ille conflatus ex Janſenianis, quotquot alicujus nominis etiam ex Religioſis Ordinibus colligere potuerunt, aſſidentibus etiam honoris cauſa Academiæ Cancellario, & tribus Abbatibus. Ibi verò tribus Doctoribus Janſenianis *Liberto Fromondo, Gerar-*

Gerardo van Werm, *Iacobo Pontano*, contra ſedebant tres Doctores auctoritatis Pontificiæ aſſertores *Ioannes Schinckelius*, *Chriſtianus Beuſecom*, *Guilielmus ab Angelis*, qui pridie juſſi erant à Rectore ſe ſiſtere ut cum adverſariis conferrent de duobus articulis Janſenianis, quos rogatus Rector detrectaverat nominare.

Facto conſeſſu cauſam convocati cætus expoſuit Rector. Surrexit *Schinckelius*, & de indignitate rei, quæ attentabatur dixit acriter non pauca. Denique priuſquam de re ullâ diſceptetur, ſcire velim, inquit, an Bullam Pontificiam contra librum *Ianſenii* datam, qui hic adſunt, pro legitima omnes habeant. Non haberi reſpondit Rector. Cum deinde cæteros, idemne de Bullâ cum Rectore ſentirent, rogaſſet *Schinckelius*, & nemo reſponderet, proteſtatione ſcripto conceptâ tres Pontificii Doctores mentem ſuam declararunt, & conventiculo iſto exceſſerunt.

Tum vero Doctor *Fromondus* lectis ex *S. Auguſtino*, & *pſeudo-Auguſtino Ianſenii* loculis quibuſdam, arbitros interrogat, an non eſſet eadem utriuſque doctrina. Omnes, quod jam ante præconceperant, reſponderunt, eamdem eſſe, uno excepto, qui neutram ſententiam *Auguſtini* eſſe, illam vero de gratiâ neceſſitante non ſatis conformem videri Concilio Tridentino dixit: quamquam denique probabilem eam eſſe, & quoquo modo ſuſtineri poſſe, diceret. Hujus tamen nomen æque, ac reliquorum; &, quod magis ridiculum eſt, cujuſdam etiam Fratris Theologiæ ſtudioſi, qui Socius venerat, Romam illi miſerunt, tamquam qui in hac Synodo decreviſſent, *Auguſtini*, & *Ianſenii* eamdem eſſe doctrinam.

Finem non inveniemus ſi perſequamur omnia, quæ vel Lovanii, vel apud Magiſtratus ſæculares, vel apud Belgii Epiſcopos, præcipuè Archiepiſcopum Mechlinienſem, & Epiſcopum Gandavenſem contra Bullam egit Lovanienſis Academia. Satis ſit hæc pauca exhibuiſſe pro ſpecimine eorum factorum, quibus Doctrinam ſuam de obſervantiâ debitâ Conſtitutionibus Pontificiis in Belgio declararunt.

§. 2.

Doctrina Lovanienſium Academicorum de obſervantia debita Conſtitutionibus Sedis Apoſtolicæ factis ipſis comprobata Romæ.

SIVE

Legatio Lovanienſis Academiæ ad Sedem Apoſtolicam Anno 1643. 1644.

ANno 1643. publico Lovanienſis Academiæ nomine inſtituta eſt Legatio ad Apoſtolicam Sedem, in quam & pars magna Anni 1644. inſumpta eſt. Cauſa Legationis, non tam ut de veritate Bullæ *Urbani* Pontificis, ejuſve integritate inquirerent ipſi, quàm ut objectâ *S. Auguſtini* auctoritate ad revocandam cenſuram, aut certè mitigandam Pontificem permoverent, quod veriti non ſunt palàm profiteri, & reipsâ Romæ egerunt, ut videbitur. Caput Legationis erat *IOANNES SINNICHIUS* S. T. Doctor Janſenianorum Coryphæus.

Ut verò plus auctoritatis haberet Legatio Solicitati ſunt Ordines Brabantiæ, qui cætus totam Brabantiæ Provinciam repræſentat, ex Præſulibus, Dynaſtis, oppidorum Conſulibus, Syndiciſque collectus, ut, velut Academiæ Brabantiæ Protectores, Doctoribus ad S.Sedem Legatis ipſi quoque litteras fiduciarias darent, quibus à ſe mitti eos teſtarentur. Perſuaſum Ordinibus erat, de Solis Academiæ privilegiis acturos Romam tendere: hic enim ſolus titulus Legationi prætexebatur. Quare non gravatè commiſerunt e ſuo cætu duobus viris Archiepiſcopo Mechlinienſi, & Abbati Parcenſi, ut petitas litteras expediri curarent.

Litteras porrò illi geminas expediri curarunt, alteras generales, quibus & Legati magnificè laudabantur, & mitti eos ad ſuam Sanctitatem ad negotia quædam Ordinum Brabantiæ nomine pertractanda declarabatur: quid negotiorum id eſſet, non exprimebatur, ut libertas eſſet Legatis alia omnia, quam de privilegiis agendi, contra mentem ipſorum Ordinum.

Alteræ litteræ *S.D.N.Urbano VIII.* erant inſcriptæ, quibus tum ipſos Legatos Doctores, tum negotium privilegiorum multis verbis ei Ordines commendabant. Ad extremum addita hæc erant.

„ Et quoniam ut intelligimus quidam æmuli contenderunt non ita pridem, „ Academiam apud Sanct. ſuam in ſiniſtram fortaſſis opinionem adducere oc„ caſione libri cujuſdam, cui titulus eſt *Auguſtinus* à Reverendiſſimo *Cornelio* „ *Ianſenio* Iprenſi nuper Epiſcopo, ac quondam Regio ſacrarum litterarum Lovanii

„ Lovanii Profeſſore, S.Theologiæ Doctore Doctrinâ,pietate,& omni virtu-„ tum genere inter Doctores,& Epiſcopos Belgii Illuſtriſſimo, compoſiti,præ-„ cipimus iiſdem, ut quidquid hâc occaſione ab Academiâ factum eſt, fideli-„ ter Sanctitati veſtræ declarent, eandemque ab omni ſiniſtra ſuſpicione dein-„ ceps liberent.

Hanc vero Janſeniani negotii mentionem additam fuiſſe ſuæ epiſtolæ, eò uſque Ordines ignorarunt, donec id Româ eſt ſignificatum: graviterque Collegii ſui ſcribam,quod nomine publico iſtis litteris ſubſcripſiſſet, objurgarunt: qui cum ad Archiepiſcopum,& Abbatem ſe referret,quorum juſſu hoc fecerat, reſque diſceptanda proximo conventu eſſet,& fortaſſe declarandum, has litteras,quod attinet ad cauſam *Janſenii*,ordinum non eſſe,Archiepiſcopus, quamvis non ſine periculo æger, lecto ſurrexit,in ordinum comitia venit, tantumque perfecit auctoritate, & gratiâ, ut decretum nihil fuerit: aucta tamen fuit hæc ordinum offenſio, cum intellexerunt Regi hanc ipſorum pro *Janſenio* legationem non probari: qui litteris ad Gubernatorem Belgii datis informari de ea voluerat.

Sic inſtructi è Belgio legati diſceſsêre ſub Octobris initium, aut finem Septembris anno 1643. inſtituto per Gallias itinere, cum Pariſios perveniſſent illic deliteſcere apud Patres Oratorii, ad quos diverterant, dies duodecim coacti ſunt,quod intellexiſſent in ſe inquiri à Cardinale Nuncio,qui meritò timebat,ne ſua cum Janſenianis,qui illic erant,conſilia communicarent, & Doctorum Sorbonenſium aliquot auctoritate ſuam legationem munirent, tamquam qui non ſolum à Lovanienſi, ſed etiam à Pariſienſi Academiâ actum pro Janſenio eſſent miſſi.

Romæ hoſpitio à Præmonſtratenſibus accepti, ubi primum ad Pontificem ſunt admiſſi, de privilegiis Academiæ, quam præferebant adventus ſui præcipuam cauſam, ſunt auditi: cum ſubinde mentionem de re Janſenianâ injicerent,reſpondit Pontifex: velle ſe, ut Bullæ à ſe editæ pareatur: idem monuit eos Emin.Card. *Barberinus*,addens non fictam, ut Lovanii jactabatur, ſed legitimam eſſe bullam,ac legitimè publicatam. De quo reſponſo iis dato Congregatio Sancti Officii mox in Gallias ad Emin. Card. *Grimaldi*, & Bruxellas ad Illuſt. Pronuntium ſcripſit die 5. Decemb. 1643. *ut ſi forſan* (verba ſunt Congregationis) *Doctorem Sinnich ad fovendas contentiones, alendamque refractariorum, & huic conſtitutioni inobedientium contumaciam, aliter ad univerſitatem Lovanienſem, aut ad alios ſcribere contingat, ac ſpem faciat fore,ut bulla revocetur aut mitigetur. D. V^a.* (ſic habebat epiſtola ad Pronuntium) *unumquemque de veritate rei edocere, deque ea univerſitates Belgii,illiuſque Prælatos, ſecuros facere poſſit, numquam ne per minimam cogitationem S. D. Noſtro venturum in mentem, ut bullam hanc quâcumque demum ſui parte immutet, verum fore, ut invigilet, ut ei obtemperetur, atque ea ſervetur.*

Quam

Quam non fuerit vana hæc ſolicitudo S. Congregationis, res ipſa deinde docuit, quando ex litteris *Ioannis Sinnichii* Româ datis ſparſa ſunt per Belgium mendacia multa contra Bullam Pontificiam, & Apoſtolicam Sedem probroſiſſima. Horum aliqua continet libellus anno 1649. in lucem editus cui titulus; *Rationes, ob quas Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus Mechlinienſis Belgii Primas &c. à promulgatione Bullæ, qua proſcribitur liber, cui titulus; CORNELII IANSENII Epiſcopi Iprenſis AVGVSTINVS, abſtinuit &c.* Quorum opera ſit uſus Archiepiſcopus in exponendis illis rationibus non eſt obſcurum: circumſidebatur ab Academicis Lovanienſibus quos inter numerabatur *FRANCISCVS VAN VIANEN* S.T. Doctor Lovanienſis, illo tempore D. Archiepiſcopi conſiliarius domeſticus; etſi auctorem libelli deſignare nominatim non ſit promptum. Erit vero operæ pretium ex libello iſto ea deſcribere ex quibus pateat, quæ mendacia per Belgium ſparſa fuerint occaſione legationis de qua hactenus. Pag. 13. 14. 15. 16. ſic legimus:

,, Dumque præterea non levibus argumentis Bulla hæc in falſi ſuſpicionem ,, adduceretur, Academia Lovanienſis binos ad *Vrbanum* Pontificem, unum ,, Theologiæ, alterûm juris utriuſque, Doctores ablegavit, an vera eſſet, inqui- ,, ſituros; &, ſi vera deprehenderetur, Sanctitati ſuæ cauſas ſub & obreptionis ,, expoſituros.

,, Paucis poſtquam Romam appulerant, diebus, Cardinalis *Barberinus* (qui ,, tunc illic omnia agebat, & poterat) Abbatem *S. Anaſtaſiæ*, Pontificium in ,, hiſce partibus miniſtrum, adverſariorum *Ianſenii* egregium fautorem, de illo- ,, rum adventu certiorem reddidit, apertèque indicavit, verendum non eſſe, ne ,, quidquam in hoc negotio immutaretur.

,, Evidens profectò argumentum animi præoccupati, conſtantiſque volun- ,, tatis dictam Bullam ſuſtinendi quidquid tandem contrà adduceretur.

,, In primo nihilominus ad Pontificem acceſſu Sanctitas ſua vivæ vocis ,, oraculo expreſsè eis declaravit, non aliud ſe mandaſſe, quam ut denuo con- ,, firmaretur Bulla *Pii V.* à *Gregorio XIII.* ante confirmata; ſed & diſertè caviſ- ,, ſe, ne quis in dictâ Bullâ, proprio nomine expreſſo ſugillaretur.

,, De cujus rei veritate ambigi videtur non poſſe, cum id ipſum iidem ,, Legati, Romæ adhuc exiſtentes, memoriali informatorio Cardinalibus ,, Commiſſariis cum relatione ad eundem Pontificem exhibito, diſertis ver- ,, bis inſeruerint.

,, Nec enim credibile eſt, auſuros fuiſſe iſtiuſmodi viros, libello, quem Pon- ,, tifici porrigebant, aſſerere rem tanti momenti ab eo dictam fuiſſe, ſi dicta ,, non fuiſſet; & eà quidem fiduciâ, ut hoc præterea adderent, mirum ergò vi- ,, deri, unde in dictam Bullam irrepſerit nomen *Ianſenii*.

,, Et quamquam ea Pontificis declaratio, bonam futuri ſucceſſus ſpem fa- ,, ceret; in progreſſu tamen nihil aliud, quam conſtantis illius, nequidquam

in

„ in eo negotio immutandi, voluntatis, quam Cardinalis *Barberinus* litteris ſuis „ ad Abbatem *S.Anaſtaſiæ* ſupra adductis, tam aperte indicarat, perpetua experimenta ſenſerunt.

„ Aperté enim teſtatur Legatorum alter (Romæ alter obiit) quidquid apud „ Cardinalem fecerint, quidquid urſerint, numquam obtineri potuiſſe, ut liber *Ianſenii* legitimè examinaretur, & cum *D. Auguſtini* ſcriptis conferretur, „ unde tamen præcipuè pendet *Ianſenii* defenſio: ut qui nihil aliud intenderit, „ quam explicare & fideliſſimè proferre *Auguſtini* ſenſa; nequaquam verò de „ eorum veritate aut falſitate quidquam ſtatuere: uti pluribus locis palàm eſt „ teſtificatus.

„ Sed nec illud obtineri potuit, ut Bullam falſis extortam fuiſſe ſuggeſtionibus, argumentis in eam rem paratis, oſtendere liceret.

„ Id tamen conceſſum eſt, ut remedium aliquod expoſcerent adverſus „ eos, qui occaſione dictæ Bullæ *D. Auguſtini* auctoritatem in contemptum „ adducebant.

„ Valde prætereà ſuſpectum eſt, quod idem Legatus affirmat: Aſſeſſorem S. Officii *Albiſium* Bullæ Compilatorem (graviſſimi haud dubiè criminis reum, ſi quid in eâ à mente Pontificis alienum, expreſſiſſe deprehenderetur) omnibus deliberationibus, & reſolutionibus eâ de re habitis „ interveniſſe.

„ Quarum hic demum fuit exitus: quod etſi Legati (ut nihil committerent in quo offendi Cardinalis *Barberinus* poſſet, neque ab eo datam ſibi poteſtatem excederent) nihil aliud poſtulaſſent, quam ut obtrectatores *D. Auguſtini* compeſcerentur: poſt mortem tamen Pontificis, Decretum iis inſinuatum fuit, tam longe à precibus, quas porrexerant, alienum, quam his „ quæ Cardinalis *Barberinus* Abbati *S.Anaſtaſiæ*, litteris paulo ante relatis, adixerat, conſentaneum.

„ Diſertis enim verbis in eo refertur; & ſtatuitur: porrectum à Legatis „ fuiſſe ſupplicem libellum pro dictæ Bullæ veritate, & intentione ſuæ Sanctitatis circa illam indagandâ: ac ut huic petitioni ſatisfieret, Pontificem „ mandaſſe, ut ejus exemplum illis traderetur exactè cum Autographo collatum, ac ſimul ſignificaretur eam ſuæ Sanctitatis mentem eſſe, ut præcisè Bulla obſervaretur, diſputationibus, difficultatibus, ac querelis hac occaſione exortis, vel exorituris, perpetuum ſilentium imponendo.

„ *Innocentio X.* ad Pontificatum erecto, Legatus ſuperſtes, rurſus apud eum „ inſtitit, ut *Ianſenii* liber debito examini ſubjiceretur, & cum *S. Auguſtini* ſcriptis conferretur.

„ Obtulitque, & paratiſſimum ſe exhibuit, evidentiſſimis argumentis oſtendere (quod & ante *Vrbano* vivente in conſeſſu Cardinalium, aliorumque hujus cauſæ cognitorum obtulerat) controverſiam, quæ nunc inter *Ianſenium*

M ejuſque

„ *Ianſenium* ejuſque adverſarios agitatur, nihil omninò ab eâ differre, quæ „ fuit olim inter *S.Auguſtinum* & *Pelagianos*, ac *Semi-Pelagianos*,nulliſque *Ianſe-* „ *nium* hactenus impeti argumentis,quam quibus *Pelagiani*, & *Semi-Pelagiani* „ impugnarùnt *Auguſtinum*.

„ Eâ quidem lege, & conditione,ut ſi vel in uno articulo eum convinci,vel „ deficere,contingeret,ſuis ipſe manibus *Ianſenii* librum, ultricibus flammis in „ acie Campi Floræ traderet.

„ At nihil iterum obtinuit: ſed nec eo minus honorificè à ſua Sanctitate „ habitus, & dimiſſus fuit; gratiis certè haud vulgaribus donatum, fidem facit „ Pontificium breve,quod ipſe vidi, ei, poſtquam Româ exceſſerat, jubente „ Pontifice ſubmiſſum: quo ſua Sanctitas,quid de eo cenſeret, quantoque il- „ lum affectu proſequeretur,pro fidelitate,obſervantiâ, & ſinceritate erga San- „ ctam Sedem exhibitis manifeſtè oſtendit.

Mirandum eſt, non memorari eodem libello mendacium Româ tunc acceptum, quo jactabatur toto Belgio, inſpectum eſſe à *Sinnichio* Codicem, in quem referri ſolent Bullæ Apoſtolicæ, neque inventam eſſe illam *Vrbani VIII.* contra librum *Corn. Ianſenii*. Quæ omnia oſtendunt, quanto periculo famæ Sedis Apoſtolicæ ſint obnoxiæ hujuſmodi legationes, quamque delicata res ſit, & quantâ cautione digna,audire, tractareque hujuſmodi legatos. Sed nos exitum legationis videamus.

Poſtquam nonnulla queſti eſſent legati apud S. Sedem de mutatione datæ, additione commatis,& mendis typographicis,per quæ bullæ exemplaria Coloniæ,atque in Belgio edita à Romanis diſcrepabant, libellum ſupplicem Pontifici obtulerunt,quo petebant, ut hujus cauſæ cognitionem alicui Congregationi Cardinalium, & Theologorum committere dignaretur; idcirco præcipuè, quod occaſione dictæ Bullæ auctoritas *S.Auguſtini* in Belgio violaretur à quibuſdam. Illos verò Pontifex ad Congregationem S. Officii remiſit,à qua cum eſſet diſcuſſa eorum petitio, & deinceps de eâ Pontifex informatus,mandavit, ut per Eminentiſſimos Cardinales *Ioannnem Bapt.Pamphilium*, *Bernardinum Spadam & Lalium Falconerium* Supremos Inquiſitores audirentur Lovanienſis Academiæ legati,atque ad ſe deinde referretur. Quo mandato non hoc voluit ſua Sanctitas,ut cognoſceretur de Doctrinâ *Ianſenii*, jurene, an injuriâ damnata eſſet; quod & non obſcurè illi petebant per libellum, & unum ſe petiiſſe poſtea jactarunt,ut conſtat vel ex *Rationibus* Archiepiſcopi Mechlinienſis,quas audivimus: ſed hoc tantum, an quæ afferebantur contra Bullæ veritatem, aliquid momenti haberent.

Exitus hic fuit: juſſu Pontificis *Vrbani* ex Archivo Congregationis S.Officii, & ex matrice Actorum, quæ in eodem Archivo ſervantur, extracta & tranſcripta eſt Bulla, & poſt diligentem collationem recuſa; traditaque Legatis non ſine ſevero mandato,ut eidem ab omnibus pareretur ſub pœnis, & cenſuris in

eâ contentis. Ibi vero Comma illud ante verba, *in rigore &c.* diſtinctè viſebatur expreſſum. Sed de celebri commate, ipſoque legationis exitu plura neceſſe erit infra tangere.

Omnem verò admirationem ſuperat, quod narrantem audivimus Archiepiſcopum Mechlinienſem in ſuis *Rationibus*, Doctorem *Sinnichium* poſt hæc omnia, ſublato è vivis *Vrbano* Pontifice, & INNOCENTIO X. *ad Pontificatum evecto, rurſus apud eum inſtitiſſe, ut IANSENII liber debito examini ſubjiceretur & cum S. AVGVSTINI ſcriptis conferretur.* Jam ſaltem conſtabat, veram, ac legitimam eſſe Bullam Rom. Pontificis contra *Ianſenii* librum, & doctrinam. Et tamen Lovanienſis Doctór, Academiæ Lovanienſis nomine, petere eſt auſus ulterius examen libri, ejuſque collationem cum *S. Auguſtini* ſcriptis, idque & Romæ, & à ſummo Pontifice *Innocentio X.* ſucceſſore *Vrbani VIII.* qui ſententiam tulerat, & ipſius *Innocentii* ſeu Cardinalis *Pampbilii* operâ erat uſus ad tollendam dubitationem omnem, ſi quæ hic eſſe poterat. Quid bonæ ſpei eſſe poteſt à legationibus hujus generis?

§. 3.

Doctrina Lovanienſium Academicorum de obſervantiâ debitâ Sedi Apoſtolicæ in variis materiis, factis ipſis comprobata Lovanii.

PRIMO. Quanto in honore Lovanii habeatur hoc tempore Mandatum Apoſtolicum, juſſu *Sixti V.* Pont. Rom. publicatum olim Lovanii, operæ pretium eſt memorare. Sed aliquanto altius repetenda eſt hiſtoria.

Anno 1587. cum diem ſuum obiiſſet Illuſt. Nuntius Apoſtolicus Vercellenſis, quo vivente, nihil attentare ſunt auſi, exarſerunt contra varias ſententias Theologicas Profeſſorum Jeſuitarum quidam Doctores Facultatis Theologicæ Lovanienſis, & contra eas celebrem tulerunt *Cenſuram.*

Eodem anno concluſit Univerſitas, *quærendos eſſe patronos opportunos, videlicet Reverendiſſimos ac Illuſtriſſimos DD. Archiepiſcopos Cameracenſem, & Mechlinienſem, D. Ioannem Baptiſtam de Taxis, atque aliquem, vel aliquos mittendos Bruxellas, qui negotia Vniverſitatis apud ſuam Sanctitatem, & Regiam Majeſtatem ſolicitanda præparent.* Ita Acta Univerſitatis prædicto anno 1587.

Eodem anno, ut creſceret auctoritas *Cenſuræ*, & præparatio ad ſolicitanda negotia apud ſuam Sanctitatem, inducti ſunt multi Epiſcopi Belgii, Abbates, Capitula, aliique ad ſubſcribendum *Cenſuræ*.

Anno 1588. die 10. Julii, poſtquam Romæ eſſet diſcuſſa cauſa, Illuſtriſſimus *Octavius* Epiſcopus Calatinus Nuncius Apoſtolicus juſſu *Sixti V.* edidit Lovanii Mandatum Apoſtolicum, quo ad ſedandas diſſenſiones *SVPER QVIBVSDAM SANÆ DOCTRINÆ ARTICVLIS*, ut vocat ex Brevi Pontificio, ſtatuit his verbis.

 „Statui-

„ Statuimus & ordinamus, ac per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut nemo „ .... de his aſſertionibus controverſis in alterutram partem ita „ diſputare, vel Doctorum auctoritate unius partis aſſertiones confirmare, al- „ teriuſve refellere, aut impugnare, vel cujuſvis pietatis, aut neceſſitatis, præ- „ textu de his loqui, ſcribere vel dictare in poſterum attentet, ut auſu temerario „ eas hæreticas, ſuſpectas, offenſivas & periculoſas eſſe..... donec auctoritate „ Apoſtolicâ maturè definitæ fuerint, affirmare præſumat: quod ſi quis contrà „ fecerit, ſciat ſe excommunicationis latæ ſententiæ pœnam (à qua niſi in mor- „ tis articulo conſtitutus à nullo, præterquam à Rom. Pontifice valeat abſolvi) „ incurriſſe.

Permiſſum tamen Doctoribus Lovanienſibus, ut manuſcriptam *Juſtificatio-nem cenſuræ* Romam mitterent; quod & fecerunt eodem anno 1588.

Porrò ut eò veniamus, quò hæc ſuperiora tendebant, *Juſtificatio* illa *cenſuræ* typis excuſa prodiit in Belgio anno 1641. rurſumque alteris typis anno 1675. & quidem Typis Lovanienſibus in officina *Adriani de Witte*; etſi frons libri mentiatur civitatem Pariſienſem, & annum 1641. Hæc res eſt Lovanii notoria.

Illo anno 1675. excuſa Lovanii *Juſtificatio Cenſuræ* verſatur hodie Lovanii in manibus ſtudioſorum Theologiæ, ut liber ſummi pretii, hunc terunt, has cenſuras condiſcunt: qui eas neſcit, is nullo in numero eſt. Hæc vident S. T. Doctores in Collegiis, quibus præſident, hæc patiuntur, utinam non foveant, neque animent, ſtimulentque alumnos ſuos, ut damnatas Apoſtolico decreto cenſuras diſcant avidiùs.

Referre hîc libet rem, cujus memoria Lovanii eſt recentiſſima. Die 12. Maji hujus anni 1677. in actu publico, ubi frequentiſſimo auditorio *Theſes* propugnabantur *prolegomena ad vetus, & novum teſtamentum* eò delapſa eſt diſputatio, ut de celebri Cenſura Lovanienſi ſermo fieret: cumque is, qui diſputationi præerat, affirmaret Cenſuram illam eſſe interdictam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & reſervatæ ſummo Pontifici, cachinnis exceptus eſt indignis ab Academicis Theologiæ Studioſis, qui perfrequentes aderant. Cùm adhæc ille haud imparatus proferret Mandatum Apoſtolicum juſſu *Sixti V.* Lovanii publicatum ab *Octavio* Epiſcopo Calatino & Nuncio Apoſtolico, affirmare pergens, cenſuram illam Lovanienſium Doctorum eſſe & manere interdictam ſub pœna excommunicationis, cachinnum tulit, atque exſibilationem nihilo minorem iterum iterumque, Apoſtolicam auctoritatem conteſtans, dolenſque rei indignitatem in Academia Catholica. Nec deerat S. T. Profeſſor & Licentiatus, qui argumentatione ſua viam ſterneret ſcandaloſæ inſolentiæ, hoc agens ut oſtenderet exercitii cauſa, ut ajebat, Mandato illo Apoſtolico non prohiberi cenſuram quamdam particularem ex illa multiplici Cenſura Lovanienſium Doctorum. Atque hæc illi Theologiæ Studioſi Aca-

demici

demici fortaſſe nonnullâ excuſatione, vel quod putarent prohibitum dici librum, in quem eſſet relata cenſura, vel quod de Mandato Apoſtolico tum primùm audirent, nihil hactenus mali ſuſpicantes in cenſuris illis quas non vanis argumentis intelligerent à ſuis Doctoribus valde probari.

Neſcimus an eandem excuſationem ſperare queat *FLORENTIVS DE COCQ* S.T.P. Antverpiæ, qui die 10. Martii 1677. damnatam cenſuram renovavit his verbis Theſi 24.

Ex dictis itidem patet, quam vana ſit gloriatio, quâ contrarium datæ ſententiæ (de prædeſtinatione ante præviſa merita) *docentes gloriantur, doctrinam ſuam eſſe maximè conſentaneam divinæ bonitati, ſcripturarum auctoritati, Patrum teſtimoniis, & naturalis rationis æquitati, nullâ in re favens PELAGIO, & quàm longiſſimè à ſententia LVTHERI, & CALVINI, & reliquorum ſecedens. Cui gloriationi nonne opportunè repoſuit facultas Theologica Lovanienſis, cenſurâ ſuâ ultimâ? Imò verò juſtius fortaſſe alius quiſpiam dixerit, ſententia hac (ſcil. nobis adverſa) juſtitiam evertit, ſcripturis illudit, Patrum teſtimonia in alienos ſenſus detorquet, humanæ rationis corruptioni applaudit, humilitatis fundamentum evertit, precandi neceſſitatem non magnam relinquit, propriarum virium fiduciam ingenerat, in ſalutis negotio, quod præcipuum eſt, homini donat, quod minus Deo; gratiam Dei libero arbitrio ſubjicit, ac ejus pediſſequam facit.*

Item *LIBERTVS FROMONDVS* S.T.D. Lovanii die 4. Decemb. 1652. Theſi 1.

Hinc patet, quomodo Apoſtolo CONTRADICANT PELAGIANI dicentes, Deum eligere aliquem ex præviſis operibus.

Similiter *ANDREAS LAVRENT* S.T.D. Lovanii die 12. Novembris 1659. Theſi 3.

Gratiam ex meritis dari PELAGIANVS ERROR EST: in quem quoque impingere videtur, qui prædeſtinationem ad gloriam ex præviſis humani arbitrii meritis ſtatuit eſſe factam.

Intelligenda eſt Theſis de meritis ſupernaturalibus; alioqui enim non fuiſſet dicendum, *impingere VIDETVR*: quia non minus certa eſſet poſterior Pars Theſeos, quam prior, de quâ meritò dicebatur abſolutè, *Pelagianus error eſt.*

Accedere poteſt *MARTINVS STEYART* S.T.D. in Theſibus pro laureâ Doctorali die 9. Novembris 1675. Theſi 2.

De fide non erit Doctrinam CALVINI de prædeſtinatione, gratiâ, libertate &c. eſſe erroneam, AVGVSTINI de iiſdem orthodoxam? PRORSVS ID DE FIDE EST.

Nemo hæc legens Lovanii dubitare poteſt, quin pronuntiet hic Doctor de fide eſſe Doctrinam affirmantium prædeſtinationem ante præviſa merita (non enim dubitant hi noſtri Doctores quin ea ſit Doctrina *Auguſtini*) adeoque contrariam huic doctrinam eſſe hæreticam.

Hi verò quam reverentes fuerint Mandati Apoſtolici de quo hactenus, ipſi viderint.

SECVNDO. Anno 1668. die 9. Aprilis *Clemens IX.* Pontifex Romanus ſingulari decreto omnibus fidelibus ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ interdixit, lectionem libri Gallici, cui Titulus; *Rituel Romain du Pape Paul V. à l'uſage du dioceſe d'Alet, avec les inſtructions, & les rubriques en francois:* quippe *in quo,* inquit, *non ſolum continentur nonnulla ab ipſo Rituali Romano, juſſu ſel. record. PAVLI Papæ V. prædeceſſoris noſtri edito, aliena, ſed etiam doctrina quædam, & propoſitiones falſæ, ſingulares, in praxi periculoſæ, erroneæ, & conſuetudini in Eccleſiâ communiter receptæ, atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitæ & repugnantes, quarum uſu, & lectione CHRISTI fideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus infici poſſent.*

Hic liber tam ſolemniter proſcriptus & damnatus paucis ab hinc annis latinè verſus recuſus eſt Lovanii in officinâ *Adriani de Witte*, legiturque hodie liberè ab Academicis S. Theologiæ Studioſis, ſcientibus Collegiorum præſidibus Doctoribus, nec impedientibus.

TERTIO. Eodem anno 1668. die 20. Aprilis idem *Clemens Papa IX.* librum vulgò dictum *Novum Teſtamentum Montenſe* cui titulus *le nouveau Teſtament de noſtre Seigneur IESVS CHRIST traduit en françois ſelon l'edition vulgaire &c.* damnavit *tamquam temerarium, damnoſum, à vulgatâ editione prædictâ difformem, & offendicula ſimplicium continentem .... ita ut nemo deinceps .... ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, illum legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, vel præſumat &c.*

Damnatiſſimus hic liber Bruxellis recuſus Anno 1675. Typis *Henrici Eugenii Fricx,* Lovanii verſatur in manibus paſſim. Neque fieri poteſt ut id ignorent Collegiorum præſides, cum ſit notorium Lovanii habitantibus.

QVARTO. Anno 1657. die 6. Septembris *Alexander VII.* Pontifex Romanus proſcripſit *Ludovici Montaltii litteras Provinciales.* Decretum illud *Alexandri VII.* ſolemniter publicavit in ſua diœceſi, in qua ſitum eſt Lovanium, illuſt. Archiepiſcopus Mechlinienſis *Andreas Creuſen* die 24. Octobris 1657. Imo decretum idem Rector, & univerſitas Lovanienſis publicari mandavit die 27. Octobris 1657.

Interea hoc tempore litteræ illæ erroribus ſcatentes Janſenianis, & quidem cum notis *Willelmi Wendrockii* quibus illæ illuſtrantur, & acriter defenduntur, Lovanii manibus omnium paſſim teruntur, tamquam liber utiliſſimus: uſque adeo ut, cum die 30. Aprilis 1675. S. T. Profeſſor *Rainerus Payez* Ordinis *S. Franciſci* Theſes ad diſputationem propoſuiſſet, in quibus verbo perſtringebatur liber ille, numero permagno confluxerint Academici omnis generis, tam diſputaturi & vindicaturi librum, quam audituri & acclamaturi in favorem libri, uti reipsâ factum eſt mirabili ſtrepitu. Liber oſtentabatur palam è turba æquè ac ex ſubſelliis vociferatio edebatur &c.

QVINTO. Ne Romæ quidem putamus inauditum eſſe de libellis infamibus & vi-

& virulentis, qui in Belgio prodierunt tam multi proximè ſuperioribus annis contra honorem bonorum virorum, ac præcipue Religioſorum, contrà inſtituta ipſa ordinum mendicantium tam amplè confirmata à Sede Apoſtolica, retractis in lucem pudendis opuſculis *Guilielmi à S. Amore*, quem pridem debellatum ab *Angelico & Seraphico* Doctoribus *Alexander IV.* Summus Pontifex ad Doctores Pariſienſes ſcribens reprobavit, ut *ponentem os in cælum contra Sedis Apoſtolicæ poteſtatem ...... contra ſtatum & profectum Religioſorum virorum .... reprobè dogmatizantem, & quantum in ipſo fuit diſſeminantem in Eccleſia unitatis nefandi ſchiſmatis peſtem &c.*

Ubicumque verò, & quibuſcumque Auctoribus impreſſi ſint libelli illi, hoc certum eſt, nuſquam alibi in Belgio, quàm Lovanii avidiùs eſſe diſtractos, & lectos. Uſque adeo, ut anno 1675. Regium Concilium Brabantiæ ſocordiam animadvertens eorum, qui Academiam Lovanienſem regunt, putaverit ad ſuum munus pertinere, tantis ſcandalis remedium adhibere, ablegato Lovanium Procuratore Generali cum mandato inquirendi auctores, impreſſores, venditoreſque dictorum librorum: uti reipsà inquiſivit, fruſtra conteſtantibus Academicis ſua privilegia.

Pridem antè Auctoritate ejuſdem Concilii ſequeſtrata erant apud Lovanienſem Prætorem exemplaria *Ritualis Aletani* damnati libri à Sede Apoſtolica, recuſa Lovanii in officina *Adriani de Witte*, ut ſuprà expoſui.

At verò inquiſitionem ſuam peragente Procuratore Generali Concilii Brabantiæ, compertum eſt, per fraudem eſſe ſublata exemplaria Prætori, & tranſlata ad Collegium Bajanum, cujus eſt præſes, eratque illo tempore *IOANNES RECHT* Theologicæ facultatis Doctor. Hinc ergo cum illa vindicare, atque auferre moliretur dictus Procurator Generalis, graviter periclitatus eſt, concurrentibus magno clamore Collegii alumnis; ut neceſſe habuerit inclamare opem, & denique re tunc infectâ abire, & expectare tenebras, ut magis opportunas iſti executioni.

Facta alia atque alia ſunt in promptu comprobantia doctrinam Lovanienſium Academicorum de obſervantia debita Sedi Apoſtolicæ. Sed hæc ſufficiant pro ſpecimine.

§. 4.

§. 4.

Doctrina Lovanienſium Academicorum de quodam commate, ſeu virgulâ disjunctivâ in Bulla Pii V. Gregorio XIII. Urbani VIII.

ORIGO DOCTRINÆ.

Exponenda eſt origo Doctrinæ, ut de Doctrina ipſa commodius ſtatuatur.

IN Conſtitutione *Pii V.* confirmatâ à *Gregorio XIII.* & *Vrbano VIII.* recenſitis articulis Bajanis vulgò dictis cenſura ſubjungitur his verbis: *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas .... damnamus, circumſcribimus, & abolemus.*

Hic vides, lector, poſt illa verba; *Suſtineri poſſent*, & ante hæc verba; *in rigore &c.* poſitum comma, ſeu virgulam disjunctivam. Magni refert, ſitne rectè poſitum Comma, nec ne. Si rectè poſitum ſit, ſenſus eſt, *damnari ſententias in rigore, & proprio verborum ſenſu &c.* ſi non ſit rectè poſitum, ſenſus eſt, *nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu.* Ut lux aliqua accedat Paulò altius repetenda res eſt.

Rogatus fuerat à *Bajo Toletus*, ut bullæ Apoſtolicæ exemplar Lovanii relinqueretur: ſed abſque mandato Pontificis id fieri non debere ratus, acturum promiſerat cum ſuâ Sanctitate, ubi Romam rediiſſet, ut inde tranſmitteretur. Miſſum itaque Româ eſt exemplar manuſcriptum, quod huc uſque in tabulario Facultatis Theologicæ Lovanii aſſervatur, & nullas uſpiam habet interpunctiones; quæ in Romana curia, cum quidpiam manu deſcribitur, omitti ſunt ſolitæ. Ad hujus exemplaris normam Bulla iſta Gregoriana typis excuſa eſt Lovanii anno 1641. adverſus librum *Ianſenii* tum primum editum. Unde mirum videri nemini debet, ſi neque in exemplaribus tum excuſis ulla diſtinctionis nota appareat.

At verò quod eodem, quo res gerebatur, anno 1580 Romæ Typis Cameræ Apoſtolicæ excuſum eſt, hujuſmodi notas habet, atque in iis manifeſtum Comma invenitur poſt hæc verba; *quamvis nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent:* ex quo colligas, aliena fuiſſe, & contraria menti Pontificis, quæ *Bajus* aliquando jactavit de ſententiis ſuis; eas *in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento* judicatas eſſe veras, aut certe tales, quæ ſuſtineri poſſent.

Hoc exemplar videre potuit, & ſuperiora, quæ expoſuimus, non ignorare, *Cornelius Ianſenius:* & tamen lib. 4. *de ſtatu naturæ lapſæ* c. 27. col. 673. ſic ſcripſit:

IAN-

IANSONIVS (fuit is S.T.Doctor *Baji* diſcipulus) *palàm conteſtatus eſt, Pontificis Bullam adulteratam eſſe ab iis, qui diſtinctionem ponerent poſt illa verba; SVSTINERI POSSENT .... nullius enim diſtinctionis in Originali Bullâ, quam tenebat manibus, & legebat, veſtigium eſſe aſſerebat, & revera nullum eſſe diſtinctionis veſtigium ego ipſe ſæpe meis oculis vidi.* Hæc & *Iacobus Ianſonius* in ſcholâ publicè (ſi vera eſt *Ianſenii* narratio) & *Corn. Ianſenius* non bonâ fide, tacentes, Originalem illam Bullam, quam vocant, nullas uſquam interpunctiones, aut disjunctiones habere.

Bullam verè Originalem, primumque autographum originale teſtatus eſt die 2. Octob. 1644. Emin. Cardinalis *de Lugo* ſe vidiſſe; non in Regeſto, in quo à ſcriptoribus Apoſtolicis Bullæ diſtribuuntur, & in quo nullæ ſolent interpunctiones adhiberi, ſed in ipſo met Autographo illius Cardinalis, qui juſſu *Pii V.* Bullam concepit, & extendit ſecundum mentem Pontificis, & notaſſe diligenter interpunctiones, & comperiſſe, quod poſt illa verba; *ſuſtineri poſſent*, atque ante illa; *in rigore* &c. poſitum eſſet Comma, ſeu virgula disjunctiva. Hæc ſe tum ex Emin. Cardinale audiviſſe affirmavit in verbo Sacerdotis *Philippus Allegambe* S.T.Doctor &c. litteris datis 8 Octobris 1644.

Hæc etſi ita ſe habeant, factum eſt, ut cum *Vrbanus VIII.* Bullam confirmaſſet, & ſuæ, quam contra librum *Ianſenii* dedit, inſeruiſſet, inter menda typographica non pauca irrepſerit omiſſio Commatis non parvi momenti. De his mendis Româ monitus illuſt. *Fabius Chiſius* Sedis Apoſt. Nuntius, non omiſit ea tollere in editione Colonienſi. Quæ res occaſionem præbuit cavillandi contra Bullam, ut ſuprà expoſuimus. Hæc de origine doctrinæ.

PROGRESSIO DOCTRINÆ.

ANno 1643. conſtat valde vulgarem fuiſſe criminationem bullæ, ut vitiatæ additione Commatis poſt illa verba; *ſuſtineri poſſent*; adeoque vires ſumpſiſſe doctrinam *Michaëlis Baji*, *Iacobi Ianſonii*, *Cornelii Ianſenii*, aſſerentium ex ſententiis à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* condemnatis *nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento.*

Hanc verò doctrinam, & cavillationem de commate à Lovanienſi potiſſimùm Academiâ manaſſe vel ex eo nobis perſuadere poſſumus, quod *Vrbanus VIII.* die 24. Octob. 1643. Sex Brevia expediens ad Belgii Gubernatorem, Archiepiſcopos Mechlinienſem, & Cameracenſem, Epiſcopum Antverpienſem, Academias Lovanienſem, & Duacenam, quibus dolentiſſimè queritur de contumacia Bullam aſpernantium, in nullo illorum brevium mentionem faciat de cavillatione Commatis, niſi in eo, quod ad Lovanienſem Academiam direxit, ſic ſcribens: *Ingenti tamen animi ægritudine audivimus, aliquos non defuiſſe, quorum temeritas eò prolapſa eſt, ut prædictam conſtitutionem tum ob prorogatum publicationis*

tempus, *AC ETIAM QVORVMDAM INTERPVNCTIONEM* ....:...... *in dubium vocare, & falſitatis arguere non ſunt veriti.*

Porrò anno 1644. Doctores à Lovanienſi Academia allegati ad Sedem Apoſtolicam, cum jure meritiſſimo non audirentur examen petentes libri *Janſenii*, & collationem cum Doctrina *S. Auguſtini*, auditi ſunt de iis, quibus Bulla in Belgio tam multis erat ſuſpecta, adeoque in primis de Commate illo poſt verba; *ſuſtineri poſſent*. Quam verò ſedulò fuerint auditi expoſuimus §.2. hujus capitis, quid reſponſi, quamve ſententiam abſtulerint, jam exponimus verbis ipſis S. Congregationis Romanæ, & univerſalis inquiſitionis in decreto edito die 6. Junii 1644. quod ſic habet.

„ Cum poſt publicatam bullam Sanctiſſimi Domini noſtri contra librum „ *Cornelii Janſenii*, olim Epiſcopi Iprenſis, cui titulus *Auguſtinus*, excitatæ fue- „ rint variæ difficultates occaſione diverſitatis exemplarium bullæ præfatæ, & „ aliorum, de quibus in nonnullis libellis divulgatis: cumque per *Ioannem Sin-* „ *nichium*, & *Cornelium Papium* Doctores Univerſitatis Lovanienſis fuerint „ præſentatæ litteræ ejuſdem Univerſitatis, nec non porrectus ſupplex libellus „ Sanctiſſimo Dominò noſtro pro dictæ bullæ veritate, & intentione Sancti- „ tatis ſuæ circa illam indagandâ: Idem Sanctiſſimus litteras, & libellum præ- „ fatum ſacræ Congregationi ſupremæ, & univerſalis inquiſitionis remiſit, ut „ per eam de contentis in illis informaretur, prout ſucceſſivè informatus man- „ davit per Eminentiſſimos, ac Reverendiſſimos DD. Cardinales *Bernardinum* „ *Spadam, Ioannem Baptiſtam Pamphilium, & Lelium Falconerium* tres ex ſupremis „ Inquiſitoribus, antedictos *Sinnichium* & *Papium* audiri, & deinde Sanctitati „ ſuæ ab eis deducta referri. Qui quidem Domini Cardinales, in executionem „ dicti mandati, præfatos Doctores verbo & ſcripto, multa deducentes, tum „ congregatim, tum privatim audiverunt, eaque omnia in præfata ſupremâ, & „ univerſali Congregatione prius communicata, ac ibi pluries diſcuſſa, unà „ cum voto ipſius Congregationis Sanctiſſimo Domino noſtro diligentiſſimè „ retulerunt. Sanctitas vero ſua, auditâ relatione, & voto præfatis, nec non om- „ nibus maturè perpenſis, & conſideratis; mandavit ex Archivio ejuſdem „ Congregationis, & ex matrice actorum, quæ in eodem Archivio conſervan- „ tur, extrahi ſive tranſcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar „ bullæ præfatæ, illudque ſic extractum, collationatum, & impreſſum, eiſdem „ *Sinnichio & Papio*, per ſupradictos DD Cardinales *Spadam, Pamphilium, & Fal-* „ *conerium* conſignari, ipſiſque inſuper *Sinnichio*, & *Papio* intimari, & ſignifi- „ cari, ſuæ Sanctitatis mentem, & voluntatem eſſe, ut eidem exemplari ſic „ conſignato fides adhibeatur, & ab omnibus Chriſti Fidelibus Bullæ hujuſ- „ modi omnino pareatur, ſub pœnis, & cenſuris in eâ contentis: & demum „ ſuper dubitationibus, difficultatibus, ac querelis, occaſione præfatæ Bullæ „ quoquo modo excitatis, vel excitandis, perpetuum ſilentium imponi, prout „ impoſuit, & ita &c.

Infra

Infra hoc decretum impreſſa legimus hæc:

„ Fidem facio ego Notarius publicus infraſcriptus, qualiter die XXIX. „ Julii M. DC. XLIV. in executionem ſuprà ſcripti decreti fuit à ſuprà no- „ minatis Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus *Spada*, *Pamphi-* „ *lio*, *&* *Falconerio*, datum & cum effectu conſignatum in propriis manibus „ *DD. Ioannis Sinnich, & Cornel i Papii*, Profeſſorum univerſitatis Lovanienſis „ exemplar Bullæ Sanctiſſimi Domini noſtri *Vrbani* Papæ Octavi contra li- „ brum quemdam Reverendiſſimi *Cornelii Ianſenii* olim Epiſcopi Iprenſis, in- „ titulatum *Auguſtinus* .... Ita eſt *Ioannes Antonius Thomaſius* præfatæ Sacræ „ univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Infra hæc ſubjunctam legimus manuſcriptam atteſtationem authenticam his verbis:

„ Concordat cum originali, quod eſt penes illuſtriſſimum D. Internun- „ tium, quod atteſtor *Iac. Thibault* 1644. Scriba nuntiaturæ Apoſtolicæ „ in Belgio.

Porrò extant etiam hodie in Belgio exemplaria Bullæ Urbanianæ in gratiam legatorum Lovanienſium Romæ recuſa illo anno 1644. in quibus videre eſt valde diſtinctè comma, ſeu virgulam disjunctivam, poſt illa verba; *Suſtineri poſſent*, & ante illa verba, *in rigore &c.* non ſine atteſtatione authentica Notarii ſupremæ & univerſalis Inquiſitionis Romanæ in hæc verba.

„ Atteſtor ego *Io. Antonius Thomaſius* ſupremæ, & univerſalis Inquiſitionis de „ urbe Notarius, à matrice actorum *Pii V. & Gregorii XIII.* F. R. nec non San- „ ctiſſimi D. N. *Vrbani* Papæ Octavi, quæ in Archivio ejuſdem ſupremæ, & „ univerſalis Inquiſitionis conſervantur, me extraxiſſe, ſeu tranſumpſiſſe de „ verbo ad verbum, & deinde diligenter collationaſſe præſens exemplar, atque „ in omnibus, & per omnia cum præſentis ut ſupra concordare. In quorum „ fidem præſentes ſubſcripſi. & ſigillo Sanctæ, & univerſalis Inquiſitionis „ munivi hâc die vigeſimâ primâ Julii Milleſimi Sexcenteſimi quadrageſi- „ mi quarti.

„ Ita eſt *Io. Antonius Thomaſius* Sanctæ Rom. & univerſalis Inquiſitionis „ Notarius.

Poſt hæc videbatur debere eſſe finis illius cavillationis de Commate, adeoquè doctrinæ aſſerentium, ex condemnatis à *Pio V. Greg. XIII. Vrbano VIII.* ſententiis *nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento*: Sed nequaquam fuit. Specimina è multis pauca accipe.

Anno 1649 prodiit in Belgio liber cui titulus; *Rationes ob quas Illuſt. D. Archiepiſcopus Mechlinienſis à promulgatione Bullæ, quâ proſcribitur liber, cui titulus* CORN. IANSENII AVGVSTINVS *&c.* Auctor, vel Auctores libelli (conſiliariis Archiepiſcopus utebatur Lovanienſibus Doctoribus, & inter illos domeſticum habebat *Franciſcum van Vianen* jam tum S.T. Doctorem) ſic ibi expreſſerunt pag. 22, 23.

*Qui enim librum IANSENII probant (hi verò aliis & numero, & auctoritate longè ſunt ſuperiores in meâ ſaltem Diœceſi) eam (*Bullam*) nullam eſſe, & invalidam prorſus non dubitant .... An verò quaſdam propoſitiones à Pio V. & Greg. XIII. damnatas in contemptum Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ perniciem renovet, & defendat IANSENIVS, facti quæſtionem eſſe .... hoc ſolum ab eo agi .... ut ex eo oſtenderet, Conſtitutionibus PII V. ET GREGORII XIII: (quæ ipſa declarant expreſsè, quaſdam propoſitiones ibidem expreſſas, IN RIGORE, ET PROPRIO SENSV AB AVCTORIBVS INTENTO SVSTINERI POSSE) veram & genuinam S. AVGVSTINI Doctrinam nullo pacto lædi.*

Ecce Conſtitutionibus *Pii V. & Greg XIII.* non læditur doctrina *S. Auguſtini*: quia Conſtitutiones illæ declarant, quaſdam propoſitiones à ſe damnatas, veras eſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu. Atque hæc illi nomine illuſtriſſimi Archiepiſcopi Mechlinienſis anno 1649. poſtquam & auditi eſſent Romæ de hâc controverſiâ Lovanienſes legati, & ſententiam accepiſſent tam diſertam, ut ſuprà expoſuimus.

VALERIVS ANDREAS J. V. Doctor Lovanii anno 1650. iteratâ editione in lucem edidit librum, cui titulus: *faſti Academici ſtudii generalis Lovanienſis*, cui noluit deeſſe eandem doctrinam. Ad annum 1567. pag. 365. narrat his verbis.

Pius V. Pontifex Bullam edidit .... quâ damnantur certæ ſententiæ, ſeu propoſitiones .... quamquam NONNVLLÆ, (ut eadem loquitur Bulla) ALIQVOD PACTO SVSTINERI POSSENT IN RIGORE, ET PROPRIO VERBORVM SENSV AB ASSERTORIBVS INTENTO.

MACARIVS HAVERMANS S.T. Profeſſor Antverpiæ, ſed Lovanii Laudatiſſimus, cauſam illam ſuſcepit præcipuè, cum in Theſibus ad diſputationem propoſitis, tum in lucubrationibus typo editis: primum quidem anno 1674. in ſuo *tyrocinio*, in cujus libri præfatione fatetur ſe liberaliter uſum eſſe ſcriptis *Franciſci van Vianen* S.T. Doctoris Lovanienſis, & aliorum. Sic verò Profeſſor ille Tyrones ſuos inſtruit tract. 2. cap. 6. §. 3. num. 64. pag. 451.

Semel generaliter tyro Theologus notare debet circa illam Bullam PII V. ET GREGORII XIII. proſcribentem illas propoſitiones vulgò BAIO adſcriptas, quod vi iſtius Bullæ nulla propoſitio in particulari poſſit dici condemnata tamquam hæretica, & falſa; licet aliunde certum ſit, multas inter illas tales inveniri; cum quædam ex propoſitionibus ibidem proſcriptis IN RIGORE SINT VERÆ, &, ut ajunt Pontifices in illâ Bullâ, NONNVLLÆ ALIQVO PACTO SVSTINERI POSSENT IN RIGORE, ET PROPRIO VERBORVM SENSV AB AVCTORIBVS INTENTO. Quas tamen tamquam tunc ſcandali occaſionem dantes, & conſequenter offenſivas, proſcripſerunt.

De hoc loco ſui *Tyrocinii* cum eſſet mota difficultas *Macario Havermans*, cauſam reſumpſit, & pleniſſimè inſtruxit anno 1676. in *defenſione Tyrocinii* cap. 1. §. 3.

§. 3. à pag. 72. uſque ad pag. 90. Quædam videamus ſpeciminis loco. Sic locum orditur pag. 72.

Ex quibus invictiſſimo argumento à poſteriori deduco, Pontifices non proſcripſiſſe illas propoſitiones in ſenſu ab Auctoribus intento, quia ſi hoc feciſſent, ipſorum FVISSET DECLARARE, *quinam fuerint Auctores, qui condemnatas illas propoſitiones docuerunt, ut ſic ſcire poſſemus, in quo ſenſu ſint condemnata: cum autem hoc facere ex profeſſo noluerint,* COLLIGITVR CLARE, *ipſorum mentem non eſſe, illas propoſitiones proſcribere in ſenſu ab Auctoribus intento; ſed è contra declarare,* NONNVLLAS EX ILLIS PROPOSITIONIBVS CONDEMNATIS, IN RIGORE ET PROPRIO VERBORVM SENSV AB AVCTORIBVS INTENTO, SVSTINERI POSSE.

Vndè & adhuc aſſeveramus in Bullâ non eſſe ponendum comma inter SVSTINERI POSSENT, & IN RIGORE &c. *Sic ut legi deberet:* „ Quas quidem ſententias „ ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ, aliquo pacto „ ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus in- „ tento hæreticas, erroneas ...... damnamus &c. „ *Sed comma ponendum eſſe poſt verba;* AB AVCTORIBVS INTENTO: *ſic ut legi debeat:* „ quamquam nonnul- „ læ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore ac proprio verborum ſenſu ab „ Auctoribus intento, hæreticas, erroneas &c. „ *& ſic expreſſè habetur in Bullâ Vrbanianâ hic in Belgio publicatâ, quæ indubiè accuratè cum Originali Romanâ concordat.*

Mira res eſt, quam narrat hic Profeſſor, *ſic expreſſè haberi in Bullâ Vrbanianâ hic in Belgio publicatâ.* Loqui debet de legitimâ publicatione Bullæ: exemplaria, quæ ſervire poſſent huic publicationi, acceperunt Epiſcopi in Belgio ab illuſtriſſimo Internuntio, hic verò ab illuſtriſſimo Neritonenſi *Fabio Chiſio,* ut ſuprà narratum eſt: conſtat autem exemplaria illa habuiſſe comma poſt verba; *Suſtineri poſſent:* hac enim occaſione Lovanienſes Academici criminati ſunt Bullam, ut vidimus. Similiter legitimæ publicationi ſervire poterat exemplar juſſu *Vrbani VIII.* Romæ recuſum, datumque in manus Lovanienſibus legatis ab Emin. DD. Cardinalibus *Spada, Pamphilio, Falconerio,* ut vidimus ex decreto S. Congregationis. Atqui & illud habebat; ſervatque in hodiernum diem comma illud. Præter hæc exemplaria nullum eſt legitimè miſſum in Belgium, legitimæ publicationi utile, quod commate illo caruerit: nam exemplar manuſcriptum agente Toleto miſſum, & Lovanii aſſervatum caret interpunctionibus omnibus.

Pergit verò Profeſſor *Macarius Havermans* pag 73.

Quantum ad Originalem copiam Bullæ Româ Lovanium tranſmiſſam, illa nulla habet commata; quod ſignum eſt, in Bullâ Originali Romanâ nulla etiam fuiſſe commata.

Ad hanc imperitiam ſtyli curiæ Romanæ nihil libet adnotare. Notavimus quædam ſuprà.

Poſtquam pag. 74. dixiſſet Lovanienſes Doctores, præſertim *Bajum* & *Ianſonium* Bullam explicaſſe, ut ipſe explicat, mox pag. 75. argumentatur his verbis.

IANSENIVS BAII, & IANSONII ſententiæ ſubſcripſit: tamen expreſſè ideò non fuit condemnatus. Vnde paſſim jam adhuc ita Bulla explicatur, imprimitur &c. nec ſunt, niſi adverſarii, qui huic contradicant.

Nota: *PASSIM ADHVC ITA BVLLA EXPLICATVR.* Certè nuper admodum in ſcholâ publicâ Lovanii dicitur explicatio illa Diſcipulis inculcata eſſe à *IOANNE RECHT* S.T.Doctore. Sed iterum argumentatur *Macarius Havermans* confidenter his verbis pag.76.

Quod autem Bulla ita explicari debeat, convincitur manifeſtè ex eo, quod quædam propoſitiones ex proſcriptis in rigore ſint vera, & aliquo pacto ſuſtineri poſſint in ſenſu ab Auctoribus intento.

Ut nihil non moveat pag.78. locum benè prolixum deſcribit ex *AVGVSTINO Cornelii Ianſenii* narrantis, ad *Baji* ſolatium Bullæ appoſitum fuiſſe, *Nonnullas ſententias aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento.* Hæc Profeſſor ille vult nos credere *Cornelio Ianſenio*, Bajaniſmi inſtauratori, & *Iacobo Ianſonio Baji* Diſcipulo, & Bajanorum Coriphæo.

Hæc ipſa verò tam ſplendida poſtquam dederat, ſic ſe gerere auſus eſt in *Epiſtolâ Apologeticâ ad ſummum Pontificem* cap.1.num.19.pag.29. ac ſi hoc unum docuiſſet, quaſdam ex propoſitionibus Bajanis, quæ ob involutam cenſuram condemnatæ ſatis communiter creduntur, *aliquo pacto ſuſtineri poſſe &c.* Demptâ nimirum cenſuræ acerbitate, quam *Bajus* adhibuit. Sed ad Epiſtolam illam infrà audiemur.

Hic tantum animadvertat Lector, quid egerit *Cornelius Ianſenius* oppugnatione commatis, de quo hactenus, hoc nimirum, ut cum ſibi perſuaſiſſet, ex damnatis ſententiis *nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore & proprio verborum ſenſu*, liceret reipsâ quamlibet ex illis ſuſtinere, ſi modò ipſe judicaret, tam clarè à ſe probatam eſſe, ut jam non poſſit amplius offendere pias aures; ſic enim objicit ſibi, & reſpondet l 4. *de ſtatu naturæ lapſæ* cap.27. col.674.

„ Cur ergo, inquies, proſcriptæ ſunt? Idcirco, inquam, quod altera ſententia
„ Scholaſticorum ſtudiis, humanas magis rationes, quam Eccleſiaſticam tradi-
„ tionem attendentes (attendentium) in ſcholis eſſet receptior, atque tritior.
„ Poſt multa concludit col. 676. Quâ in re ſicut prudentiſſima fuit ſummo-
„ rum Pontificum providentia, quæ nec veritatem nudam importunâ damnan-
„ di quoſlibet acrimoniâ proferri ſinit: ſed vel minùs proponi, vel pror-
„ ſus ad tempus ſupprimi propter infirmos jubet: ita eadem veritatem ex
„ Eccleſiaſticis monumentis erutam, ſuis cardinibus nixam, ſuo ornatu veſti-
„ tam, ſuis armis, quibus à Patribus eſt defenſa, munitam, in publicum prodire
„ non vetat. "

Idem

Idem videtur fuiſſe ſenſus *MACARII HAVERMANS* in *Tyrocinio* pag. 451. ubi poſtquam à ſe conatus erat amoliri invidiam propoſitionis Bajanæ; *omnia opera infidelium ſunt peccata*, videns, ut opinamur, rem non ſatis bellè ſuccedere, monet denique Tyronem Theologum, ex propoſitionibus Bajanis *nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento*, quas olim ut offenſivas Pontifices proſcripſerint: verba ejus dedimus ſuprà.

§. 5.

Doctrina affirmantium Eccleſiam, aut Pontificem Romanum errare poſſe in quæſtione de hæreſi alicujus Libri.

QUæſtionem facti vocant hoc tempore: ut æquè veriſimile videatur Eccleſiam, aut Pontificem errare poſſe in quæſtione de hæreſi alicujus libri, quam in quæſtione de patrato homicidio, & ſimilibus, quarum deciſio ex teſtimonis humanis peti debet. Doctrina illa hoc tempore eò tendit, ut nulla ſit Auctoritas Conſtitutionis *Alexandri VII.* contra quinque propoſitiones *Ianſenii*, quâ parte, *Quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati CORNELII IANSENII Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt; AVGVSTINVS, exceptas, ac in ſenſu ab eodem CORNELIO IANSENIO intento damnatas fuiſſe definii, & declarat, & uti tales .... iterum damnat &c.*

Attamen occaſione Bullæ Innocentianæ contra quinque propoſitiones vires ſumpſiſſe doctrinam de fallibilitate Eccleſiæ, & Pontificis in illâ quæſtione facti vulgò dictâ indicat ipſe *Alexander* Pontifex in Bulla citata ſic loquens.

„ Cum autem ſicut accepimus, nonnulli *INIQVITATIS FILII* prædictas „ quinque propoſitiones vel in libro prædicto ejuſdem *CORNELII IANSENII* „ non reperiri, ſed ſictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab „ eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum *Chriſti* fidelium ſcandalo „ non reformident; nos &c. “

Imò etiam occaſione Bullæ Urbanianæ contra librum, & doctrinam *Cornelli Ianſenii* cœpiſſe audiri in Belgio doctrinam illam, conſtat ex libro, cui titulus; *Rationes, ob quas Archiepiſcopus Mechlinienſis &c.* quique eſt editus in lucem anno 1649. ubi Auctor vel Auctores libri nomine Archiepiſcopi ſic loquuntur pag. 22 23.

Qui enim librum IANSENII probant (hi verò aliis & numero, & auctoritate longè ſunt ſuperiores, in meâ ſaltem diœceſi) eam nullam eſſe, & invalidam prorſus non dubitant, certòque credunt, & intrepidè aſſerunt .... in iis, quæ ſunt facti, haud dubiè Pontificem (ſicut cæteri omnes) decipi poſſe, & circumveniri. An verò quaſdam propoſitiones à PIO V. & GREGORIO XIII. damnatas in contemptum Sedis Apoſtolicæ, & Ec-

& Eccleſiæ perniciem renovet, & defendat IANSENIVS, FACTI QVÆSTIONEM ESSE; & quidem iſtiuſmodi, ut veritas ſenſu percipi queat. Inſpicienda tantum loca, quibus jam dicta propoſitiones tractantur &c.

Quis fuerit Auctor, vel qui Auctores harum *Rationum* Archiepiſcopalium, optimè ſciet dicere FRANCISCVS VAN VIANEN qui illo anno 1649. quo lucem aſpexerunt, cohabitabat Archiepiſcopo S. Theologiæ Doctor, & ejus Conſiliarius Theologus, cum optimus Archiepiſcopus Theologus non eſſet.

Sed etiam poſt *Alexandri VII.* conſtitutionem *ad Sacram*, Doctrinam illam audiri magis eſt mirum.

IOANNES SINNICHIVS S.T.D.Lovanii die 13. Januarii 1660. Aſſertionem hanc propoſuit Theſi 1.

Certiſſimâ fide tenendum eſt, veram in terris Eccleſiam, ac ſponſam CHRISTI eſſe, unicum illum viſibilem Baptizatorum cœtum, ... qui Romanum Pontificem Beati PETRI ſucceſſorem ſibi in his, quæ fidem, & religionem concernunt, ordinatione divinâ præfectum, nunquam ex Cathedrâ errantem agnoſcat. Cum eo tamen benè conſiſtit, eum non ſolùm ut privatam, verum etiam ut publicam perſonam, IN QVÆSTIONIBVS FACTI ERRARE POSSE. An autem ut perſona privata hæreticus fieri poſſit? non implicat.

Dicet quiſpiam, intelligi poſſe hujuſmodi Theſes de quæſtione facti particularis, ut de patrato homicidio, percuſſione Clerici, & ſimilibus, quæ ex teſtimoniis hominum decidi debent. Sed nimis celebris illo tempore erat, eſtque etiā hodiè controverſia de infallibilitate Pontificis, & Eccleſiæ, in eâ quæſtione facti, quâ quæritur de hæreſi, aut ſenſu hæretico libri alicujus, quàm ut intelligi poſſint hujuſmodi Theſes de aliis facti quæſtionibus, de quibus inter Theologos lis magnopère nunquam fuit, & diſputatio eſſet inutilis. Et alioquin ponentes hujuſmodi Theſes neceſſe haberent diſtinguere inter quæſtiones facti, & eam excipere, quæ eſt de libri hæreſi, aut ſenſu hæretico, vel declarare, non ſe eam intelligere, aut vocare quæſtionem facti; cum dubitare non poſſint, ſine cautione iſtâ Theſim ſuam eſſe paſſim intelligendam inprimis de illâ quoque facti quæſtione, quæ hoc tempore quæſtio facti celeberrimè dicitur.

De *Ioanne* quidem *Sinnichio* dubitari non poteſt, quin eam inprimis quęſtionem facti intellexerit: quippe qui jam pridem, hoc eſt, anno 1657. libro ſuo quem *Goliathiſmum profligatum* inſcripſit, inſeruerat doctrinam, quam ſubdimus ejus verbis cap. 37. pag. 308.

Nemo enim Catholicorum ſobriè ſapientium ignorat, aut dubitat, ſcriptores Canonicos pollere omnimodâ inerrabilitate, etiam in rebus facti, quantumlibet particularibus, quas Spiritu Sancto dictante enuntiant, aut ſcribunt. Cum tamen univerſi, ut dictum eſt, agnoſcant, tam Romanum Pontificem, quàm Oecumenicas quaſque Synodos tali inerrabilitate non pollere. Non enim ea ipſis neceſſaria fuit, ad debitè paſcendum gregem CHRISTI.

CHRISTI. Nam ſicut paſtor ovium materialium non indiget ſcire, ubinam, vel quando, vel quo cultore ſata, vel quo inſtrumento demeſſa fuerit herba, quam ovibus comedendam apponit, aut cavendam ſeponit; ſed ſatis eſt, ut noverit, an ea conveniat, an diſconveniat bona nutritioni, ac paſtioni earumdem ovium: ita Paſtor ovium rationalium, id eſt, CHRISTI fidelium, non indiget ſcire, ubinam, aut quando, aut quo auctore digeſta, aut explanata fuerit Doctrina, quam eiſdem ſuis ovibus amplectendam porrigit, aut devitandam circumſcribit; ſed ſatis ei eſt, quod noverit utrum ſalutaris ſit, an noxia. Sic enim ſufficienter providet ovibus, apponendo ſalutarem, removendo autem noxiam.

Hunc verò *GOLIATHISMVM SINNICHII* amplè approbavit *IACOBVS PONTANVS* S.T. Doctor Lovanii die 9. Januarii 1657. *Vt regulis Chriſtianæ fidei PER OMNIA conſonum.* Conſtat etiam *IOANNEM SINNICHIVM* in illo Actu diei 13. Januarii 1660. illa proclamaſſe, quæ erant Doctrinæ *Goliathiſmi* conſentanea. Cumque ab argumentante objiceretur, ſpectare ad officium boni Paſtoris, noſſe prata, quæ ferunt herbas noxias, ut ab his arceat oves, reſpondiſſe exſibilando; quaſi verò dum Bruxellæ emitur fœnum Lovanio advectum, debeat Paſtor olfacere, è quo prato veniat.

His ſtabiliendis idonea cum dediſſet die 13. Februarii eodem anno 1660. Adverſarium invênit *MICHAELEM VAN HECK* S.T. Doctorem ex Ordine Erem. *S. Auguſtini* qui animatus ab illuſt. Internuntio Apoſtolico Theſes propoſuit de Canonizatione Sanctorum, & infallibilitate ſummi Pontificis propugnandas die 27. eodem anno 1660. ubi hæc legimus in *Sinnichium* ſpectantia Theſi 6.

„ Certè indiget ſcire Paſtor ovium, ad quæ paſcua ſuas ducat, ſicut & ſatage- „re ne ad lacunas; ſed è fonte aquentur: indiget ſcire civilis Magiſtratus, non „ modò quas peſtilentiâ infectas corporibus domos claudat, ſed maximè, quos „ animis peſtilentiores in republicâ libros prohibeat: & non indiget ſcire „ *Chriſti* vicarius, ac ſummus Magiſtratus, quæ volumina ſint peſtilentium hæ- „ reſum latibula; præſertim ſi publico incitamento, & præconio tamquam ad „ lucem veritatis, & pietatis aperiantur Chriſtianis? quâ ergo fronte & publicè „ proclamatur, & uſque hodie impunè ſuſtinetur, quod *Paſtor ovium rationalium,* „ *id eſt, CHRISTI fidelium non indiget ſcire &c.* „

Ibidem Theſi 7. hæc legimus.

„ Quo ergo fine nunc demum à Doctrinâ ſanâ deviare; niſi ut, ſi Deo pla- „ cet, huic noviſſimæ in *Cornelii Ianſenii* prætenſum *Auguſtinum* à duobus fidei „ oraculis vibratæ bullæ, in hâc materiâ facti, fides negetur, odium concitetur, „ error obtrudatur, & cum *filiis iniquitatis* propoſitiones 5. damnatas in illo „ non contineri, non dumtaxat inter Theologos, ſed uſque ad cancellos „ Sancti-monialium (prô dolor! nimis ex vero loquor) pervicaciter ad- „ ſtruatur? „

Diſplicuerunt graviter hæ Theſes Lovanii. Quare ſub meridiem ejus diei,

quo habenda erat diſputatio, adfuit mandatum à Magnifico Rectore Academiæ, quod pariter affixum fuit valvis Scholæ publicæ, & portis Collegiorum, in quo hæc leguntur.

„ Mandamus Eximio Patri *Michaeli van Heck*, ne dictis Theſibus præſideat, „ aut ſuo præſidio defendi permittat, ſub pœnâ reſciſſionis à privilegiis, & ju- „ ribus Univerſitatis in caſu contraventionis, & inobedientiæ. Mandamus „ etiam R.P. Priori, aliiſque deputatis Patribus Conventûs Auguſtinianorum „ .... ne eas defendi ſub dicti Patris *van Heck*, aut alterius præſidio vel in „ Monaſterio ſuo, vel alibi permittant, ſub iiſdem pœnis, aliiſque per nos arbi- „ trandis. Inſuper mandamus omnibus & quibuſcumque ſuppoſitis hujus A- „ cademiæ, ne dictæ diſputationi interſint .... idque per proviſionem „ donec &c. „

Cum verò nixus auctoritate illuſt. Internuntii Apoſtolici Abbatis *Montis Regalis*, ſpreto Univerſitatis mandato, diſputationem habuiſſet Doctor Auguſtinianus, & contra eum procederetur ad pœnam, ſenſit graviter illuſt. Internuntius, doloremque ſuum teſtatus eſt geminâ epiſtolâ ad Univerſitatem, quarum altera data die 29. Februarii 1660. ſic incipit.

„ Magno cum animi dolore intelleximus, difficultates moveri *P. Michaëli* „ *van Heck* Ordinis *S. Auguſtini*, S.T. Doctori, ac Profeſſori, ratione Theſium, „ quæ de Canonizatione Sanctorum, ſummi Pontificis infallibilitate &c. die „ 27. Februarii noviſſimi ipſo Præſide defenſæ ...... nos conſideratâ animoſi- „ tate, quâ impunè, & ſe non opponente Rectore, impetitur communis Eccle- „ ſiæ doctrina, & infallibilitas S. Sedis, à paucis quibuſdam, & e contra viden- „ tes, inhibitionibus, & minis procedi contra eos, qui viam Sanæ Doctrinæ in- „ greſſi .... de tali modo agendi, totiuſque controverſiæ ſerie S.D. Noſtrum „ integrè informavimus. „

Cum verò nihilominus procedi intelligeret contra eumdem Doctorem, alteram dedit epiſtolam die 3. Martii 1660. graviter comminatoriam indignationis ſummi Pontificis, & Majeſtatis Catholicæ, quam & per illuſt. Nuntium Madritenſem informari curaſſet. Denique neceſſe habuit Lovanium excurrere, ubi motus illos compoſuit iis modis, qui videbantur pro tempore tutiſſimi.

Fruſtra ſit poſt hæc ea perſequi omnia, quibus ſimpliciter affirmant. Rom. Pontificem, aut Eccleſiam errare poſſe in quæſtione facti. Non eſt fidendum, ne quidem, cum reſtringunt ad quæſtiones facti particularis. Quale eſt illud quod dedit.

GERARDUS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 14. Auguſti 1660. his verbis Theſi 1.

*Ne tamen hinc inferas, quod etiam ſit infallibilis (*Pontifex*) quoad particulares quaſque facti quæſtiones: quia talis infallibilitas ne quidem Conciliis generalibus competit.*

Non

Non eſt difficile quæſtionem facti particularis illam quoque intelligere, quâ quæritur, an Doctrina contenta in *AVGVSTINO Ianſenii* hæretica ſit. Certè huic Doctori non potuit hoc eſſe difficile, ſi approbavit eas Theſes, quæ ſunt impreſſæ Lovanii ad diſputationem habendam die 16 Auguſti 1670. Præſide hoc Doctore. Diſputatio non eſt ſecuta; ſed Theſes vagatæ per omnium manus. Sic legebatur Theſi 3.

Generatim in factis, SICVTI EST INTELLECTVS CVIVSDAM AVCTORIS, unumquemque, etiam œcumenicam Synodum, labi poſſe, EST NOTORIVM.

Hæc eſt illa facti quæſtio de intellectu ſeu ſenſu Auctoris, & libri, quam libentius appellant quæſtionem facti nihil addendo aliud; uti in eâ Aſſertione, quam dedit idem Doctor *GERARDVS VAN WERM* Lovanii die 27. Auguſti 1670. Theſi 3.

In factis œcumenicam etiam Synodum labi poſſe, EST NOTORIVM.

Item die 17. Januarii 1663. Theſi 3.

Romanus Pontifex, tametſi in determinandis ex cathedrâ rebus fidei, & morum, infallibilis ſit, NON EST TAMEN INFALLIBILIS IN QVÆSTIONIBVS FACTI.

THOMAS LEONARDI S.T. Doctor huic ſimilem dedit aſſertionem Lovanii die 5. Octobris 1666. Theſi 2.

Eccleſiam cum Pontifice, aut Pontificem ſine Eccleſia poſſe errare in meris, & puris quæſtionibus facti, rectè ſuſtinetur.

MACARIVS HAVERMANS S.T.P. Antverpiæ die 12. & 13. Julii 1672. Theſi 6.

Cum tamen judicium Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit, & falli; judicamus poſſe Pontificem non tantùm ut privatam perſonam, ſed etiam ut publicam, non tantum ſine Concilio Generali, ſed etiam cum Concilio generali, poſſe errare in quibuſdam quæſtionibus facti, neque contrarium tuendum, ſi Eccleſiæ amemus incolumitatem. Quaſi verò BELLARMINVS &c.

Reliqua pars illius Theſeos tam eſt contentioſa, & fervida, ut non ſit credibile, illum non loqui de quæſtione facti celebri hoc tempore, quâ quæritur de ſenſu libri hæretico. Sed quia ſcabioſus eſt locus, tutum ſibi fore putavit additione vocis *quibuſdam*. Citat *Bellarminum*, & citant paſſim in hâc materiâ *Filii iniquitatis*, quos appellat *Alexander VII.* Sed ille vindicatus eſt jam ſæpè, uti & *Baronius, Turrecremata*, aliique.

Miſſis pluribus hoc loco, duo velimus animadverti, ex quibus conſtet de Doctrinâ Academicorum Lovanienſium in hâc materiâ.

Primum. Diligenter veſtiganti Theſes Academicas ſuperiorum annorum nulla penitus occurrit ex iis, quæ in Hallis (ſic vocant publicas Scholas Lovanii) defenſæ ſunt, qua fiat mentio de *Alexandri VII.* Conſtitutione *Ad Sacram*, qua condemnantur quinque propoſitiones, ut excerptæ ex *AVGVSTINO IANSENII*, & in ſenſu à *Ianſenio* intento. Occurrunt, quibus affirmatur, quinque

propoſitiones meritò damnatas eſſe ab *Innocentio* X. At verò de damnatis propoſitionibus ab *Alexandro VII.* ſtupendum eſt ſilentium. Idem nobis uſuvenit dum ſcrutaremur Theſes aliorum Profeſſorum, quas exhibuimus aſperſas eo odore, qui *Ianſenium* redolet.

Similiter volventi diligenter celebrem tractatum de gratiâ *FRANCISCI VAN VIANEN* S.T.Doctoris Lovanii, cum plauſu nuper dictatum in Schola publica, occurrit quidem alicubi mentio de Bulla *Innocentii X.* contra quinque propoſitiones: at verò de Bulla *Alexandri VII.* contra eaſdem pertinax ſilentium. Idem uſuvenit *IN LIBRIS LAVRENTII NEESEN &c.* Quid cauſæ dicemus eſſe? Res ipſa loquitur.

Secundum. Si quempiam conveneris Academicum Lovanienſem, qui hos Doctores, quorum Doctrinam expoſuimus in Prima Parte, habeat, vel habuerit magiſtros, eidemve, cum audieris diſſerentem de gratia, de libertate &c. objeceris, eadem prorſus docuiſſe *Corn. Ianſenium* in aliqua ex quinque propoſitionibus damnatis in ſenſu ab ipſo intento, plerumque reſponſionem feres ex his aliquam 1. Omittamus *Ianſenium*; quid nobis cum *Ianſenio*? 2. Quid ad *Auguſtinum*? 3. Concedo totum: Pontifex errare poteſt in quæſtione facti, & erravit *ALEXANDER VII.* Hæc uſu conſtant quotidiana. Ubi hæc didicerunt? Non eſt obſcurum.

His non obſtantibus dicitur Facultas Theologica Lovanienſis nullos admittere ad gradus Academicos, niſi accepto juramento in Conſtitutionem *Alexandri VII.* contra quinque propoſitiones; quod ipſum Facultas anno 1660. Scriptâ ad *Alexandrum VII.* Epiſtolâ ſignificavit; ut conſtat ex Brevi ejuſdem Pontificis ad Facultatem dato die 7. Auguſti eodem Anno. Attamen illud juramentum nobis hactenus eſt negotium ambulans in tenebris. Formulam ſæpius quæſitam aſſequi non licuit: dicitur hæc promovendis prælegi tam perfunctoriè, ut vix, aut ne vix quidem intelligatur. Nuper in Actu publico Licentiatus quidam Lovanienſis monitus de illo ſuo juramento, ſcio, reſpondebat, quo ſenſu juraverim. Denique optandum eſſet, Doctores uſu ipſo, & Doctrinâ quotidianâ præ ſe ferre magnam æſtimationem Conſtitutionis in quam jurare cogunt eos, quos promovent.

§. 6.

Aſſertiones de infallibilitate ſummi Pontificis generatim, & regulis fidei.

IVDOCVS VANDER LINDEN S.T. Licentiatus Lovanienſis Mechliniæ die 31. Julii 1668. Orationem funebrem dixit in ſolemnibus exequiis illuſtriſſ. *D. IOANNIS DE WACHTENDONCK* Archiepiſcopi Mechlinienſis. In illa oratione, quæ typis edita eſt, non ſine approbatione *LAVRENTII*

NEESEN S. T. Profeſſoris Archiepiſcopalis, hæc leges pag. 26.

Quibus porrò regulis canonica, atque moralia ejuſmodi præcepta circumſcribuntur? A SYLVESTRO II. accipite: SIT LEX COMMVNIS ECCLESIÆ CATHOLICÆ, inquit, EVANGELIVM, APOSTOLI, PROPHETÆ, CANONES SPIRITV DEI CONSTITVTI, ET TOTIVS MVNDI REVERENTIA CONSECRATI, ET DECRETA SEDIS APOSTOLICÆ AB HIS NON DISCORDANTIA. Ecce quæcumque ab his diſcordant, SINT LICET IPSA SEDIS APOSTOLICÆ DECRETA, tamquam falſa, tamquam noxia, &, ut cum Lirinenſi loquar, tamquam ſomnia, tamquam fabulæ, tamquam ſuperflua abolenda, antiquanda, conculcanda ſunt.

Legimus epiſtolam, unde ſumpta ſunt verba, quæ hic orator dicit eſſe *Sylveſtri II.* Fatendum eſt, Auctorem epiſtolæ hoc agere, ut decreta Sedis Apoſtolicæ exploranda ſint ad ſacros canones, & Regulas Euangelii, quibus ſi concordent, ſuſcipienda, ſi diſcordent, conculcanda ſint.

Sed vide fraudem. Epiſtola illa, unde ſumpta ſunt verba, quæ tribuuntur *Sylveſtro II.* Pontifici Rom. non eſt *Sylveſtri II.* ſed *Gerberti* Pſeudo-Archiepiſcopi Rhemenſis, Sedis Apoſtolicæ hoſtis contumaciſſimi, qui multis poſt annis, adlaborante Othone III. Imperatore, Pontifex Romanus eſt creatus, appellatuſque *Sylveſter II.* Epiſtolam verò Scripſit ad *Seguinum* Senonenſem Archiepiſcopum contra *Ioannem XV.* Pontificem Romanum, qui Sacris interdixerat Epiſcopos, qui in Pſeudo-Synodo Rhemenſi, victi terroribus *Hugonis* Regis, exautorato *Arnulpho* Suffecerant hunc ipſum *Gerbertum*: longa eſt hiſtoria; qui eſt curioſus, de re totâ adire poteſt *Baronium* ad annum 991. & 992. ubi epiſtolam illam *Gerberti* expendit, multiſque deteſtatur hominis inſaniam, audaciam, ſuperbiam, & phreneſim. Porrò in epiſtolâ illâ ad verbum hæc leges: *Sit lex Communis Eccleſiæ Catholicæ Euangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentiâ obſervati, decreta Sedis Apoſtolicæ ab his non diſcordantia.*

Hâc ergo auctoritate *Gerberti* Pſeudo-Archiepiſcopi, furiis acti in *Ioannem XV.* Pontificem Romanum, fretus *IVDOCVS VANDER LINDEN*, tamquam ſi eſſet auctoritas *Sylveſtri II.* Pontificis Romani, in celeberrimo conſeſſu, & apparatu exequiarum Archiepiſcopalium, pronuntiavit, decreta Sedis Apoſtolicæ tamquam falſa, tamquam noxia, tamquam ſomnia, tamquam fabulas, conculcanda eſſe, ſi diſcordent ab Euangelio, Apoſtolis &c. nihil dubitans, quin diſcordare poſſint, ſi quidem *Gerberto*, cujus utitur auctoritate, fidem habuit.

Auctor, vel Auctores libri, cui titulus: *Rationes, ob quas illuſt. D. Archiepiſcopus Mechlinienſis à promulgatione Bullæ abſtinuit &c.* Anno 1649. Rationibus ſuis miſcere hæc ſunt auſi pag. 22.

Et ſi ea Bullæ eſſet ſententia, quam aſſerunt adverſarii IANSENII; omnium

maximè verendum exiſtimarem, ne tandem revocetur, & pari atque olim, animorum motu agitetur antiqua illa controverſia, AN IN CAVSIS FIDEI A PONTIFICE AD FVTVRVM CONCILIVM provocare non liceat.

GERARDVS VAN WERM S. T. D. Lovanii die 2. Octobris 1660. infallibilitatem Pontificis Romani in quæſtionibus fidei aſſertam cautè propoſuit Theſi 1.

*Ejus quoque judicium (*Pontificis Romani*) CVM CONCILIO SALTEM GENERALI, in definiendis fidei controverſiis, aut quæſtionibus morum, omninò infallibile eſſe, certiſſimè fidei eſt.*

Cautè, inquam, timidèque; *cum Concilio ſaltem generali.* Profecit idem Doctor, ſi probavit Theſes impreſſas Lovanii, vaganſque per manus ad Actum Scholaſticum celebrandum die 16. Auguſti 1670. non eſt ſecutus Actus; ſed celebres toto Lovanio Theſes fuerunt. Hæc habebat Theſis 3.

Cum ergo id, quod Catholicum eſt, conſtet à nullo particulari (QVALISCVMQVE ILLE FVERIT) ut tali, petendum eſſe ad eradicandos errores medium efficaciſſimum eſt Synodus Oecumenica, in quâ Eccleſiæ Rectores, quamcumque alias auctoritatem habeant, Traditionis ſolummodo ſunt teſtes.

Nota conſequentiam. *Id, quod Catholicum eſt; à nullo particulari, ut tali, petendum eſt*: Ergo *ad eradicandos errores medium efficaciſſimum eſt Synodus Oecumenica.* Conſequentia hæc oſtendit, particulas, *ut tali*, adhibitas eſſe ad excluſionem plurium particularium; non verò ad excluſionem perſonæ publicæ; Rom. Pontificis E. C. Alioqui enim ex eo, quod *conſtet, id, quod Catholicum eſt, à nullo particulari, ut tali, petendum eſſe*; concludere debuiſſet, *ad eradicandos errores medium efficaciſſimum eſſe*, non ſolum *Synodum Oecumenicam*; ſed etiam Romanum Pontificem è Cathedrâ docentem; quæ ſcilicet non ſit *perſona particularis, ut talis.* Sed nimirum illa parentheſis, *qualiſcumque ille fuerit*, non obſcurè ſpectat in Roman. Pontificem. Quæ enim eſt alia particularis perſona, de cujus auctoritate diſputari queat, an eſſe poſſit regula ad inveſtigandas Veritates Catholicas, cujuſmodi regulis aſſignandis impenditur iſta Theſis?

Doctor idem *GERARDVS VAN WERM* Lovanii die 16. Auguſti 1670. Aſſertionem dedit multiplicem, & nuſquam dubitantem his verbis Theſi 2.

Evincit præterea Traditio, ESSE ERRONEVM DICERE; quod aliquid ſit fidei proximum: quia fides nec hodie eſt, nec umquam erit magis explicita, quam fuit tempore Apoſtolorum. Quid ergo fiet de Indulgentiis Plenariis, ne quidem nomine tenus antiquitati notis? Quid de Purgatorio, & innumeris circa illa quæſtionibus? R. Declarat Conc. Trid. Purgatorium eſſe; ſimiliter eſſe in Eccleſiâ poteſtatem concedendi Indulgentias: iſtaque prorſus continuatâ ſerie deſcendunt ab Apoſtolis. Reliqua ipſorum occaſione mota, ac à Scholaſticis controverſa, cum neque ex Trid. neque aliunde conſtet eſſe tradita, A FIDEI CANONE SECLVDIMVS.

Nota Cenſuram. Eſt *erroneum dicere, quod aliquid ſit fidei proximum.*

Judicent

Judicent quoque Sapientes, an de Purgatorio, & Indulgentiis nihil habeamus Traditione, aut alio Fidei Canone; niſi *Purgatorium eſſe, & eſſe in Eccleſiâ poteſtatem concedendi Indulgentias.*

PETRVS VAN BVSCVM S.T Licentiatus Lovanienſis, Gandavi anno 1672. in libro cui titulus; *inſtructio ad Tyronem Theologum.* Sic inſtruit Tyronem regulâ 8. pag. 24.

Alii addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis, quando ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit: Sed quia illum non admittunt graviſſimi Pontifices, & Doctores, & contrarium cenſerunt Patres Concilii Baſileenſis, eum intactum ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis eruendum præteribimus.

De graviſſimis Pontificibus & Doctoribus quod affirmat, neque probat, neque probabit. Sed non refellamus. factum id eſt pridem luculentius, & gnavius, quam pro tempore. Sed nihil ad nos.

Nota Lector; Baſileenſes Patres, quorum auctoritate commovetur hic Licentiatus, illos eſſe, quos Oecumenica Synodus Florentina Conſtit. *Moyſes* declarat *omnes & ſingulos ſchiſmaticos, & hæreticos cum CORE, DATHAN, & ABIRON meritam accepturos Portionem.*

MACARIVS HAVERMANS S.T. Profeſſor, Antverpiæ die 8. Martii 1677. ſic interrogat, reſpondetque Theſi 6.

An benè procedant, qui, ubi urgentur clariſſimis S. AVGVSTINI locis, ab AVGVSTINO ad Pontificum Bullas, & decreta appellant? Reſpondeo PESSIME TALES PROCEDERE.

Hic Profeſſor more ſuo reſpondet confidenter. Piæ aures mallent audire reſponſionem ſic temperatam: Reſpondeo, non benè tales procedere, ſi deſtituant auctoritatem *S. Auguſtini*, ut deſperatam. Procedunt verò benè, ſi poſtquam piè conati ſunt explicare teſtimonia *Auguſtini*, vel eò te remiſerunt, ubi illa piè ſunt explicata, vocent te ad Pontificum Bullas, & decreta, quæ ipſis videntur non minus clara, quam tibi teſtimonia *Auguſtini*.

Idem *MACARIVS HAVERMANS* concludit ibidem intrepidè in hæc verba.

Vnde clarè deduco, quod, ubi quis invenit Doctrinam clarè in AVGVSTINO fundatam, illam abſolutè poſſit tenere, & docere, NON RESPICIENDO AD VLLAM PONTIFICIS BVLLAM.

Quam hæc ſint tuta in praxi, judicent Sapientes. Nihil facilius contingit, quam ut juvenis Theologiæ Profeſſor, præcipuè cui primos ingenii impetus non ſatis ſedaverint cogitationes tetricæ logicorum, aut Metaphyſicorum, ſibi perſuadeat clarum ſe repetiſſe fundamentum doctrinæ ſuæ in *Auguſtino*, cujus ſcilicet aſſerta ad unum omnia approbata ſint ſummâ Eccleſiæ auctoritate.

Ibidem hæc dedit Profeſſor idem Theſi 12.

Verum demus gratis, aliquem in particulari non poſſe oſtendere diſcrimen inter ſuam ſententiam, & damnatam opinionem, an ſtatim irreverens, & injurius dici deberet

in

in AVGVSTINVM, ſi ejus auctoritatem obtenderet? Reſpondeo, non; ſi videret viros doctiſſimos, & piiſſimos, etiam poſt Bullam Pontificis, qua damnat illam opinionem, adhuc docere illam ſententiam, ſciente & non contradicente S. Sede.

Magnum onus imponit S. Sedi hic Profeſſor: ut eam oporteat ſcire illicò, ſi quid in aliquo mundi angulo aberrarunt Theologi: deinde ut contradicere illico debeat; autumamus, Bullam expediendo, aut decretum Apoſtolicum.

§. 7.

Aſſertiones affirmantium non poſſe dari actum Fidei ſinè Charitate.

MIra videbitur quibuſdam hæc doctrina: ſed mirum non eſt, eſſe communem inter hos Doctores, & Profeſſores noſtros, qui cenſent, nullam eſſe veram Virtutem ſine Charitate, ut infrà patebit.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 14. Januarii 1676. Aſſertionem hanc dedit Theſi 1.

Neceſſe eſt, ante fidem dari piam motionem. Pia motio eſt bona voluntas: omnis autem bona voluntas AVGVSTINO eſt Charitas.

Quod conſequitur ex hâc aſſertione, nitidè expreſſum dedit idem Doctor Lovanii die 25 Junii 1676. Theſi 1.

Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam vera fides; & etiamſi videantur credere, NON EST FIDES DIVINA, SED HVMANA.

Nos his aſſertionibus non adhibebimus eam cenſuram, quam Doctor idem multò antè, quippè die 23. Auguſti 1664. his verbis conceptam propoſuit Theſi 3.

Fidem ſine Charitate eſſe poſſe, CERTA FIDE TENET ECCLESIA.

Fortaſſe de habituali fide hæc intellexit Doctor. Non contendemus; niſi debuiſſe intelligere de illâ fide, de quâ Apoſtolus; *ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; Charitatem autem non habuero nihil ſum:* Hujus enim loci gratia poſita eſt Aſſertio, quam exhibuimus. Quod ſi de Caritatem intellexerit habitualem, per nos licet. Quamquam ſimiles S. Scripturæ ſententias libentius intelligunt hi noſtri de actuali Charitate.

IACOBVS PONTANVS S. T. D. Lovanii die 27 Junii 1651. hæc propugnavit Theſi 3.

Vt intellectus actum fidei, qui ſit liber, eliciat, prærequirit in voluntate pium affectum, quo determinetur ad aſſenſum, & captivetur in obſequium Fidei; eſtque ille affectus in ſubſtantiâ ſuâ ſupernaturalis, & ſecundùm probabiliorem ſententiam nihil aliud, quam Charitas actualis.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 27. Januarii 1672. Theſi 2.

Sola itaque talis dilectio, quâ gratis & caſte amatur Deus, verarum eſt origo virtutum;

tum; ipſius etiam Fidei, ac ſpei Chriſtianæ. Hæc niſi, ad credendum flectat hominis voluntatem, NON ERIT FIDES CHRISTIANA, SED VEL DÆMONVM EX POENARVM TIMORE, VEL CARNALIS EX MVNDI AMORE: quarum neutra eſt fides, quâ veri ſumus,& nuncupamur fideles,illa etenim ex imperfecto ſaltem dilectionis affectu erga Deum naſcitur.

MACARIVS HAVERMANS S.T.Profeſſor Antverpiæ die 12.& 13.Auguſti 1672.Doctores eſt ſecutus Theſi 9.

Cumque & ipſum velle credere Deus operatur in homine, pia illa affectio neceſſariò eſt ſupernaturalis, utpotè actus ſaltem imperfectæ Charitatis.

Profeſſor idem Antverpiæ die 9.& 10 Maji 16:5.Theſi 8.

Ad fidem igitur Charitatis affectum neceſſariò exigimus, qui niſi ad credendum flectat,non erit fides Chriſtianorum.

ÆGIDIVS GABRIELIS S.T.P.Bruxellis die 11.Septembris 1674.Theſi 10.

Fides autem in CHRISTVM Crucifixum includit dilectionis motum in ipſum juxta S. AVGVSTINVM.

Profeſſor idem Bruxellis die 12.Decembris 1673.

Prima virtutum Theologicarum erit charitas,Secunda Fides,Tertia ſpes .... Quando charitas ponitur à Theologis ultima virtutum Theologicarum,debet intelligi de charitate perfectâ, quæ procedit ex fide per dilectionem operante. Alioquin charitas imperfecta, quæ ex principiis rationis lumine divino illuſtratæ, & amore divino confortatæ, circa ſummam Dei perfectionem procedit,& fidem,& ſpem præcedit.

Hæc erant in promptu, quæ illi noſtri videre cœperunt cæteris vulgo Theologis incognita.

CAPUT II.

Specimen Doctrinæ Theologicæ in materiâ Spei.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Canonem 31.Concilii Tridentini Seſſ.6.

Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema ſit.

QUem Hæreticum dicemus eſſe perculſum iſto anathemate? Placetne *Ioannem Calvinum*? Audiamus *Calvinum* in cap.22.lib.1. *Samuëlis*. Homil. 80.pag.361. editionis Amſtelrod.an.1667.

„Summa Dei bonitas apparet noſtram infirmitatem nobis condonantis, & „propoſitâ mercede ad ſuum cultum invitantis,quos nimium alioquin ſegnes,

„ & ignavos fore non ignorat. Sic igitur nos ad ſe Deus etiam propoſitâ mer-
„ cede pellicit: ſed tamen quam non vult eſſe ſcopum noſtrum & finem.......
„ quod ad æternam vitam attinet, certum eſt ibi nobis mercedem promitti:
„ Verumtamen *SI SPE MERCEDIS TANTUM* illius cultui, & honori divino
„ nos dedamus, *INGRATUM ILLI FUTURUM EST; QUIDQUID EO FINE*
„ *PRÆSTITERIMUS, ET AB IPSO REIICIETUR.* Deus enim propter ſe
„ ipſum eſt diligendus, & ſincero corde colendus, quandoquidem Creator no-
„ ſter eſt, & Pater animarum. Quare merces quidem nobis propoſita debet eſſe
„ inſtar ſtimuli, ad nos, ad officium alacrius faciendum, excitandos; ſed non
„ præcipuus tamen ſcopus, ad quem nos oportet collimare. „

Conſentanea habet in *Antidoto Conc. Trid.* ad Seſſ. 6. Can. 31. hæc prorſus.

„ Qui verè juſtificatus eſt, non negliget, fateor, mercedem ſibi repoſitam: ſed
„ eâ tamquam optimo ſtimulo ad benè agendi ſtudium incitabitur. Attamen
„ hunc ſolum reſpectum non habebit: nam cum ingenuam à filiis ſuis obe-
„ dientiam requirat Deus, ſervile ejuſmodi obſequium non repudiabit modò,
„ ſed procul etiam rejiciet. Ideoque longè alium piè, Sanctèque vivendi Sco-
„ pum Spiritus ſanctus cum in ſcripturis paſſim, tum per os *Pauli* nobis præfi-
„ git primo ad Epheſ. cap. „

Ex his patet *Calvinum* non damnaſſe peccati omnem operationem intuitu mercedis æternæ; ſed eam ſolam, cujus intentio non refertur ultra mercedem in Deum ipſum per caritatem.

Placetne potius iſto Anathemate Concilii Tridentini perculſum eſſe *Martinum Lutherum*? Audiamus *Lutherum*.

Primùm quidem conſtat hunc Hæreſiarcham damnaſſe peccati actus omnes humanos, qui non referuntur in Deum per caritatem; adeoque & actum ſpei expertem caritatis. Etenim in commentariis in Epiſt. ad Galathas cap. 4. pag. 248. col. 1. editionis Wittebergenſis anni 1554. ſic loquitur.

„ Cum autem nullum opus ſine caritate benè fiat, claret omnem legem,
„ quæ opus bonum præcipit, bonum opus, id eſt caritatis ſignificare, &
„ requirere. „

Ibidem *Lutherus* cap. 5. ad verba Apoſtoli *omnis lex in uno ſermone hoc impletur, &c.* ſic diſſerit pag. 257. col. 2.

„ Quod ſi omninò amorem ſui hic primùm ordinari concedendum eſt, cer-
„ te altius aſcendam, & dicam amorem ejuſmodi ſemper iniquum eſſe, dum
„ fuerit in ſeipſo, nec eſſe bonum, niſi extra ſeipſum ſit in Deo: hoc eſt ut
„ voluntate mei, & amore mei prorſus mortuo, nihil quæram, niſi puriſſimam
„ Dei voluntatem in me fieri, promptus ad mortem, ad vitam, & ad omnem
„ formam figuli mei, quod eſt arduum & difficillimum &c. „

Prædicatione caritatis neceſſariæ ad omnes actus bonos, aut non malos, ſcatent illi commentarii in epiſtolam ad Galathas. Sed & alibi effuſus eſt in

Doctri-

Doctrinam eamdem. E plurimis unum accipe, quod *Auguſtini* abutens auctoritate, in eam partem, quæ placuit ipſi, his verbis dedit in *reſolutionibus contra Concluſiones Eccianas* concl. 2. pag. 527. edit. Baſileenſ. an. 1620.

„ Ut generaliter, breviterque complectar, quam de virtute habeam notio-
„ nem, quod ad rectè vivendum attinet; virtus eſt charitas, quâ id, quod diligen-
„ dum eſt, diligitur. Hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla eſt &c. „

Hæc tam generalia dubitare non ſinunt, quin & ſpem caritatis expertem reprobaverit. Audi ergo *Lutherum* de ſpe illâ in commentariis in epiſt. ad Galath. cap. 5. pag. 252. col. 2. edit. Witteberg. 1554.

„ Dixi & antè non poſſe hominem citra gratiam legem operari, niſi vel ti-
„ more pœnæ, vel ſpe promiſſi: utrumque autem carnaliter & mercenariè
„ agitur. Quare non ſpiritu expectatur ibi ſpes, ſed carne appetitur res, quâ
„ fruantur: non enim amore juſtitiæ, ſed commodo præmii faciunt bene. „

Sed fortaſſe *Lutherus* ſpem, & amorem præmii itâ reprobavit generaliter, ut ne quidem toleraverit caritati conjunctum. Non eſt ita: quia in iiſdem Comment. in epiſt. ad Galat. cap 4. in principio, pag. 241. col. 2. poſtquam & ſpei & timoris utilitatem expoſuiſſet, hoc ſolùm prohibet, ne in his ſiſtatur, ſic exhortans:

„ Nequaquam autem in ſervitute cum Judæis, & Hypocritis perſtemus: quod faciemus, ſi per timorem pœnæ, & amorem mercedis ſentiamus, non legis amorem; ſed odium potiùs in nobis augeri. „

Hâc ſolâ conditione improbat timorem pœnæ, & amorem mercedis: non autem ſi ſpe & timore, ut ibi loquitur, *ita erudiamur, ut ad hæreditatem, id eſt, fidem & gratiam* (omnis gratia *Luthero* eſt caritas, ut & his noſtris) *ſuſpiremus, quâ de ſervitute hâc erepti, libertate ſpiritus legem impleamus.*

Luthero & *Calvino* (utrumque audivimus) contradicunt hodie communiſſimè Theologi, qui nullius peccati cenſent damnandam operationem, quæ ſit ex ſpe mercedis æternæ, ſeu beatitudinis æternæ, hoc eſt, ex ſpe fruendi Deo totâ æternitate per viſionem, amorem &c. etſi hic & nunc non adſit aliqua intentio præſtantior, quâ referatur hæc ipſa Dei fruitio in Deum per puriſſimam caritatem. Exiſtimant illi, honeſtum oportere eſſe eum actum, quo intenditur finis adæquatus & formalis, ad quem ſumus conditi; cum dubium non ſit, quin conditi ſimus ad fruendum Deo; quo actu indiviſim amatur à nobis non ſolum finis *cui*, ſeu nos ipſi; ſed & finis *qui*, ſeu Deus. Similiter ad iſtum actum indiviſim movent amor noſtri, & amor Dei, neque nos ipſos amaremus ex præſenti motivo, niſi ſummè bonus eſſet Deus, quem nobis amamus, cognoſcentes nos eſſe à Deo conditos, ut fruamur ſummo illo & incommutabili bono; cujus gratiâ contemnenda ſint cætera omnia.

Nominetur ſanè hic actus cujuſdam concupiſcentiæ; non tamen concupiſcentiæ carnalis aut mundanæ; ſed concupiſcentiæ ſpiritualis, ſanctæ, & cæleſtis,

quâ tangebatur *David* exclamans; *concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini*, quâ concupiſcentiâ aſpirat anima ad fruendum optimô Deo, ad quod eſt condita, hoc eſt, ad æternam Dei viſionem, æternumque & perfectiſſimum amorem.

Hæc reputantes hodie communiſſimè Theologi non dubitant contradicere doctrinæ *Lutheri*, & *Calvini*, quam propoſuimus; & quidē pro doctrinâ Concilii Tridentini, ſeu canone 31. Seſſ. 6. juxta quem explicandam putant Doctrinam decreti ejuſdem Seſſionis, & non contra.

Hæc eadem reputantes communiſſimè Theologi non dubitant contradicere aſſertionibus quas ſubjicimus.

§. UNICUS.

Aſſertiones affirmantium nullam eſſe ſpem ſine Caritate.

HENRICVS SCHAILLE S.T.D. Lovanii die 5. Martii 1676. Aſſertionem hanc propoſuit Theſi 3.

Licitum eſt cor ſuum inclinare ad faciendas juſtitias propter retributionem: non tamen ultimatè intuitu mercedis æternæ operari; & merè ut nobis bene ſit.

IACOBVS PONTANVS. S.T.D. Lovanii die 2. Aprilis 1661. Theſi 2.

In omni tamen actu ſpei aliquid caritatis interveniat, neceſſe eſt: ut enim actus ſpei ordinatus ſit, homo non in ſeipſo ſed in Deo ut ultimo fine cui, debet ſiſtere, quod propriè ſpectat ad caritatem.

Aſſertionem eamdem Lovanii Doctor idem die 19. Aprilis 1663. ſic paucis expreſſam dedit Theſi 3.

Magnâ ſpe; qua, ſi ſit Chriſtiana, non eſt ſine aliqua Dei propter ſe dilectione.

Sic itidem Lovanii Doctor idem die 4. Octobris 1657. Theſi 2.

Illicitum eſſe operari intuitu mercedis, aſſerunt hæretici: licere etiam ultimatè ibi ſiſtendo, affirmant quidam catholici: Vtrumque improbamus.

Quod ait ſimpliciter aſſeruiſſe hæreticos, illicitum eſſe operari intuitu mercedis, nullo argumento affirmat: *Calvinum* quidem, & *Lutherum* audivimus in obſervat. præamb. ad hunc §.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 8. Julii 1655. Theſi 3.

Licitum & meritorium eſſe intuitu mercedis operari, eſt de fide: ita tamen intuitu mercedis operari, ut ibi ultimatè ſiſtatur, illicitum eſt & demeritorium.

FRANCISCVS FARVACQVES S.T.D. Lovanii anno 1668. de actu ſpei ſine affectu caritatis hæc ſcripſit in ſuo *Xenio Theologico* cap. 4. §. 4. pag. 49.

Vtrum actus SPEI MORTVÆ poſitivè excludat voluntatem peccandi mortaliter? Dixi, SPEI MORTVÆ, ſeu deſtituta omni benevolẽ in Deum, tamquam ſummum bonum affectu. Mox reſpondet negativè.

Autuma-

Autumamus igitur, huic Doctori ſpem illam non magis eſſe ſpem, quam homo mortuus ſit homo.

Ibidem pagina 51. Doctor idem docet, quid requiratur, ut ſpes illa mortua fiat ſpes viva, & excludens voluntatem peccandi mortaliter; idque his verbis.

Animatur & vivificatur per Dei dilectionem, & PRÆ OMNIBVS ÆSTIMATIONEM.

Eſt ergo ejus judicio ſpes omnis mortua, quæ eſt deſtituta amore Dei ſuper omnia; idque non eo nomine, quo fidem mortuam appellant, quæ eſt in peccatore, nam & ſpes deſtituta Dei dilectione ſuper omnia poteſt ſine dubio eſſe etiam in homine juſto; ſed quia tali ſpei deeſt aliquid ex parte ſui, quo intrinſecè animetur.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T. Doctor Lovanii die 12. Junii 1676. Theſi 1.

Quiſpiam etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, bonorum operum fructus non niſi de radice caritatis expectet; quâ ſi caruerit vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

ALBERICVS VANDEN KERCKHOVE S.T. Profeſſor Antverpiæ 21. & 22. Auguſti 1671. Theſi 11.

Licitè, & laudabiliter retributionis intuitu colitur, ac diligitur Deus: ſub præcepto tamen meminiſſe debent Catholici, in bonis operibus non ſolam, aut præcipuè ſperandam eſſe mercedem, ſed Deum ejuſque gloriam, tamquam ultimum finem, mercedem autem, ut finem ſecundarium, qui propter Deum ejuſque gloriam expetatur.

THOMAS VANDEN BERGHE S.T.P. Gandavi die 29. & 30. Auguſti 1674. Theſi 14.

Opera faciebant in caritate expectantes faciem Dei, ſpe Chriſtianâ, QVÆ SINE CHARITATE ESSE NON POTEST.

MACARIVS HAVERMANS S.T. Profeſſor Antverpiæ die 9. & 10. Maji 1675. Theſi 9.

Spes CHARITATE DESTITVTA virtutis Theologicæ rationem amittit.

Conſentanea dedit die 12. & 13. Julii 1672. Theſi 14.

Huic actui ſpei ADIVNGI DEBET ALIQVIS DEI PROPTER SE AMOR, ut ſit actus ſupernaturalis virtutis Theologicæ.

His habet conſentanea hic Profeſſor in ſuo *Tyrocinio*, & alibi. Sed finis ſit huic loco.

CAPUT III.

Specimen Doctrinæ Theologicæ in materiâ Caritatis.

§. 1.

Aſſertiones affirmantium, omnem amorem noſtrum eſſe aut laudabilem caritatem, aut vitioſam cupiditatem.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Propoſitionem Bajanam 38.

Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à IOANNE prohibetur, aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffusâ, Deus amatur.

PRopoſitio eſt 38. inter damnatas reſpectivè ut *hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes*: & quidem *in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*, ut habent Pontificum Bullæ, & demonſtratum à nobis eſt in hac parte cap. 1. §. 4.

Porrò Aſſertor Propoſitionis fuit *Michaël Bajus* in opuſculo de *caritate* cap. 6. cui ponit hunc titulum: *Quod omnis amor creaturæ rationalis ſit caritas, aut vitioſa cupiditas.* Res fiet, etiam manifeſtior ex pluribus ejus verbis, quæ mox referemus ex dicto cap. 6.

Quoniam verò damnata eſt propoſitio in ſenſu ab Aſſertore intento, quæſtio eſt, quid intellexerit *Bajus* per *laudabilem illam Caritatem, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Cenſent hi noſtri, *Bajum* intellexiſſe *Caritatem perfectam*, & propterea damnatam eſſe propoſitionem. Hæc illi ne quidem inſpecto *Baji* opuſculo, ubi tradidit propoſitionem; certè nec verbum ex opuſculo afferentes, unde id fiat veriſimile.

Evidens verò eſt *Bajum* per illa verba non aliud intellexiſſe, quam *Caritatem ſupernaturalem.*

Etenim cum tribus conſequenter Capitibus Tertio, Quarto, & Quinto conatus eſſet oſtendere, omnem Dei dilectionem eſſe à gratiâ divinâ, nullam verò eſſe naturalem, poſtquam etiam Caput Quintum concluſiſſet his verbis: „Igitur ſub prætextu Philoſophiæ naturalis circa ea, quæ Dei „ſunt, nullus eſt agnoſcendus fidei, ſpei, aut dilectionis motus, qui de libero

„con-

„ conſurgat arbitrio: ſed quidquid in quocumque homine eiuſmodi reperitur, „ id juxta Scripturas ſacras abſque ullâ ambiguitate fatendum eſt per *IESVM* „ *Chriſtum* deſcendere à Patre luminum, à quo eſt omne datum optimum, & „ omne donum perfectum, ſicut de latronis, Cornelij, Centurionis, & Zachæi fide definit Concilium Arauſicanum 2. cap. ultimo. „

Poſt hæc, inquam, ſubdit proximè, & exorditur caput 6. his verbis.

„ Imo ſi quis diligenter ſupradicta *Auguſtini* teſtimonia conſideret: forſitan comperiet, juxta ipſius ſententiam omnem amorem creaturæ rationalis, „ aut vitioſam eſſe cupiditatem, quâ mundus diligitur, quæ à *Ioanne* prohibe„tur, dum ait, *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt*, aut laudabi„lem Charitatem, quâ Deus amatur, quam niſi Deus ipſe non donat, nec ali„ter niſi per mediatorem Dei & hominum *IESVM Chriſtum*, ſicut ſupra dixit „ *Auguſtinus*. Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non eſt Charitas.

Hæc ſi conſideres certum habebis Primò, ex hoc loco ſumptam eſſe propoſitionem damnatam, quam exhibuimus: ita ſingula prope verba reſpondent.

Certum habebis ſecundò, hoc agere *Bajum* illo Capite ſexto ut confirmet id, quod concluſerat Capite Quinto; omnem ſcilicet Dei dilectionem *Per IESVM Chriſtum deſcendere à Patre luminum, à quo eſt omne datum optimum &c.* ſive omnem Dei dilectionem eſſe ſupernaturalem, ſolùmque addere, omnem dilectionem, quæ non deſcendit à Patre luminum, eſſe vitioſam cupiditatem. Quod manifeſtius fit ex illâ concluſione, quam ſubdit ibidem poſt pauca his verbis: *Si ergo voluntas aut bona aut mala eſt, & utique malam non habemus à Deo, RESTAT VT BONAM VOLVNTATEM HABEAMVS EX DEO.* Hæc eſt præcipua illius cura toto illo Capite Sexto, ut evincat, *bonam voluntatem* (qualem cum his noſtris Theologis reputat ſolam Dei dilectionem, ut vulgo notum eſt) *eſſe ex Deo*, & non ex liberi arbitrii viribus, ſive non eſſe naturalem; ſed ſupernaturalē.

Porrò & hoc certiſſimum eſt *Bajum* agnoviſſe quamdam veri nominis Charitatem, quæ non eſſet Charitas perfecta. Toto capite 8. ejuſdem opuſculi *de Charitate*, oſtendit dari initium Charitatis, quæ creſcat in perfectam. Illam vero Charitatem imperfectam vocat ſimpliciter Charitatem cum alibi ſæpius, tum in ipſo titulo Capitis 9. quem his verbis concipit: *Quod ipſa Charitas non ſimul tota detur; ſed in proficientibus particulatim accreſcat.* Adeoque & certiſſimum eſt *Bajum* agnoviſſe quandam Charitatem mediam inter perfectam Charitatem, & vitioſam cupiditatem.

Quod ergo hi noſtri propoſitionem *Baii* affirmantis omnem amorem eſſe vitioſam cupiditatem, aut laudabilem caritatem, quâ per Spiritum S. in corde diffuſâ Deus amatur, intelligant de caritate perfecta, merè pro libitu faciunt. Doctrinam interea ipſam confirmare pergunt iis & *Auguſtini*, & *Leonis* Papæ, & aliorum Patrum teſtimoniis, quibus pro ſe *Bajus* eſt uſus, & quæ aliis non paucis cumulavit *Corn. Ianſenius*.

Credi-

Credibile eſt eâ ſpe ipſos duci, quâ ſe ductum non diſſimulavit *Ianſenius* iis verbis, quæ retulimus in hac 2. parte cap. 1. §. 4. ſub finem ; propoſitionem ſcilicet fuiſſe olim damnatam ſolùm ut *ſcandaloſam*, aut *temerariam*, aut *offenſivam piarum aurium*, cui cenſuræ jam denique non ſit locus amplius, *veritate ex eccleſiaſticis monumentis erutâ &c*, ut *Ianſenius* loquebatur.

Theologi religioſiùs obſervantes ſedis Apoſtolicæ non audent ſuo judicio determinare, quæ ex omnibus cenſuris in quamque propoſitionem conveniat: neque ut de hoc ipſis conſtaret, ſtatuere auderent, hoc denique eſſe tempus, quo ex ſuis monumentis ſatis eruta eſt veritas. Si quid hujus declaraverit ſedes Apoſtolica, nihil erit moræ, quin Bajanas propoſitiones jam liberas cenſurâ, notæque veritatis amplectantur.

ASSERTIONES.

ANDREAS LAVRENT S. T. Doctor Lovanii die 11. Januarii 1676. Aſſertionem his verbis propoſuit Theſi 2.

Omnis hominis amor vel eſt ſui vel Dei, ſi ſui, ultimatus ſcilicet, noxius. Si Dei, caſtus & bonus, qui, niſi per fidem & gratiam, nemini conceditur.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D.Lovanii die 28. Aprilis 1676. Theſi 3.

Quidquid enim facimus aut fit ex amore Dei propter ſe, aut ex amore creaturæ propter ſe: non igitur poteſt voluntas in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona ſit, nec mala.

Doctor Idem Lovanii die 19. Januarii 1673. Theſi 3.

Actum malum mundana cupiditas, actum bonum Dei charitas facit: conformiter ad illud, quod de fortitudine gentilium & Chriſtianorum dicit Concil: Arauſicanum. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit. Sunt enim hi duo amores ex quibus humanæ omnes prodeunt actiones; cum teſte AVGVSTINO ſcriptura non præcipiat niſi charitatem, nec damnet niſi cupiditatem.

Exemplo *Baii* in opuſculo *de Charitate* cap.6. rapiunt avidè in ſenſum ſuum, Theſibusque oſtentare gaudent illud *Auguſtini* ex enchiridio *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei charitas*.

FRANCISCVS VAN VIANEN S. T. D. Lovanii die 14. Septembris 1669. Theſi 3.

ERVNT HOMINES SEIPSOS AMANTES. Amore carnali, ex quo velut fonte reliqua vitia pullulant, ſicuti ex charitate omnia bona. Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei charitas.

THOMAS LEONARDI S. T. D. Lovanii die 13. Martii 1668. Theſi 3.

Subordinetur amor noſtri amori Dei; cujus tanta eſt ad actuum noſtrorum bonitatem neceſſitas ut regnet carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei charitas.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 17. Februarii 1652. Theſi 3.

Omnis

Omnis actus humanus in individuo aut bonus eſt, aut malus; regnat enim carnalu piditas ubi non eſt Dei charitas.

Doctor idem Lovanii die 4. Aprilis 1661 Theſi 3.

Omnis enim hominis deliberata actio cum amor ſit, vel ex amore procedat, & omne od eſt ſit vel Deus vel creatura ſub ly MVNDO ſubintellecta, ſequitur, quod omnis mana actio ſit Dei dilectio vel mundi, ſi Dei, Charitas Patris eſt, ſi mundi, concu-ſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt, quæ proinde non eſt ex Patre, ſed ex mundo, tamquam u objecto adæquato, ac proinde ſolo principio.

Luculentiùs hæc Doctor idem Lovanii Anno 1662. in ſuo *Saüle ex rege* lib. cap. 144. tam ſunt multa, ut ſi deſcribantur, legere tædeat.

NDREAS LAVRENT S. T. D. Lovanii die 9. Julii 1668. Theſi 3.

SI OCVLVS TVVS FVERIT SIMPLEX: Si intentio tua ultimatè Deum & cætera ordine ad ipſum reſpiciat; totum corpus actionum tuarum ex illâ procedentium, lu-dum erit carebit culpâ, quam aliàs contrahit omnis illa humana actio, quæ à tali in-tione non provenit, etiam in heroicis virtutum Philoſophicarum officiis.

GERARDVS VAN WERM S.T. D. Lovanii die 24 Martii 1670. Theſi 2.

Vt actus ſimpliciter ſit bonus debet eſſe actus Charitatis elicitus, vel imperatus. Cha-tas autem quærit primò & ultimò quæ Dei ſunt....... ex parte principii & finis ulti-i Charitas & cupiditas actum moralem adæquatè dividunt.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S. T. P. in Tungerloo die 2. & 3. Sep-mbris 1676. Theſi 11.

Quamvis autem ex his Auguſtinianis principiis liquidò deprehendatur, omnem actum manum, qui non exercetur propter Deum gratis dilectum, eſſe peccaminoſum, ac pro-de medium non dari inter laudabilem Charitatem prout illa à perfectâ & imperfectâ ſtrabis, culpabilem cupiditatem prout illa ad quodlibet peccatum tum mortale tum niale ſe extendit: non hinc tamen conſequens eſt &c.

MACARIVS HAVERMANS S. T. P. Antverpiæ die 9. & 10. Maii 1675. heſi 2.

Vel caſto amore nos ſurſum ferri, vel damnabili cupiditate deorſum deprimi eſt ne-ſſum.

Operoſius hæc ille in ſuo *Tyrocinio*. Pauca videamus. Tract. 2. cap. 6. §. 3. ım. 66. pag. 456. concludit in hæc verba.

Ergò cum opera noſtra non debeant procedere ex amore mundi.......... debent omnia ocedere ex amore Dei, ſeu Charitate. Confirmatur hæc ſententia ex S. AVGVSTINO: egnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei Charitas.

Ibidem num. 67. pag. 458. ſic obiicit, & reſpondet.

Dices videtur præcedens doctrina tradita num. 66. condemnata à PIO V. & GREG. XIII. *quando proſcripſerunt hanc propoſitionem ordine* 37. (38.) *omnis amor creaturæ tionalis aut vitioſa eſt cupiditas &c. Reſpondeo nullo modo......... cum hæc propoſitio proſcripta, & merito: quia non admittit medium amorem inter cupiditatem, & lau-*

 dabilem

dabilem illam Charitatem, quâ per ſpiritum S. in corde diffuſâ Deus amatur, id eſt, perfectam Charitatem.

His illi ferè acquieſcunt nullâ curâ inquirendi ſenſum *Baii*: neque id mirum; ſi perſuaſerint ſibi cum hoc Profeſſore, Propoſitiones non eſſe damnatas in ſenſu ab Aſſertoribus intento, tollentes illud comma, quod eſt in Bulla poſt illa verba *ſuſtineri poſſent*; vide quæ dedimus in hac 2. parte cap. 1. § 4. Minùs etiam mirum, ſi de ſenſu Autoris, aut libri ſit quædam quæſtio facti, in quâ Eccleſia & Pontifex errare poſſit. Vide ibidem §. 5. ſed & vide Obſervationem præambulam ad §. præſentem de Charitate illa perfecta, quam in propoſitione damnatâ illi intelligunt.

Aſſertionibus, quas hactenus expoſuimus, accenſeri poſſunt eæ imprimis, quibus aſtruitur obligatio perpetuæ & continuæ dilectionis Dei. Pro his ſit.

§. 2.

Aſſertiones affirmantium obligationem perpetuæ, & continuæ dilectionis Dei.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Propoſitionem Bajanam 16.

Non eſt vera legis obedientiâ quæ fit ſine charitate.

Damnata eſt propoſitio in ſenſu ab Aſſertore intento. Aſſertor verò fuit *Michaël Bajus* lib. 2. *De Meritis operum* cap. 1. ubi eam tradidit his verbis:

„ Quæcumque ſine Charitate fiunt, etiamſi apud homines ſpecioſa videan„tur, tamen apud Deum ſimulata tantum, & *NON VERA SUNT LEGIS OBEDIENTIA.* Quicumque enim faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante „ ſpiritu gratiæ, inquit *Auguſtinus*, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ, „ ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus ap„parebat in opere. „

Ex ea ratione, quam adjungit Aſſertioni, manifeſtum eſt, ipſum loqui de Charitate actuali, non autem de habituali: quod & liquet ex toto illo Capite, ubi hoc agit, ut oſtendat, bonis operibus non deberi vitam æternam, *ex operantis dignitate*, ſed *ex operis integritate*, & *verâ legis obedientiâ*, quæ ſine Charitate eſſe non poſſit.

Nullo etiam fundamento intelligetur *Bajus* de Charitate perfectâ. Nec verbum miſcet, quo hoc fiat veriſimile, & agnoviſſe *Bajum* quamdam Charita-

tem

tem imperfectam, manifeſtum eſt ex Obſervat. Præamb. §. proximè ſuperioris.

ASSERTIONES.

LAMBERTUS LE DROU S. T. Doctor Lovanii die 13. Aprilis 1673. Aſſertionem ſic expreſſit Theſi 17.

Modus obſervandi legem ex charitate latè dictâ, id eſt, EX ALIQUO AMORE DEI PROPTER SE, cadit ſub præcepto quotieſcumque lex implenda eſt etiam humana; imò QUIDQUID AGIMUS, propter Deum agere debemus.

IACOBUS PONTANUS S.T. Doctor Lovanii die 17. Januarii 1654. Theſi 1.

Neque ullum legis præceptum perfectè impletur ſine dilectione.

FRANCISCUS VAN VIANEN S. T. Doctor Lovanii die 13. Novembris 1666. Theſi 3.

Quamquam hic modus charitatis non cadat ſub quolibet aliarum virtutum præcepto; numquam tamen ullum, ut oportet, impletur, niſi ex charitate fiat id. quod jubetur.

Doctor idem Lovanii die 14. Januarii 1676. Theſi 2.

Inter hæc (præcepta) *primum & longè maximum eſt de diligendo Deo. Obligat ſub mortali ad ſuum actum formaliter exercendum ſæpius in vita, ſæpius in Anno, & quidem toties, ut de omni homine verificari valeant omni tempore; DEUM SUPER OMNIA DILIGIT: Deum amat uſque ad contemptum ſui &c.*

Doctor idem Lovanii die 16. Martii 1669. Theſi 3.

Cum ait EX TOTO CORDE, EX TOTA ANIMA &c. nullam vitæ partem relinquit, quæ vacare debeat, & aliò amorem ſuum reflectere, quam ad ipſum Deum.

LAMBERTUS VINCENT S. T. Doctor Lovanii die 31. Januarii 1676. Theſi 3.

Traditur hic præceptum omnes actiones noſtras referendi ad Deum, quod non impleri, niſi fiat ex CASTO DEI PROPTER SE DILECTI AMORE ſaltem imperfecto, fundatiſſimum eſt in AUGUSTINO ..... apage igitur cenſores iſtos &c.

IOANNES SINNICH S. T. Doctor Lovanii Anno 1662. in ſuo *Saüle Exrege* Doctrinam hanc omnem inſtruxit luculentâ tractatione lib. 1. cap. 144. Pauca delibemus ex capitis Synopſi.

Quidquid quiſque velut rectum fecerit, niſi ad pietatem quæ in Deum eſt, rectum dici non meretur. Neceſſe eſt, ut Deum in omni, quod gerimus attendamus. Paulinum documentum, ſive manducatis, ſive bibitis; ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, copioſè ediſſeritur & PRÆCEPTORIUM, non merè conſultorium ESSE OSTENDITUR.

MACARIUS HAVERMANS S. T. Profeſſor Antverpiæ, ut ejus Theſes hic omittamus. Anno 1674. magna parte ſui *Tyrocinii* hoc egit, ut præceptum continuæ dilectionis inculcaret; uſque adeò ut tantum non Idololatras conſtituet, qui dilectionem alicubi interrumpunt. Sic enim ſcribit tract. 2. cap. 6. §. 1. pag. 436.

Vndè patet, quod ſuremur à Deo illud omne, quod Deo non damus, & committamus quaſi quamdam idololatriam, quando creatura damus ſupremum honorem Creatori debitum, quod facimus, quando in creatura ponimus finem ultimum, licet non ſit finis ultimus ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, ſeu in certâ actionum ſeriẽ; quia nec illum quidem locum, & honorem meretur creatura, ſed ſolus Deus.

Ibidem cap. 4. §. 2. pag. 405. Stoiciſmi arguit Theologos ſibi adverſantes, ſic ſcribens.

STOICISMVM RESVSCITANT, qui docent actum virtutis illum exercere, qui bonum morale operatur præcisè propter naturalem honeſtatem ſine relatione ad Deum.

Ibidem cap. 6. §. 3. pag. 468. objectam ſibi impoſſibilitatem hujus præcepti diluit his verbis.

Reſp. Primò. Potuit homo in ſtatu innocentiæ conſtitutus, cui natura illud præceptum impoſuit, plenè & perfectè implere illud, præceptum, ſicuti & illa: DECLINA A MALO, ET FAC BONVM, NON CONCVPISCES &c. quod autem homo *Peſſimâ ſuâ voluntate ſe conjecerit im quamdam impotentiam, quam & voluntariè continuat, ideò non tenetur natura ſuas immutare leges vel tollere.*

Janſeniano ſenſu ipſum dicere voluntariam hanc impotentiam explicuimus in Primâ parte cap. 1. §. 4.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S. T. Profeſſor in Tungerloo die 2. & 3. Septembris 1676. non ſine cenſurâ Doctrinam, de qua hactenus, propugnandam putavit Theſi 10.

Hinc patet eſſe præceptum juris planè indiſpenſabilis omnes omnino actiones in Deum ultimatè referendi .... eſt enim perſpicuum, quod hanc Doctrinam ex ſcripturis ſacris hauſtam, ut rem in Eccleſiâ Dei certam, NVLLO NISI HÆRETICO CONTRADICENTE tradiderit S. AVGVSTINVS.

Manum tollebamus de hoc loco miſſis plurimis hujus generis. Sed occurrunt aſſertiones graviter affirmantes.

GERARDVS VAN WERM S. T. Doctor Lovanii 27. Januarii 1672. dogma Apoſtolicum, & Auguſtinianum promittit Theſi 3.

Teneamuſque VT INCONCVSSVM hoc dogma ex Apoſtolo Auguſtinianum, QVID QVID NON EST EX FIDE, PECCATVM EST, per fidem intelligendo illuſtrationem ſupernaturalem ex CHRISTI meritis promanantem, dirigentem in Deum, tamquam in ſcopum & finem. Quod ſolius eſt charitatis.

LIBERTVS FROMONDVS S. T. Doctor Lovanii die 23. Maii 1653. non ſolum aſſertione, ſed & admiratione uſus eſt *Bajanâ* Theſi 3.

Mirandum quod adhuc hodiè non tantum Philoſophi, ſed nominati etiam Theologi doceant, nullatenus peccare eos, qui bonum morale operantur præcisè propter naturalem honeſtatem, ſine relatione ad Deum, ac jactitare audeant quod id ex ipſo AVGVSTINO convincat.

MACARIVS HAVERMANS S.T.P. Antverpiæ admiratione adhibuit ſimilem in ſuo *Tyrocinio* Tract. 2. cap. 4. §. 2. pag. 405. *Stoiciſ-*

Stoiciſmum reſuſcitant, qui docent, actum virtutis illum exercere, qui bonum morale operatur præcisè propter naturalem boneſtatem ſine relatione ad Deum, MIRANDVMQVE VALDE, non tantum Philoſophos, ſed & nominatos Theologos hodiè adhuc docere, taliter operantes non peccare.

Admirationem hanc appellavimus *Bajanam*, quia *Michaël Bajus* lib. *de virtut. impior.* cap. 1. iterumque cap. 4. idem miratus eſt de *D. Thomâ.*

Mittimus reliquam farraginem aſſertionum, quibus affirmant ſimpliciter omnem actum humanum ſine caritate eſſe vitioſum, malum, peccatum &c. ſunt enim innumeræ. Alia videamus.

§. 3.

Aſſertiones affirmantium obligationem dilectionis Dei continuæ ſuper omnia, aut perfectæ.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 21. Januarii 1676. Aſſertionem hanc propoſuit Theſi 2.

DILIGES DOMINVM DEVM TVVM EX TOTO CORDE TVO &c. contra hoc mandatum continuo delinquimus omni eo tempore, quo verè dicere non poſſumus, quod Deum ſuper omnia, ſeu amore prædominante diligamus.

ÆGIDIVS GABRIELIS S.T.P. Bruxellis anno 1675. in ſua *morali Chriſtiana & diabolica p. 2. mor. Chriſt.* §. 72. multis oſtendere conatur obligationem actiones omnes referendi in Deum per caritatem, & tandem de modo illius caritatis ſic pronuntiat pag. 248.

Illud Apoſtolicum; SIVE MANDVCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIQVID ALIVD FACITIS OMNIA AD GLORIAM DEI FACITE, præceptum naturale eſt ab Apoſtolo renovatum, nec ſine caritate impleri poteſt, ID EST, SINE AMORE DEI SVPER OMNIA.

Ibidem § 70. non obſcurè ſignificat omnia eſſe in Deum referenda per caritatem perfectam. Etenim vel ex verbis modò recitatis paret, ejus judicio omnem actionem noſtram debere eſſe veram virtutem & illo §. 70. pag. 243. docet, nullam eſſe veram virtutem, niſi per caritatem perfectam; itque his verbis.

Omnis vera virtus eſt ſupernaturalis; cum per veram virtutem homo propter ſolum Deum operetur: operatur autem propter ſolum Deum ex puro amore Dei, qui eſt amor caritatis attollens hominem ſupra ſeipſum (quod naturaliter fieri nequit) & ſoli Deo uniens, id eſt VNVM SPIRITVM CVM DEO EFFICIENS.

Nobis ſanè videtur hæc eſſe deſcriptio perfectæ caritatis, & juſtificantis.

SIMON DE GRAEF Lovanienſis Academiæ Alumnus Lovanii anno 1674. libro Flandrico cui titulus: *Spiegel der eygen kenniſſe*, hoc eſt, *ſpeculum notitiæ ſui ipſius* cap. 4. pag. 39. ſic loquitur de hæreticis.

Het is ſeker dat ſy het waere gheloof niet en hebben, en overſulcks en konnen ſy oock niet hebben de liefde met de welcke ſy Godt beminnen boven al. Want alle die deſe lief-de hebben die behaeghen Godt: en den H. Apoſtel Paulus ſeyt, dat het onmoghelijck is aen Godt te behaeghen ſonder gheloof, te weten ſonder het Waerachtigh en Apoſtolijck Gheloof. Sy doen daerom haer wercken uyt haer eyghen liefde, en om haer eyghen baet, ghelijck de Phariséen.

Hæc Latinè ſic reddo.

Certum eſt quod fidem non habeant (hæretici) *& propterea non poſſunt quoque habere caritatem, quâ Deum ament ſuper omnia: quia omnes qui hanc caritatem habent placent Deo: & S. Apoſtolus PAVLVS dicit, quod ſit impoßibile placere Deo ſine fide, nimirum ſine verâ & Apoſtolicâ fide: idcirco faciunt ſua opera ex amore proprio, atque ob proprium emolumentum, SICVT PHARISÆI.*

Hic vides affirmari 1. quod hæretici non poſſint habere amorem Dei ſuper omnia. 2. hunc amorem juſtificare; cum omnes, qui illum habent, dicantur placere Deo. 3. defectu hujus amoris hæreticos omnia ſua operari Phariſaicè, hoc eſt ſuperbè ut explicuit ibidem paulò ante ſeu pag 36.

De obligatione amandi Deum continuè & ſuper omnia dedit conſentanea Bruxellis anno 1672. auctor libri Flandrici cui titulus: *Alghemeyne verbinteniſſe van Godt te beminnen boven al*, hoc eſt, *communis omnium obligatio amandi Deum ſuper omnia*, cujus libri habemus editionem quartam. Dedit, inquam, pag. 4. pag. 16. ſed farraginem hujuſmodi libellorum perſequi tædet.

§. 4.

Aſſertiones affirmantium omnia opera Infidelium eſſe peccata.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Propoſitionem Bajanam 25.

Omnia opera Infidelium ſunt peccata
Et Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

CONdemnata eſt propoſitio in ſenſu ab Aſſertore intento. Aſſertor fuit *Michaël Bajus* lib. *de virtutibus impiorum* cap. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Deſcribemus pauca, ex quibus ſimul erit manifeſtum, quo ſenſu tradiderit propoſitionem damnatam.

Cap. 1. exponit de quibus virtutibus Philoſophorum diſputationem inſtituat, idque his verbis.

„ Me

„ Me etiam movet,quod à *D.Thoma*, & aliis quibuſdam recentioribus non „ ea tantum virtus defenditur,& explicatur, quam Deus per *Chriſtum* in nobis „ operatur .... ſed etiam illæ virtutes, quas Stoici, & Peripatetici, *NON DICO PRÆSTITERVNT .... SED QVAS IN LIBRIS SVIS PRÆCEPERVNT...*

De his virtutibus, quas præceperunt Philoſophi, diſſerit *Bajus* illo libro: has docet fuiſſe vitia; parùm ſolicitus,an re ipsâ exercuerint illi Philoſophi aliquas virtutes, nec ne.

Igitur cap. 4. ponit hunc Titulum: *Quod honeſtatis officia, cum in Deum non referuntur, non ſint virtutes, ſed vitia virtutes imitantia.* Tum verò inſtituto ſuo inſiſtens in ipſo exordio capitis ſic ſcribit.

„ Præſenti inſtituto ſatis fore putamus (quantum Deus adjuverit) oſtēn- „ dere virtutes eas, quæ ab Ariſtotele deſcribuntur,id eſt virtutum officia, quæ „ non ob aliud, ſed propter ſemetipſa expetuntur, non rectè à peccato vin- „ dicari, virtuteſque non eſſe; ſed virtutum ſimulationes, & vitia virtutes „ imitantia. „

Ecce hoc agit unum,ut oſtendat,virtutes Philoſophorum, hoc eſt,quas Philoſophi deſcripſerunt in ſuis libris, non eſſe virtutes, quia deſcripſerunt mera honeſtatis officia,neque ea jubebant referri in Deum

Unde cap. 5. hunc Titulum ponit: *Quod virtutes impiorum, quæ in Deum non referuntur,non ideò ab Auguſtino negantur eſſe veræ, quia non ſalvant; ſed quia vitia ſunt,& damnant.* Hoc agit operosè illo capite.

Denique cap. 6. hunc titulum præfigit: *Quare Stoicorum & Peripateticorum virtutes ſint ſuperbæ.* Ac ne cenſeas ſermonem fore de aliis virtutibus, quam iis, quas illi præceperunt in ſuis libris, caput ipſum orditur his verbis.

„ Sed licet fortaſſis tanti Doctoris auctoritati ſuccumbas, tacitus tamen in „ animo tuo miraris,cur *Auguſtinus* virtutes, quæ *IVXTA ILLORVM PRÆCE-* „ *PTIONES* rectæ rationi ſerviunt,ſuperbiæ arguat. „

Hoc explicat illo capite, rationem colligens in hæc verba.

„ In Stoicis, & Peripateticis mens uſque adeò non fuit de ſui creatoris ho- „ nore ſollicita, ut ſcriptis ingentibus voluminibus, quibus explicaret, quid ab „ inferioribus partibus ſibi deberetur, ne verbum quidem addiderit, quo ſe „ creatori ſervire debere teſtaretur. „

Ex his patet Bajum non curaſſe,an aliquis Philoſophus vel Infidelis, adjutus identidem tenui radio cæleſtis luminis, exercuerit aliquem actum virtutis, ſeu charitatis imperfectæ erga Deum. Hoc neque affirmavit, neque negavit uſpiam, contentus docere, virtutes illas, quas in ſuis libris deſcripſerunt, non eſſe virtutes; ſed vitia, propterea, quod non præciperent eas referri in Deum.

Hæc res tam eſt manifeſta legenti ejus opuſculum *de virtut. impior.* ut certum ſit, eos non legiſſe *Bajum*,qui cenſent Propoſitionem; *omnia opera Infidelium &c.* ideò

ideò damnatam eſſe, quia ejus aſſertor docuerit, infideles ante plenam fidei lucem, aut habitum fidei, nullum prorſus exercere actum bonum, ſed omnem malum.

Patet 2. non ideò damnatam eſſe *Baji* propoſitionem *omnia opera Infidelium ſunt peccata & Philoſophorum virtutes ſunt vitia &c.* quia nequidem exceperit actus indeliberatos.

Etenim Bajus pronuntians, virtutes illas, quas Stoici & Peripatetici præceperunt in ſuis libris eſſe vitia non eſt locutus de actibus indeliberatis: quia actus illi fortitudinis, temperantiæ, & ſimilium virtutum, non exercentur indeliberatè. Deinde certum eſt quod *Bajus* locis citatis non alio intuitu docuerit Philoſophorum virtutes eſſe peccata, quàm quod eas non dirigerent in Deum per caritatem, virtuteſque conſideraverit merè ut relatas in alium finem, nihil ibi ſomnians de deliberatione vel indeliberatione ipſarum. Non licet ergo ſuſpicari aliud ſectatos eſſe Pontifices propoſitionem damnare.

ASSERTIONES.

FRANCISCVS VAN VIANEN S. T. Doctor Lovanii die 28. Aprilis 1676. Aſſertionem hanc probavit Theſi 3.

Mala proinde eſt voluntas ejus, qui Stoicorum more virtutes propter ſe ipſas amat, non propter Deum.

IOANNES SINNICH S. T. Doctor Lovanii die 7. Decembris 1651. Theſi 2.

Diſputatur in Scholaſticos, utrum neceſſe ſit, infidelem in omni opere peccare? item an neceſſe ſit, omnem peccantem errare? Ad utrumque affirmativè reſpondemus.

Doctor idem Lovanii die 4. Februarii 16, 1. Theſi 2.

Laudabilia gentilium Philoſophorum opera non eſſe veras virtutes, nec à peccati labe liberi, AVGVSTINVS cenſuit.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 9. Martii 1652. Theſi 3.

Et ſicuti in Cornelio opera moraliter bona omnem fidem præceſſiſſe non convinces, ita nec in alio quopiam infideli invenies: omne enim velis nolis, quod non eſt ex fide peccatum eſt.

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D. Lovanii die 13. Aprilis 1652. Theſi 2.

Licet enim hic (infidelis) *nudum operuerit, quia hoc tamen non eſt ex fide, peccatum eſt.*

His dedit ſimilia Doctor idem Lovanii die 4. Decembris 1652.

OMNE QVOD NON EST EX FIDE. Fide Chriſtianâ ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, per quam omnia opera noſtra referri debent in Deum.

ANDREAS LAVRENT S. T. Doctor Lovanii die 27. Octobris 1662. Theſi 2.

Si quidam (gentiles) *nudum operuerint, periclitantem liberaverint, ægri vulnera foverint, divitias honeſtæ amicitiæ impenderint, ad teſtimonium falſum nec tormentis potuerint impelli, vel hujuſmodi virtutum officia exercuerint, non tamen benè imò* (*Teſte Sanctiſſimo legiſlatore noſtro AUGUSTINO*) *malè faciunt, hoc peccantes, quod homines in fide, non ad eum finem iſta opera retulerint, ad quem referre debuerunt.*

FLORENTIUS DE COCQ S.T. Profeſſor Antverpiæ die 10. Martii 1677. Theſi 13.

Qui (gentiles) *etſi nullo pravo fine actus illos (quod procul dubio fieri potuit) maculaſſent, defectu tamen relationis debitæ omnino ſteriles illos actus aſſerimus, & eoſdem deliquiſſe.*

Sunt & alia hujus generis non pauca. Sed & abundant eorum aſſertiones, qui, cum diſertè affirmare nolint omnia opera infidelium eſſe peccata, ſatis habent affirmaſſe præceptum, omnia referendi in Deum, extendere ſe quoque ad infideles, ut interpretere in benigniorem partem, ſi velis.

His miſſis, quædam ex iis videamus, quibus amoliri à ſe invidiam damnatæ propoſitionis moliuntur.

IACOBUS PONTANUS S.Theologiæ Doctor Lovanii die 27. Junii 1651. hanc viam inivit Theſi 3.

Ut intellectus actum fidei, qui ſit liber, eliciat prærequirit in voluntate pium affectum, quo determinetur ad aſſenſum, & captivetur in obſequium fidei: eſtque ille affectus in ſubſtantiâ ſuâ ſupernaturalis, & ſecundum probabiliorem ſententiam nihil aliud, quam Charitas actualis. Quam charitatem cum poſſint habere homines, ex eâque benè operari, antè habitum fidei, rectè à Sede Apoſtolicâ præſcripta (proſcripta) *eſt illa propoſitio; OMNIA OPERA INFIDELIUM SUNT PECCATA.*

Si memor ſit Lector eorum, quæ de *Michaëlis Baji* Doctrinâ aſſeruimus in Obſervatione præambulâ ad hunc §. faciiè ſtatuet, non credere hunc Doctorem, propoſitionem illam eſſe damnatam in ſenſu ab Aſſertore intento, nullamque habendam rationem celebris commatis in Bulla Pontificia tam Studiosè Vindicati à Sede Apoſtolicâ, ut oſtendimus in hâc parte cap. 1. §. 4. vel de ſenſu Aſſertoris id induxiſſe in animum, quod ſibi erat commodum; nullâ curâ inveſtigandi ſenſum ipſum. Idem in eos quadrat, quorum Aſſertiones ſubjunguntur.

LAURENTIUS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1675. in ſuâ Theologia Mor. *de actib. human* tract. 1. q. 1. dubio 10. pag. 19. pag. 22.

An homo obligetur omnes actiones ſuas referre in Deum actualiter, vel virtualiter, tamquam finem ultimum? Reſp affirmativè .... neque propterea periculum eſt incidendi in hanc propoſitionem damnatam; cum inde minimè ſequatur, omnia opera infidelium eſſe peccata: nam ſicut ante ſolem oritur nobis aurora, ſic etiam ante perfectam fidem homini gentili poteſt eluceſcere lux quædam cæleſtis, quâ Deum cognoſcat, & ita opera ſua antè obtentam perfectam fidem ad illum dirigat.

MACARIVS HAVERMANS S.T.P. Antverpiæ anno 1674. in ſuo *Tyrocinio* tract.2.cap.6.§.3 pag.447.448.ſic objicit ſibi & reſpondet.

Inſtabis : ex illâ Doctrinâ ſequitur manifeſtè hæc à PIO V. & GREGORIO XIII. condemnata propoſitio : OMNIA OPERA INFIDELIVM SVNT PECCATA. R. negando .... dico ergo cum juxta dicta Tract. 1. Infideles cognoſcant Deum , eumque ſe diligere debere non ignorent, non eſt cur opera quædam purè propter ipſum, & conſequenter ex imperfecto Dei caſto amore, elicere non valeant.

Hæc non ſunt miranda in hoc Profeſſore : cenſet enim propoſitiones Bajanas non eſſe damnatas in ſenſu ab Aſſertoribus intento , tollitque de Bullâ Pontificiâ celebre comma poſt illa verba *ſuſtineri poſſent*, ut vidimus p.2. cap.1. §.4. ut ſenſus Bullæ fiat, ex ſententiis damnatis nonnullas *ſuſtineri poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento.* Senſum verò Aſſertoris ſi attendas, nequaquam tergiverſatione iſtâ declinari invidiam damnatæ propoſitionis, manifeſtum eſt ex obſervatione præambulâ ad hunc §.

Quam optandus fuerit *S. Auguſtino* interpres Profeſſor idem Antverpiæ die 8. Martii 1677. judicet Lector. Sic interpretatus illum eſt Theſi 26.

Quando autem S. AVGVSTINVS alicubi videtur aſſerere, omnia infidelium opera eſſe peccata, tum agit de infidelibus Deum verum plane ignorantibus, qui prorſus infidelitatis ſuæ tenebris, peccatorumque ſuorum cœno immerſi , excæcati ſunt; illi enim nullum opus undequaque bonum efficere poſſunt.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. probaturus hæc videtur, qui Lovanii die 22. Junii 1669. aſſertionem hanc probavit Theſi 3.

Sicuti ad opus bonum opus eſt charitate imperante, ita & fide dirigente , adeo ut opus cætera bonum, ſi non eſt ab aliquo ſaltem fidei radio, malum ſit.

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. quem ſuperiora iſta approbantem audivimus in alium locum ſuæ Theol. Mor. *de actib. hum.* delatus, aliam viam tentavit amoliendi invidiam propoſitionis damnatæ. Quia tract. 13. q. 1. pag. 321. ſic interrogat, reſpondetque.

Petes an ergò virtutes infidelium & Philoſophorum ſint vitia. Reſp. negative : ſi quidem hæc propoſitio eſt à PIO V. Pontifice in BAIIO damnata ; ſed ſunt imperfectæ virtutes : quia etſi officia illarum propter carentiam relationis ad debitum finem ſint vitioſa, tamen ex ſe ſunt, & ex objecto eò nata referri.

Hic ſanè Profeſſor aut ignoravit aut non curavit ſenſum *Baji* , in quo damnata eſt propoſitio. Planè admiſit *Bajus* (& quî de hoc poterat dubitare?) generaliter officia virtutum ex ſe bona eſſe & referibilia ad debitum finem. Unde lib. *de virtut. imp.* cap.2. profitetur ſe non ambigere de officiis virtutum , quin ex ſe bona ſint & integra, ſed ex malo bonove fine vitiari poſſunt. *Nec mihi nunc quæſtio eſt*, inquit , *de honeſtatis officiis , quibus aut Deum colendo bene utimur , aut mundum diligendo male.* Et rurſus . *non itaque de officiis mihi quæſtio eſt, quæ aliqua ex parte poſt lapſum, in naturâ humanâ remanſerunt integra , ſed de virtutibus , quæ etiam*

etiam finibus diſtinguuntur à vitiis. Non aliter has contendit fieri vitioſas, quam finibus à Deo diverſis; cum vitium ābſtergi non queat, niſi relatione in Deum per charitatem. Hæc aliaque pertinentia ad ſenſum Aſſertoris ignoravit hic Profeſſor, vel ſi ſcierit, contempſit, perſuadens ſibi, non eſſe damnatas propoſitiones in ſenſu ab Aſſertoribus intento,

§. 5.

Aſſertiones negantium virtutem omnem formalem præter Charitatem.

OBSERVATIO PRÆAMBULA.

VIrtutem formalem appellamus actum voluntatis, qui ex vi motivi ſui, ſeu finis moventis, eſt actus virtutis. Non ſunt ergò virtutes formales officia virtutum externa: quia non ſunt actus voluntatis. 2. Neque virtutes formales ſunt ex ſpecie ſuâ illi actus voluntatis, qui ſunt indifferentes, ut fiant ex motivo honeſto, vel inhoneſto; cujuſmodi eſt volitio dandi nummos pauperi, ſi præſcindas à motivo, ſeu fine movente ad volendum dare nummos pauperi.

Similiter ſi cenſeas, nullam eſſe veram virtutem, niſi quę ſit imbuta charitate, vel imperetur à charitate, non eſt actus virtutis formalis ex ſpecie ſua volitio dandi eleëmoſynam ex motivo miſericordiæ erga proximum: eſt enim ex ſpecie ſua indifferens, ut imperetur à charitate, vel non imperetur &c.

Atque hinc patet in iſtâ ſententiâ non ſolum nullàm eſſe virtutem formalem ſine affectu charitatis, ſed ne quidem illos actus virtutum moralium, qui ſunt imbuti charitate, vel ab eâ imperantur, eſſe formaliter honeſtos, ſeu actus virtutis formalis, niſi per denominationem à charitate, quam involunt, vel à qua imperantur. His obſervatis Aſſertiones videamus.

ASSERTIONES.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 14. Januarii 1676. Aſſertionem nitidè expreſſam dedit Theſi 1.

Quæ diverſæ dicuntur virtutes non ſunt niſi Dei dilectio (ad minus imperfecta) diverſo modo operans.

Conſentanea tradidit idem Doctor die 4. Septembris 1665. Theſi 3. die 23. Novembris 1666. Theſi 2. die 27. Junii 1663. Theſi 2. die 7. Julii 1663. Theſi 2. die 9. Aprilis 1671. Theſi 2. die 18. Martii 1672. &c.

Sed videamus ejuſdem Doctoris Aſſertionem Lovanii propoſitam die 23. Octobris 1676. Theſi 1.

Charitati nomine non ſolam Dei amicitiam, ut communiter S. THOMAS, ſed cum S. AUGUSTINO quamcumque caſtam Dei dilectionem intelligimus. Hæc dilectio quodammodo ſola eſt, quæ veræ virtutis nomen & omen habet, & ſine quâ, ut ait S. THOMAS 2.2.q.23.a.7. ſimpliciter vera virtus eſſe non poteſt.

His noſtris Theologis valde placet ille locus D. Thomæ: poterant *ex Baji opuſculo de virt. impior.* unde alia tã multa acceperunt, haurire intelligentiã illius loci: *Bajus* enim ibi cap 4. de patrocinio D. Thomæ deſperat non ſine dolore ſic ſcribens.,, Neque etiam D. Thomas in ſua diſputatione id prætendit ut patet ,, 2.2.quæſt.23.art.7, ſed ex eo putat eſſe virtutes, quia ad verum aliquod bo- ,, num particulare referuntur, quod ad bonum univerſale ſit referibile ...... ubi ,, inprimis mirandum occurrit, quod *D. Thomas* hanc proximi finis ad univer- ,, ſale bonum referibilitatem, ad rationem virtutis ſufficere exiſtimet: cum ,, ejuſmodi referibilitas etiam illi particulari bono competat, quod ab impiis ,, præ univerſali bono, & cum expreſſo ejus contemptu expetitur.

Hæc *Bajus* in iſtum locum *D. Thomæ* loci ipſius perſpicuitate victus, ne *D. Thomam* ſperaret ſibi favere.

ANDREAS LAURENT S.T.D. Lovanii die 23. Januarii 1667. Theſi 2.

Per Charitatem primò, & principaliter meretur homo; cum inter cæteras virtutes præſtantiſſima Deum attingat modo in hâc vitâ excellentiſſimo: ſolum autem in tantum per alias virtutes, in quantum earum actus ex hujus imperio ſunt procedentes.

Nullum ergo dubium, quin cenſeat hic Doctor, actus aliarum virtutum, in tantum eſſe actus virtutum, in quantum ex Charitatis imperio procedunt, hoc eſt, per denominationem ab affectu Charitatis, à quâ procedunt. Similis huic eſt aſſertio quam ſubdimus.

LAURENTIUS NEESEN (niſi fortè Theſes illas propoſuit ejus Collega in Gymnaſio Archiepiſcopali) Mechliniæ die 6. Junii 1675. Theſi 2.

Tota ratio meriti in opere externo dependet ab interna charitate à qua procedit.

CHRISTIANUS LUPUS, niſi fallor (obſcuriuſculè ſe prodit nomen) S.T.D. Lovanii die 6. Octob. 1672. amplam diſſertamque dedit aſſertionem Theſi 2.

Principium & origo omnis meriti eſt charitas. Hinc quippe ſoli ſecundum ſe competit perfectio vera & Chriſtianæ virtutis: nec aliter ab iſtâ reliquæ habent eſſe virtutis, quam homo ab animâ eſſe viventis. Imò ex hac ſcaturigine omnis in actiones noſtras bonitas derivatur: ſic ut tantumdem actus cujuſcumque alterius virtutis de verâ bonitate participet, quantum de actu charitatis intra ſe comprehendit.

GERARDUS VAN WERM S.T.D Lovanii die 27. Januarii 1672. Theſi 1.

Virtutem creaturæ rationalis non eſſe prorſus aliam, quam ordinem amoris, & charitatem, quâ diligitur id, quod diligendum eſt; in celeberrimo ſuo adverſus Pelagianos conflictu conſtantiſſimè docuit AUGUSTINUS .... rectè verò, ſeu juſtè vivit .... qui fruitur fruendis, & utitur utendis: quod nemo poteſt, ſicut oportet, abſque ordinato amore charitatis.

Brevius

Brevius Doctor idem Lovanii die 21. Martii 1653. Theſi 1.

Cum autem virtus vera ſimpliciter ſit illa, quæ ordinat ad principale bonum, NVLLA SINE CHARITATE VERA VIRTVS DARI POTEST.

Etiam ex hâc, & ſimilibus aſſertionibus, patet, nullam eſſe his Doctoribus formalem virtutem, niſi charitatem. Vide *Obſervat. Præamb.* ad hunc §.

Idem Lovanii die 3. Septembris 1654. Theſi 1.

Quia etiam S. GREGORIVS Hom. 27. in Evangelia non habet, ait, aliquid viriditatis ramus boni operis, niſi manſerit in radice caritatis, meritò omnium virtutum forma appellatur, NEC SINE ILLA VLLA VERA VIRTVS IN NOBIS ESSE POTEST.

Locum *Gregorii* illuſtraſſet, ſi addidiſſet ex homiliâ tam tritâ quæ ſequuntur: *Nam ſunt nonnulli, qui diligunt proximos ; ſed per affectum cognationis, & carnis : QVIBVS TAMEN IN HAC DILECTIONE SACRA ELOQVIA NON CONTRADICVNT : Sed aliud eſt, quod ſponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex caritate debetur obedientiæ, hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa ſublimia dilectionis præmia non aſſequuntur &c.*

His ſimilia ad alias Patrum ſententias, quæ ſæpius occurrunt in hoc opuſculo Theſibus inſertæ etiam diſſimulanter, promptum ſit adnotare. Sed non hoc agimus : & ea, quæ inſeruntur, ferè ſunt accepta à *Bajo*, & *Ianſenio*, atque ab horum Antagoniſtis explicata centies.

Severa eſt Aſſertio ejuſdem Doctoris Lovanii die 16. Maii 1676. Theſi 2.

Virtutes operari propter virtutes, earumque honeſtatem naturalem, aut ſplendorem, gravem adfert ordini amoris perturbationem.

LAMBERTVS LE DROV S. T. Doctor Lovanii die 27. & 28. Aprilis 1676. Theſi 8.

Ex quo ſequitur, nullam eſſe virtutem abſque caritate latè ſumptâ, ſive abſque aliquo amore Dei propter ſe.

LAMBERTVS VINCENT S. T. Doctor Lovanii die 4. Novembris 1676. Theſi 3.

MAIOR AVTEM HORVM EST CHARITAS........ ſine hâc ſaltem imperfectâ nullus actus undequaque bonus, nullus meritorius.

LAVRENTIVS NEESEN S. T. Profeſſor Mechliniæ anno 1675. in ſua Theol. morali *de Actib. hum.* tract. 13. q. 1. pag. 320.

QVÆLIBET VIRTVS NON EST NISI CHARITAS inadæquatè concepta.

Totidem ferè verbis hæc habent Theſes ibidem in Archiepiſcopali gymnaſio propugnatæ die 4. Maii 1673. non tamẽ ſine aliqua exaggeratione Theſi 2.

Qualibet VIRTVS MORALIS NON EST ALIVD, QVAM CHARITAS inadæquatè concepta ; prout nempe ſubit officium hujus aut illius virtutis moralis : unde quid aliud eſt caſtitas, quam charitas proponens abſtinere ab omnibus voluptatibus carnis tam licitis, quam illicitis ?

IOAN-

JOANNES DE WITTE S.T.P. Antverpiæ die 13. & 14. Julii 1671. Theſi 18.

Radix & fons omnis meriti eſt caritas. Per eam principaliter meretur homo, cum inter ceteras virtutes præſtantiſſima Deum attingat modo in hac vita excellentiſſimo: ſolum autem in tantum per alias virtutes, in quantum earum actus ex ejus imperio procedunt.

MACARIUS HAVERMANS S. T. Profeſſor Antverpiæ ſuperioribus dedit conſentanea die 12. & 13. Julii 1672. die 12. Julii 1673. die 9. & 10. Maii 1675. Theſi 2. in *Tyrocinio*, in *defenſione Tyrocinii* &c. Conſentanea dederunt alii. Sed libet abſolvere hanc farraginem.

Solùm adnotandum eſt & *Macarium Havermans* & alios ex hiſce noſtris libentur inculcare identidem ad actum virtutis, aut non peccandum actionibus ſingulis, ſolùm à ſe requiri caritatem virtualem aut relationem in Deum virtualem per caritatem. Ne verò quis exiſtimet, illos eſſe contentos illâ in ultimum finem relatione virtuali, quam prædicare ſolent thomiſtæ, ob referibilitatem particularis boni ad bonum univerſale, de qua *D. Thomas* 2. 2. q. 23. a. 7. aut aliter ab ipſis explicatâ, audire juvat, *Macarium Havermans*, qui ſenſus noſtrorum Doctorum præclarè callet. In ſuo *Tyrocinio* tract. 2. cap. 6. §. 8. n. 83. pag. 490. ſic diſſerit.

Eſt igitur dilectio virtualis verus animi motus, qui vel defectu jam dictæ reflexionis, vel ob remiſſionem & debilitatem actus redditur quaſi inſenſibilis, ita ut illam non experiamur, niſi in effectu, ex illo colligendo cauſam......... unde licet detur virtualis Dei dilectio, quæ non ſit formalis; cum homo ſæpè aliquid amet, quamvis illud non cogitet & advertat, ſeu ſuprà illud non reflectat, tamen non datur virtualis Dei dilectio, quæ non ſit actualis. Sic cenſet ille profeſſor.

Poſt pauca ſubdit explicationem dilectionis virtualis, quæ aliis quibuſdam placet, & ad praxim nihil habet diverſi à Priore, ut rectè obſervat ibidem n. 84. pag. 493.

Ex his patet, hos noſtros Thelogos talem poſtulare in omni actione humanâ dilectionem Dei ſaltem virtualem, qualem requirimus intentionem in Miniſtro Sacramenti. Si præiverit formalis intentio Sacramentum conficiendi, & ſacros ritus peragat diſtractus Miniſter facilè confidimus, id eum facere ex illâ intentione ſaltem virtualiter perſeverante, quomodocumque explicanda ſit illa, quod eſt ſpeculationis Philoſophicæ. Id verò confidimus meritò: neque enim ſpectatâ conditione perſonæ alius eſt finis, quo moveri potuerit moraliter loquendo ad peragendos iſtos ritus: utinam liceret idem confidere de dilectione Dei virtuali, ubi ſimiliter præceſſit dilectio formalis; quando tam multi ſunt alii fines, quibus ſolet moveri humana infirmitas.

CAPUT IV.

Specimen Doctrinæ Theologicæ in materiâ pœnitentiæ.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Doctrinam Concilii Trid. de contritione, & attritione.

Concilium Trid. Seſſ. 6. Can. 8. hoc anathema ſcripſit.

„ SI quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit. „

Concilium Trid. ſeſſ. 6. Can. 31. hoc alterum ſcripſit anathema.

„ Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema ſit. „

Ad hunc canonem in hâc parte 2. cap. 3. in Obſervatione Præambulâ, ea adnotavimus, quæ & hic utilia eſſe poſſunt.

Concilium Trid. Seſſ. 14. Can. 5. de pœnitentiâ hoc anathema Scripſit.

„ Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illum eſſe dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema ſit. „

Concilium Trid. Seſſ. 14. cap. 4. de pœnit. ſic nos docet.

„ Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur .... docet præterea (S. Synodus) etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Srcramenti voto, quod in

illâ

„ illâ includitur,non eſſe adſcribendam. Illam verò contritionem imperfectam, „ quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel „ ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat non ſolum non facere hominem „ hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus „ S. impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo „ pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento „ Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen „ eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum diſponit.„

Hos canones, hanc Doctrinam Sancti concilii Trid. Lector conferat cum Doctrinâ *Martini Lutheri*, ut ex ſenſu damnatæ Doctrinæ commodiùs ſtatuat, quis ſit SS. canonum & Catholicæ Doctrinæ ſenſus. *Lutherus* in eo Sermone *de pœnitentia*, in quem manifeſtum eſt ſpectare anathema Trid. concilii ſic docet:

„ Contritio (ſic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior) duplici viâ paratur. Primò per diſcuſſionem, collectionem, deteſtationem peccatorum, „ quâ quis, ut dicunt, recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deindè „ amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, & „ alia, quæ poſſunt triſtitiam, & dolorem excitare. Hæc autem contritio facit „ hypocritam, imò magis peccatorem: quia ſolum timore præcepti, & dolore „ damni id facit: & tales omnes indignè abſolvuntur, & communicantur „ .... & hæc eſt illa contritio, quam ipſi vocant extra charitatem non „ meritoriam: alii vocant attritionem proximè diſponentem ad contritionem: „ ſic enim ipſi opinantur: quam opinionem errorem ego judico. Secundò „ paratur per intuitum & contemplationem ſpecioſiſſimæ juſtitiæ, quâ quis „ in pulchritudine, & ſpecie juſtitiæ meditatus, in eam ardeſcit, & rapitur, incipitque cum Salomone fieri amator ſapientiæ, cujus pulchritudinem videat. Hæc facit verè pœnitentem, quia amore juſtitiæ id facit, & hi ſunt digni „ abſolutione .... amor eſt vinculum perpetuum; quia voluntarium: „ odium temporale; quia violentum. Igitur perſuade homini primum, ut diligat juſtitiam, & ſine magiſterio tuo contereturde peccato: diligat *Chriſtum*, & ſtatim ſui prodigus odiet ſeipſum &c. „

Lutherus in libro, cui titulus *Aſſertio articulorum per Bullam Leonis decimi damnatorum* articulum 6. qui ſumptus erat ex ſermone de pœnitentia, ſic vindicavit:

„ Primum hoc nemo negabit, contritionem quantumlibet magnam, niſi „ fiat amore juſtitiæ, & (ut ipſimet dicunt) in charitate Dei, non eſt vera, ſed „ ſimulata. Omnia enim, quæ extra charitatem fiunt, nihil, vana, & falſa ſunt, ut I. Cor.13. docet *Paulus*, quia non fiunt ex toto corde, quod autem ex corde non

„ non ſit, jam hypocriſis eſt .... at contritio per peccatorum collectio-
„ nem parata ſine amore Dei, & juſtitiæ, hoc eſt ſine corde conterit, de hâc
„ enim locutus ſum. Quare neceſſariò ſequitur, ut faciat hypocritam, qui nec
„ volenter, nec amanter conteritur in corde ſuo ...... animum autem talem, &
„ cor non dat natura, nec collectio peccatorum; ſed ſola charitas ſpiritus. „

§. I.

Aſſertiones graviter reprobantium communiſſimam Doctrinam de ſufficientia attritionis ex metu gehennæ ad effectum Sacramenti.

SImplices Aſſertiones adverſantium illi Doctrinæ infinitum eſſet afferre; ubi Lovanienſibus Academicis, omnibuſque eorum Theologiam redolentibus nihil eſt perſuaſius, aut decantatius.

Quaſdam exhibebimus graviter reprobantes communiſſimam Doctrinam de ſufficientiâ attritionis ex metu gehennæ, adeoque ex motivo ſpei Theologicæ; cum gehenna importet privationem æternæ beatitudinis, ejuſdemque motivi ſit metum, & ſpem gignere oppoſitorum.

LAMBERTUS VINCENT S. T. Doctor Lovanii die 27. Novembris 1676. aſſertionem poſuit, quæ meretur viam ſternere gravioribus, quas promittebamus: eſt enim valdè perſpicua, quâ & admittitur, quod vulgò negant hi noſtri, attritionem ex metu poſſe excludere voluntatem peccandi. Sic leges Theſi 3.

Ad gratiam in baptiſmo percipiendam .... quamquam contritionem imperfectam poſſe ſufficere æſtimemus, eam tamen quæ vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu tamquam adæquato motivo concipitur, etiamſi (quod fieri ad breve tempus poſſe putamus) voluntatem, ulterius peccandi excludat, ut inſufficientem rejicimus, motivum amoris Dei indiſpenſabiliter exigentes.

GERARDUS VAN WERM S. T. D. Lovanii die 16. Martii 1667. gravius inſurrexit Theſi 2.

Qui pœnitentiam ſalutarem abſque interventu omnis charitatis actualis agi poſſe aſſerunt, NON MERENTUR VEL NOMEN CHRISTIANORUM, vel nomen filiorum novi Teſtamenti habere; SED POTIUS CUM VULGO IUDÆORUM olim filiorum ac ſervorum teſtamenti veteris.

Eodem anno Lovanii die 7. Junii hæc dedit nihilò mitiora Theſi 4.

QUI IUSTIFICAT IMPIUM ABOMINABILIS EST APUD DEUM: quid hoc eſt aliud impium juſtificare, quam illum, qui revera impius eſt, juſtum pronuntiare? quod cum faciant, qui promiſcuè per pulpita, & ſuggeſtus clamitare non metuunt, quod impius cum attritione ex puro puto gehennæ metu conceptâ in Sacramento pœnitentiæ juſtificetur,

tur, *QVOMODO AB ADIVNCTA DIVINA ABOMINATIONE IMMVNES ERVNT?*

Non eſt mirum placuiſſe huic Doctori hæc tam ſevera, qui propugnandum ſuſceperat die 27. Auguſti 1670. ſuam doctrinam de attritione eſſe dogma fidei. Sic poſuit Theſi 3.

Quare NON POTVIT SYNODVS TRID. VEL INSINVASSE ATTRITIONEM SVFFICERE, CVM SACRAMENTO &c. cum de eo veriſſimè dici & poſſit, & debeat illud Irenæi epiſtolâ ad Florinum: iſta dogmata Presbyteri, qui ante nos fuerunt, quique ipſorum Apoſtolorum Diſcipuli erant, minime tibi tradiderunt. Imo per hoc non leviter infirmaretur auctoritas Concilii: cum iſta ſervilis attritio pugnet cum avito ſenſu Sanctorum Patrum, atque univerſa primitiva Eccleſia .... à fide, INTER CVIVS IMMOBILES ARTICVLOS PONIMVS neceſſitatem amoris Dei propter ſe ad juſtificationem cum quocumque Sacramento, non potuit ullatenus Generale Concilium deviaſſe.

Nota 1. potuit Trid. Synodus vel inſinuaſſe attritionem ſufficere: ſed de hoc infrà. 2. In doctrinam de ſufficientiâ attritionis conveniunt ea, quæ Irenęus ſcripſit in iſtâ epiſtolâ contra dogmata hæretica. Poterat ergo vocari *Novitium commentum*: ſic habebant illæ Theſes jam impreſſæ ad actum publicum celebrandum die 16. ejuſdem menſis, ſed cum diſplicerent, actus dilatus eſt, Theſeſque correctæ; quam id accuratè, judicet Lector. 3. Non leviter infirmaretur Concilii Trid. Auctoritas, ſi vel leviter inſinuaſſet attritionem ſufficere. 4. Inter fidei immobiles articulos ponimus neceſſitatem amoris Dei propter ſe ad juſtificationem cum quocumque Sacramento. De moderatione hujus Theſeos, & de ſpiritu, quo ſcripta eſt, judicent ſapientes.

CHRISTIANVS LVPVS S.T.D. Lovanii die 17. Novembris 1662. cenſuram communiſſimæ doctrinæ hanc propoſuit Theſi 1.

Animabus periculoſa valde ſententia eſt, attritionem ex ſolo metu gehennæ conceptam (etiam cum Sacramento) ſufficere ad juſtificationem.

Doctor idem anno 1666. Lovanii in ſuâ diſſertatione dogmatica *de contrit. & attrit.* cap. 17. pag. 84.

Eccleſia .... ſemper docuit ſine Dei ſuper omnia charitate neminem poſſe juſtificari, adeoque & ſemper docuit conceptam ex ſervili metu attritionem charitate, licet non perfectam, oportere tamen eſſe formatam. Quocirca quicumque aliter hodie in Eccleſia forſitan cogitant, cogitant MARTINI LVTHERI DE ECCLESIA VERIFICARE CALVMNIAS, ET SACRO SANCTAM SYNODVM REDDERE MENDACEM.

Doctor idem in ſuâ *Epiſtola famil.* cap. 1. pagina 7. ſuam de attritione doctrinam appellat *Apoſtolicum Chriſtianitatis dogma*, & cap. 5. pag. 36. *unum ex immobilibus Chriſtianæ fidei fundamentis.* Contrariam verò doctrinam cap. 1. pag. 6. *Articulum profanum, & unanimi SS. Patrum confeſſioni, Apoſtolicæque traditioni penitus adver-*

adverſum At vero cap. 5. pag. 47. 48. de neceſſitate amoris Dei ſuper omnia ad effectum Sacramenti ſic ſtatuit.

Principalis quæſtio eſt, an peccator ſine fide in Deum, ſeu ſine caſta adſectu ſaltem ſuper omnia Dei dilectione, poſſit Divinæ Majeſtati reconciliari? partem affirmativam conſtanter adſevero ESSE IMMOBILEM FIDEI ROMANÆ ARTICULUM, de quo uſque ad MELCHIOREM Canum nemo fidelis dubitavit.

Ibidem cap. 3. pag. 20 *Ex ſolo ſervili gehennarum metu citra fidem in Deum, ſeu caſtam Dei ſuper omnia dilectionem, formata contritio apud hanc venerandam Synodum EST IUDÆ CONTRITIO; NON PETRI.*

Atrociſſimè verò ibidem cap. 1. pag. 8. pugnaturus pro ſuo illo dogmate de neceſſitate amoris Dei ſuper omnia ad effectum Sacramenti, proludit his verbis.

IMPII IN CIRCUITU AMBULANT. Impiorum præſertim caput diabolus miſerum humanum genus conatus ſemper circumducere in eoſdem gyros erroris, aut malæ voluntatis. Ejuſmodi enim per ipſum ſpectacula cogimur & nos videre. Productorum quidem monſtrorum ridemus & nomen, & formam: verum ipſorum fabricatores, quod fratres noſtri ſint, etiam ex matre Catholica, non poſſumus non deflere.

FRANCISCUS VAN VIANEN S. T. Doctor Lovanii die 2. Auguſti 1664. Theſi 1.

Ficus protulit groſſos ſuos. Groſſi ſunt non tantum opera Iudæorum, ſed etiam Chriſtianorum, quæ fiunt ſine gratia, ſed ex intentione Iudaica, ut metu pœnarum, ſpe bonorum temporalium; quibus proinde attritionem ex puro puto gehennæ metu conceptam annumeramus, quæ procul abeſt, ut cum Sacramento juſtificet, quin potius ſic accedentem novi ſacrilegii reum conſtituat.

LAURENTIUS NEESEN S. T. P. Mechliniæ anno 1677. in ſuâ Theologiâ Morali *de Sacramentis* tract. 5. q. 2. dub. 6. pag. 404.

Ex his omnibus, pro ut & ex illis, quæ fusè in materiâ de actibus humanis tract. 8. quæſt. 2. dub. 2. deduximus, licet inferre, quam ſit periculoſa in praxi oppoſita ſententia, aſſerens attritionem ſervilem ſufficere cum Sacramento pœnitentiæ.

MACARIUS HAVERMANS S. T. P. Antverpiæ die 8. Martii 1677. plerumque nihil mediocriter affirmare ſolitus, Aſſertionem hanc poſuit Theſi 21.

Deduco ex dictis eſſe Traditiones; dari obligationem omnia ſua opera referendi in Deum tamquam finem ultimum. ATTRITIONEM EX SOLO GEHENNÆ METU ESSE INSUFFICIENTEM, etiam cum Sacramento, ad juſtificationem diſpoſitionem.

ÆGIDIUS GABRIELIS S. T. P. Bruxellis anno 1675. in *ſua Morali Chriſtiana & diabolica* Parte 2. § 10. *Mor Chriſt.* pag. 93.

Nec ſolum deploranda illa parentum incuria, ſed multò magis illorum Sacerdotum pernicioſa Doctrina, quâ docent tam facile per Sacramentum Pœnitentiæ recuperari illam innocentiam, ut ſufficiat timere gehennam, & confiteri peccata ſua, ut quis illam recu-

recuperet: nam ex hâc Doctrinâ & parentes, & filii inducuntur ad parvi pendendam dictam innocentiam, tam facilè (ut ſibi falsò imaginantur) recuperabilem. Sed patebit ex dicendis de Sacramento Pœnitentiæ quod ſit difficillimè recuperabilis, & apparebit in oppoſitâ MORALI DIABOLICA, quod hæc doctrina ſit maximè diabolica, ſaltem quatenus deprædicat tantam veræ converſionis facilitatem.

Quoniam verò nemo eſt, qui dicat, tantam eſſe facilitatem veræ converſionis, ut ſufficiat timere gehennam præcisè & confiteri, manifeſtum eſt *Maxime diabolicam* vocari doctrinam communiſſimam de ſufficientia Attritionis ex metu gehennæ.

§. 2.

Aſſertiones affirmantium Attritionem ex timore gehennæ, aut ipſum gehennæ timorem, non eſſe donum Dei, aut Spiritus ſancti impulſum.

CHRITIANVS LVPVS S.T.D. Lovanii anno 1666. in ſua *Diſſertatione dogmaticâ de Contritione* cap.15.pag.74.75. de amore, qui non eſt Dei propter ſe, & mox de timore gehennæ ſic loquitur.

Humanus & carnalis eſt, non divinus, & ſpiritualis, nec meritorius Regni. Radix ſeu origo iſta eſt omnino aliquid vitii ...... Hinc item laudatus timor, licet infuſum ac ſupernaturalem fidei actum frequenter præſupponat, non eſt tamen ipſe actus infuſus, aut ſupernaturalis ...... addo etiam illum, qui fidem infuſam præſupponit, non eſſe infuſum, aut ſupernaturalem: quod enim non ex ſpeciali Dei per IESVM Chriſtum dono, ſed ex proprio ſui amore; adeoque ex puro libero arbitrio naſcatur, eſt ſupra oſtenſum ex S. AVGVSTINO, & res ipſa clamat.

Doctor idem in *Epiſt. Famil.* cap.5.pag.47.

Quod enim ſervilis gehennarum metus ſit Iudaica ex lege, non Chriſtiana ex divina infuſionis Dono juſtitia, EST CHRISTIANI DOGMATIS FVNDAMENTVM ADEO IMMOBILE, ut nullus Orthodoxus uſque huc legatur de ipſo vel dubitaſſe.

His conſentanea ſunt ea omnia quibus Attritionis quæ eſt caritatis expers malitiam aſſeruit; ſed de his mox.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 30. Aprilis 1653. Theſi 2.

Illa verò Contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, nequidem cum Sacramento ſufficit ad remiſſionem criminum, ſi ita ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipiatur, ut nullo modo procedat ex amore ſaltem imperfecto Dei propter ſe, quo tamquam omnis Iuſtitiæ fons diligi incipiat. Pœnitentiam enim certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei, & alioquin abſque omni bono motu ſuſcipientium, gratiam conferret Sacramentum pœnitentiæ, quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii 26. Septemb. 1670. Theſi 1.

Cum

Cum autem Sacramentum nulli gratiam conferat ſine bono ſuſcipientis motu, nulluſque ſit bona voluntatis motus, niſi quem creaverit diffuſa per Spiritum Sanctum charitatis afflatus, conſequitur, ſine bono motu eam eſſe attritionem, qua ſine Dei dilectione peragitur, ac proinde ad juſtificationem etiam cum pœnitentia Sacramento inſufficientem.

His conſentanea eſt Aſſertio in Gymnaſio Archiepiſcopali propugnata Mechliniæ die 28. Martii 1675. Theſi 2.

Ad gratiam proinde Chriſti non pertinet timor ſervilis quantalibet legis ſcientia, illuſtrationes, pulſationes &c. quamdiu ſine bono motu voluntatis reperiuntur.

Hic locum ſibi vindicant ea omnia, quibus ab Attritione Caritatis experte haud ſatis arcent hi noſtri malitiam peccati. Pro his ſit.

§. 3.

Aſſertiones affirmantium Attritionem ex metu gehennæ eſſe peccatum, aut ſine peccato exerceri non poſſe.

CHRISTIANUS LUPUS S.T.D. Lovanii anno 1666. in ſua *Diſſertatione dogmatica de Contritione* cap. 14. de timore gehennæ ſic ſcribit pag. 69.

Iſtius Timoris imperfectio eſt, quod adjunctam ſibi ſervilitatem, ſeu latentem in corde cupiditatem, & peccandi adfectum non extinguat, & ſanet. poſt multa pag. 71. *Latens peccati cupiditas eſt intima, & ſecreta mentis præparatio, quâ homo ſervili gehennarum metu frænatus mallet eſſe licitum, quod dolet vetitum, quâ velit non eſſe legem peccata prohibentem, aut certè punientem, quâ optet non eſſe gehennas ..... & hæc eſt cupiditas, quam Patres aſſiduè dicunt per ſolam charitatem evacuari:*

Poſt pauca ſic interrogat, reſpondetque.

Et hinc oritur quæſtio, an latens iſta cupiditas ſit ex genere ſuo peccatum mortale? Rationem dubitandi præbet in lib. de Spir. & litt. S. AUGUSTINUS ...... Reſpondeo tamen affirmativè ..... gehennæ metus ex proprio ſui ipſius amore naſcitur, adeoque qui ob illam ſolam, & non CHRISTUM Dominum a gravi peccato abſtinet, non ſolummodo plus illam timet, ſed & ſeipſum ſupra Dominum diligit: quod eſſe etiam COGITATU HORRENDUM ſupra nobis IULIANUS POMERIUS dixit. ibidem cap. 12. pag. 62. ſic dixerat: *gehennarum ſerviliter fugax animus velit eſſe nullas virtutum leges, nullas peccati pœnas nullam ipſarum intentatricem juſtitiam; ideoque hujus, id eſt, ipſius Dei optimi Maximi eſt occultus inimicus & oſor.*

Unde ibidem cap. 16. pag. 78. ſic infert.

Servilis ergo gehennæ, aut aliarum pœnarum metus, dum graſſantem in veteri corde libidinem frænare, & cobibere non poteſt, OMNINO FACIT, dumtaxat tamen occaſionaliter, aut potius oſtendit, nos MAGIS PECCATORES.

Etiam in ſua *Epiſtola familiari* anno 1667. inculcat his ſimilia unum vide cap.5.pag.36.

Quod facta per ſolum ſervilem metum bona opera, ſint non Chriſtiana ex Divinæ infuſionis dono, ſed Iudaica ex lege juſtitiæ ..... omnino dixi: eſt enim immobile fidei Chriſtianæ fundamentum.

Si dixeris non alio titulo docuiſſe *Lutherum* quod metus gehennæ, & dolor ex illo metu ſit peccatum, niſi quod neceſſariò adjunctam habeat iſtam latentem cupiditatem, præcipuè cum ut ſuprà audivimus, ſuum dogma probet hoc argumento, *Si libere deberent (remoto præcepto, & minis pœnarum) conteri, certe dicerent, ſibi non diſplicere eam vitam præteritam, quam ſic coguntur diſplicere confiteri:* Neſcimus, an multum ſe turbaturus ſit hic Doctor Lovanienſis: quia in *Epiſtola famil.* Anno 1667. cum illi eſſet objecta conſenſio quædam cum *Luthero* & *Ianſenio* in hac controverſia, hæc repoſuit cap.5.pag.31.

Reſpondeo non quidquid IANSENIVS ac Lutherus dixêre, Ianſenianum eſſe, aut Lutheranum ..... Quidquid interim Lutherus de hoc puncto, aut Ianſenius ſenſerint, ego patenter ſenſi cum HVGONE &c.

Docuit Attritioni ex metu gehennæ neceſſariò adhærere vitium pravæ cupiditatis; ſed ipſam ex metu gehennæ Attritionem peccatum eſſe ex natura ſua intrinſeca.

Etenim 1. in *Differt. Dogmat.* cap.4.pag.20. pronuntiat.

Non caſtam benevolentiam, ſed IMPVRISSIMAM AVARITIAM, & CONCVPISCENTIAM eſſe .... ſi ſaltem propter illa, quæ præſtat, amatur Deus. Additur ratio: *Quia jam illud, propter quod diligitur, ei, QVOD DICTV QVOQVE NEFAS EST, antefertur.*

2. In *Differt. Dogm.* cap.14. pag.71. malitiam talis Attritionis repetit ex ſua origine ſic ſcribens.

Gehennæ metus ex proprio ſui ipſius amore naſcitur; adeoque qui ob illam ſolam, & non CHRISTVM Dominum à gravi peccato abſtinet, non ſolummodo plus illam timet, ſed & ſeipſum ſupra Dominum diligit, quod eſſe etiam COGITATV HORRENDVM ſupra nobis IVLIANVS POMERIVS dixit.

Ibidem pag.68. malitiam Timoris gehennæ diſertiſſimè tuetur his verbis.

Prima, inquam, hujus timoris imperfectio eſt imperfectio ſeu vitium radicis. Oritur enim, non ex caſto Dei, ſeu juſtitiæ, ſed ex mercenario amore ſui ipſius, quo homo ſibi ipſi bene vult eſſe non ſolum in hâc vitâ ſed etiam in futurâ. Porro ſui ipſius amorem, quo homo non in Deo, ſed in ſeipſo ſeipſum diligit, eſſe FONTEM IMPVRVM, & omnis diſtorti affectus primam radicem, eſt unum è fundamentis Doctrinæ Catholicæ, & Auguſtinianæ.

Si hujus timoris imperfectio eſt imperfectio ſeu vitium radicis; radix verò eſt *impura*, ſeu *fons impurus*, timor quoque ipſe eſt impurus, adeoque & impura attritio ex timore.

Denique

Denique in *Epiſt.famil.*cap.5.pag.43 ſic habet.

Suam Attritionem Accuſator vult ex caſta Dei Dilectione non procedere : ergo juxta inconcuſſa S. AVGVSTINI dogmata peccatur in tali Attritione, & cum ſuo, ex quo oritur, proprio hominis in ſemetipſo amore in unum conflata opus EST OMNINO PECCATVM.

Nihil clarius dici poteſt. Sed quale peccatum eſt? pergit pag. 44.

Quod ad Dei charitatem necdum elevatus homo ſcipſum in ſeipſo, & proprium commodum tamquam ultimum finem diligat, & gehennam timeat, uti malum principale, ideoque & mortaliter peccet, ſupra audivimus à S. THOMA. Hinc non vera diſtorti cordis converſio, ſed MERVS DVMTAXAT CONVERSIONIS FVCVS eſt iſta Attritio ſervilis.

Copioſior eſt hic Doctor, quàm ut vacet deſcribere omnia: Aliorum Aſſertiones videamus.

GERARDVS VAN WERM S.T. Doctor Lovanii die 23. Septembris 1664. Aſſertionem dedit amplam Theſi 3.

Servilitas ejus mala eſt, quæ non tantum conſiſtit in eo, quod malum pœnæ ut ſummum malum timeatur, & bonum proprium quo privat, ut ſummum bonum ametur, ſed in eo etiam, & quidem potiſsimùm, quod ſic timeatur malum pœnæ, ut purè & merè inde quis moveatur ad obſervantiam divinæ legis, quia pœnas timet abſque ullo affectu amoris erga illam, aut erga honeſtatem actus, qui exercendus occurrit. Vnde etiamſi alioqui bonum ſit, quod ex tali timore facit, ſimpliciter tamen & undique bonum non eſt, quia illud non benè facit: & inaniter putat ſe victorem eſſe peccati, qui eo pœnæ timore non peccat: quia etſi non impleatur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis &c.

His vides malitiam ſervilitatis conſtitui intrinſecè in ipſa attritione ex metu pœnæ: quia ſervilitas illa *in eo etiam, & quidem potiſsimùm conſiſtit, quod ſic timeatur malum pœnæ ut purè, & merè inde quis moveatur ad obſervantiam divinæ legis.*

His conſentanea dedit idem Doctor Lovanii die 24. Octob. 1652. Theſi 2. die 14. Martii 1670. Theſi 2.

LIBERTVS FROMONDVS S.T. Doctor Lovanii die 20. Septembris 1652. Theſi 3.

Quæ fiunt ex metu, licet non ſint involuntaria ſimpliciter, ſunt tamen involuntaria ſecundum quid, idque non ratione præcisè ſui, ſed affectus conjuncti ad rem, quæ metu deſeritur. Hinc fit attritionem ex ſolo metu gehennæ conceptam etiam non excludere involuntarium ſecundum quid; & per conſequens non diſponere ſufficienter ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam, quia per illam non magis auſertur affectus ad peccatum, quam affectus ad merces, quando ex ſolo naufragii & ſubmerſionis timore in mare projiciuntur.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 2. Septemb. 1667. Theſi 1.

Quod ſi ſic Deum tamquam vindicem timeas, ut nullo erga eum bono affectu afficiaris, tantum

tantum abeſt, ut per hoc ad peccatorum remiſſionem debitè diſponaris , ut potius vel inde novi peccati reus convincaris.

Supponit hæc Aſſertio, nullum eſſe bonum affectum erga Deum ſine affectu charitatis.

Doctor idem Lovanii die 27. Februarii 166,. Theſi 2.

Servilitas ejus eſt mala, quæ non tantum conſiſtit in eo, quod malum pœna , ut ſummum malum timeatur, & bonum proprium quo privat, ut ſummum bonum ametur , ſed etiam in carentia quadam amoris honeſtatis, aut virtutis.

IOANNES RECHT S. T. D. Lovanii die 24. Maji 1675. Theſi 3.

Quidam ſuſtinent, ſufficere ex puro puto timore gehennæ deteſtari peccatum ..... cumque timorem ſine ullo Dei propter ſe amore excludere voluntatem peccandi. Verum æſtimamus omnes Sanctos Patres ipſis reclamare , & timorem pœnarum utilem quidem & ex officio bonum, ſed voluntatem ſub peccato captivantem docentes cogitamus.

IACOBVS PONTANVS S.T.D. Lovanii die 19. Aprilis 1603. Theſi 1.

Timorem lex operabatur quoad modum ſaltem ſupernaturalem ; ſed cum ſolus erat, non ſine vitio erat : & quicumque quod lex jubebat timore pœnæ, non amore juſtitiæ faciebat, coram Deo legis quoad modum non obſervatæ reus erat.

IOANNES SINNICH S.T.D. Lovanii die 21. Februarii 1651. Theſi 3.

CONFIGE TIMORE CARNES MEAS &c. Si colligat inde aliquis DAVIDEM aliquando ſolo pœnarum metu legem ſervaſſe , nos conſequenter eundem tunc obnoxium fuiſſe peccato inferemus.

Doctor idem Lovanii die 30. Januarii 1655. Theſi 2.

A jugo peccati & timore ſervili, ex cujus ſolius motivo, qui præcepta facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit.

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1677. in Theol. Mor. *de Sacramentis* tract. 5. q. 2. dub. 6. pag. 104.

Hoc potiſſimum odio habetur, hoc vitatur, propter quod aliquid aliud vitas, aut odio habes, juxta hoc ; propter quod unumquodque eſt tale, ipſum eſt magis tale .... Deteſtari peccatum propter pœnam , ut magis diſpliceat pœna quam malum culpæ EST MAXIMVM PECCATVM, eo quod ſit maxime inordinatum.

Miſſis aliis hujus generis animadvertat Lector hos noſtros nihilo benigniores vulgò eſſe erga attritionem ex motivo Spei Theologicæ , quæ caritatis ſit expers , quam erga Attritionem ex metu gehennæ , quæ eſt reipsâ ex motivo Spei, ut ſuprà obſervavimus, imò nihilo benigniores erga Attritionē ex motivo cujuſcumque virtutis , niſi denique animatæ per Caritatem : in qualibet alia ſcilicet agnoſcunt amorem ſui ipſius , qui ſaltem defectu caritatis in Deum ſit vitioſus.

§. 4.

§. 4.

Aſſertiones affirmantium Contritionem ex Dei amore ſuper omnia non habere vim juſtificandi ſine Sacramento.

OBSERVATIO PRÆAMBULA

Ad Propoſitiones Bajanas 32. 33.

Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.

Catechumenus juſtè, rectè, & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per Charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi Lavacro demum percipitur.

DAmnatæ ſunt hæ Propoſitiones aliæque ſimiles à *Pio V. Gregorio XIII. Vrbano VIII.* & quidem *in ſenſu ab Aſſertore intento.*

Aſſertor fuit *Michael Bajus* in opuſculo *de caritate* cap. 7. cujus titulus hic eſt: *Quod is animi motus, quæ Charitas dicitur, remiſſionem peccatorum præcedere poſſit.*

Aſſertionem hanc probare conatur argumentis 19. quorum quædam facilè eam probant de quodam initio Caritatis. Sed pleraque argumenta eò tendunt, ut Aſſertio probetur de eâ Caritate, quæ habet vim ſervandi mandata; qualis eſt caritas hoc ipſo quo eſt amor Dei ſuper omnia.

Cenſent hi noſtri Theologi propoſitiones eſſe intelligendas de caritate perfectâ, quam ipſi cogitant, hoc eſt de perfectiori caritate, quam ſit amor Dei ſuper omnia, idque præcipuè quia in Propoſit. 32. Caritas illa vocatur *plenitudo legis.* Sed vel *Bajum* non legerunt, vel non credunt Propoſitiones Bajanas eſſe damnatas in ſenſu ab Aſſertore intento: de quo nos vide in hac Parte cap. 1. §. 4.

Etenim *Bajus* nuſquam verbo oſtendit, ſe agere de perfectiori caritate, quam cui vis ineſt ſervandi mandata: ac ne quidem in argumento 15. ubi agit de caritate, quam vocat plenitudinem legis. Totum argumentum his verbis abſolvitur.

„ Auguſtinus Epiſt. 143. Caritas, inquit, in omnibus Dei donis ita excellit, „ ut Deus dicta ſit, quâ unâ adimpletur in nobis, ſi quid divinæ legis, & admo- „ nitionis implemus: idem docet de Catechiſandis rudibus cap. 20. & 22.

 Sed

„ Sed Catechumeni, & Pœnitentes de lege & admonitione Domini, multum „ implent, quando ad peccatorum remiſſionem aſpirantes, convertunt ſe ad „ Dominum, pœnitentiam agunt, confitentur, baptiſantur &c. igitur habent „ Caritatem, quæ eſt Legis plenitudo.

Ecce Bajus vocat plenitudinem legis illam Caritatem, per quam *de lege & admonitione Domini multum impletur.*

Denique Librum illum de Caritate finit in hæc verba.

„ Patet igitur caritatis initium tunc homini conferri, quando ab infidelitate, „ aut mala voluntate converſus incipit velle bonum, id eſt velle facere Dei man- „ datum .... Atque Caritatem tunc rectè nuncupari, quando, Deo cooperante, „ tantum accipit incrementum, ut & mandata Dei faciat, & cupiditates, quæ „ prius eum in ſceleribus detinebant, vineat.

His verbis patet deſcribi caritatem non perfectiorem, quam ſit amor Dei ſuper omnia excludens gravia peccata. Hanc caritatem *Bajus* dixit eſſe in Catechumenis ante remiſſionem peccatorum: hanc caritatem Pontifices damnantes *Baji* doctrinam vocarunt *Veram*, *ſynceram*, *perfectam caritatem*, *& plenitudinem legis*; uti & vocant Theologi omnes exceptis his noſtris, & pauciſſimis aliis.

ASSERTIONES.

CHRISTIANVS LVPVS S.T.D. Lovanii anno 1666. in ſua *Diſſertat. dogmatica de Contrit.* cap. 7 pag. 33. ſic docet.

Adducunt loca ſimilia plura, atque ex illis ſibi perſuadent, nullam eſſe veram Dei ſuper omnia charitatem, cui ſtatim Deus non retribuat remiſſionem peccatorum.

Dari talem charitatem omnino profiteor. Diſertè enim Sacro-ſancta Tridentina Synodus docet definitum à ſe Contritionem aliquando charitate perfectam, hominemque per ipſam Deo reconciliari, priuſquam Pœnitentia Sacramentum actu ſuſcipiatur. Notanda eſt vox aliquando: edicit perfectionem iſtam non ſemper Contritioni, ſeu non omni, quæ veram tamen Dei ſuper omnia charitatem includere debet Contritioni adeſſe. Dei ſuper omnia quoad affectum, dilectio ineſſe debet, ac ſemper ineſt etiam imperfecta ex gehennarum, aut aliarum pœnarum ſervili metu concepta Contritioni, quam tamen ſine Sacramento non juſtificare eadem Synodus diſerte definit.

Ibidem cap. 10. cum ſibi pag. 52. ex *Bellarmino* objeciſſet *Auguſtini* locum; *ſi quis in corde ſuo invenerit charitatem, ſecurus ſit quia jam tranſiit à morte ad vitam*, ſic ſeſe expedit pag. 53.

Reſpondeo primum cum aliis ſimilibus locum intelligendum & de perfecta Charitate, & de imperfecta. Quod enim quavis etiam hac, præſertim ſi adfectu ſit ſuper omnia, peccatorem reſuſcitet, vivere faciat, adeoque & à morte ad vitam transferat, ſuper ex authenticis teſtimoniis oſtendi. Transfert à morte non quidem ad habitualem remiſſionis pecca-

peccatorum, tamen ad Actualem fidei, & boni operis vitam. Eadem licet non ſola, tamen per Sacramentum quod AVGVSTINVS nequaquam excludit, adjuta, omnino transfert à ſiniſtra ad dexteram.

Ibidem cap. 11. pag. 60. ad favorem ſui dogmatis torquet narrationem *Melchioris Cani* lib. 5. de locis cap. 5. de condemnatâ à Trident. Concilio Seſſ. 13. Can. 11. Sententiâ *Cajetani* docentis, eum, qui judicat ſe contritum, & hâc viâ juſtificatum, non egere abſolutione Sacramentali ut ipſi liceat ſumere Euchariſtiam. Narrationem *Cani* ſic excipit *CHRISTIANVS LVPVS.*

THOMAS DE VIO CAIETANVS ...... docuerat quâvis verâ Dei ſuper omnia charitate, & natâ hinc Contritione juſtificari hominem, ideoque taliter contritum peccatorem ſine praviâ confeſſione, & Abſolutione poſſe & communicare, & celebrare. Hanc ſententiam, licet non uti hæreticam damnet, tamen uti falſam, noxiam atque pernicioſam reprobat, atque proſcribit Sacro ſancta Synodus, ATQVE ITA NOSTRAM ADSERTIONEM VTI NECESSARIAM, AC PENITVS VERAM MANIFESTE CONFIRMAT. Nullum Mortalis peccati reum vult deinceps ſine praviâ confeſſione, & abſolutione communicare, niſi ſolum curatum, qui ex officio celebrare tenetur, & Confeſſoris copiam non habet, Sacerdotem: Non quod illum ſuâ tunc Contritione, ſed ſumptâ Euchariſtiâ ſperet juſtificandum.

Hic nota, quod judicio hujus Doctoris condemnata ſit à Concilio ſententia *Cajetani*, imò *D. Thomæ* & Theologorum omnium, exceptis pauciſſimis, docentium *quâvis verâ Dei ſuper omnia charitate, & nata hinc contritione juſtificari hominem.* Et quidem condemnata ut *falſa, noxia, atque pernicioſa.* Hoc ſi verum eſt, rectè infert ab eodem Concilio ſuam aſſertionem de charitate ſuper omnia non ſemper juſtificante, confirmatam eſſe ut neceſſariam.

Poterat etiam inferre, illos non egere abſolutione, ut communicent, qui ſe exiſtimant habere contritionem perfectam, ſaltem illam, quæ eſt ex caritate plus quam ſuper omnia, qualem infrà audiemus deſcribentem hunc Doctorem: quia ipſius judicio, Concilium damnavit Sententiam *Cajetani* permittentis communionem contritis, quatenus docebat, quamlibet Contritionem ex Caritate Dei ſuper omnia juſtificare: unde & infert contrariam huic Doctrinam, hoc eſt ſuam confirmatam eſſe à Concilio ut neceſſariò tenendam; ergo ſi dicamus contritum Contritione illâ perfectiori, quam ipſe nobis deſcribit, non egere abſolutione, ut communicet, non peccabimus contra Canonem Concilii.

An etiam placere debeat illud, quod indubitanter ait, Concilium Sacerdoti Curato, qui copiam Confeſſoris non habet, permittere celebrationem, etſi non ſperet illum ſuâ tunc contritione juſtificatum eſſe, judicent ſapientes. Alia videamus.

LAMBERTVS LE DROV S. T. Profeſſor, nunc etiam Doctor Lovanii

die

die 23. Septembris 1673. ſuperioribus dedit valde ſimilia Theſi 3.

Conſcius peccati mortalis, quantumcumque ſe contritum exiſtimet, non poteſt accedere ad celebrandum V.G. imò nec ad alia Sacramenta miniſtranda, ſine pravia confeſſione, niſi neceſſitas aliud exigat: quo caſu debet quidem converti ad Deum per contritionem & amorem Dei ſuper omnia; ſed non opus eſt, ut certò habeat contritionem perfectam, ac infallibiliter juſtificantem: ſi forte ſolum conteratur imperfectè, ex amore tamen Dei ſuper omnia, & non mere ex timore pœnarum inferni (talis namque contritio ne quidem ſufficit ad reconciliationem cum Sacramento Pœnitentia) Veriſimilius eſt, eum juſtificatum iri in Communione, non ante; niſi fortè contingat illum eripi ex hâc vitâ, priuſquam perveniat ad Communionem: tunc enim imperfectam illam contritionem ei ſufficere exiſtimamus, ut remiſſionem ſui peccati conſequatur abſque ullo Sacramento.

Idem Lovanii die 6. Julii paucis rem complexus eſt Theſi 1.

Iuſtificantem (contritionem) *Immeritò dixeris omnem illam, quæ ex motivo dilectionis Dei ſuper omnia concipitur.*

Idem rurſus Lovanii die 10. Septembris 1674. Theſi 6. totidemque verbis iterum die 9. Junii 1676. Theſi 19.

Datur Charitas actualis, juſtis propria, & inſeparabiliter conjuncta gratia ſanctificanti etiam extra Sacramentum. Talis non eſt omnis dilectio Dei ſuper omnia; quippe quæ REPERITVR IN HOMINE PECCATORE.

Die itidem 10. Septembris 1674. Theſi 12.

Contritio perfecta non eſt omnis illa, quæ concipitur ex motivo dilectionis Dei ſuper omnia.

FRANCISCVS FARVACQVES S. T. D. Lovanii die 31. Auguſti 1671. Theſi 20.

Charitas, teſte BELLARMINO, ſubinde dicitur perfecta, quoniam non modo Deum ſuper omnia diligit, unico aliquo actu voluntatis; dum eum cogitat ſummum eſſe, atque infinitum bonum, ſed etiam perſeverat in dilectione, uſque ad impletionem omnium mandatorum, quæ dicitur dilectio ſuper omnia quoad affectum, & effectum. Alia eſt imperfecta, quoniam afficitur quidem in Deum ſuper omnia, dum eum cogitat ſummum eſſe bonum, & nulla occurrit tentationis occaſio; tamen, occurrente objecto aliquo alliciente, facilè deficit, & extinguitur. Charitas perfecta, quæ hic deſcribitur, infallibili lege juſtificat: an etiam imperfecta? negantibus accedimus.

Accedit, inquam, negantibus, illam caritatem juſtificare, *quæ afficitur quidem in Deum ſuper omnia*, ſed, occurrente tentatione, facilè deficit. Hanc ſubinde vocari imperfectam, dixerat *Bellarminus*; uti & perfectam ſubinde illam vocari, quæ perſeverat, nequaquam hoc requirens, ut ſit perfecta, & juſtificans.

IOANNES RECHT S.T.D. Lovanii die 24. Maji 1675. Theſi 2.

Nos perfectam charitatem ...... infallibili lege, ſine actuali Sacramento, ſeu Catechumenum, ſeu pœnitentem juſtificare arbitramur: quamlibet tamen Dei, affectu ſuper omnia dilectionem, ejuſdem virtutis eſſe, veriſimile non eſt.

LAVREN-

LAVRENTIVS NEESEN S.T. P. Mechliniæ, Anno 1677. in Theol.Morali *de Sacramentis*, tract. 5. q. 2. dub. 4. pag. 393.

Dico 3. *Non quavis vera contritio, orta ex amore Dei ſuper omnia, ſemper habet conjunctam remiſſionem peccatorum, extrà Sacramentum pœnitentiæ.*

Quod probatur 1. *ex Concilio Tridentino, Seſſ.* 14. *Cap.* 4. *in quo Concilium agnoſcit veram contritionem, attamen imperfectam, quæ per ſe nequit juſtificare ſine Sacramento.*

Probatur 2. *Quia MAGDALENA, quantumvis multùm contrita, non prius accepit veniam ſuorum peccatorum, quàm, dum audivit; REMITTVNTVR EI PECCATA MVLTA, QVONIAM DILEXIT MVLTVM.*

Prior probatio ſupponit nullam eſſe veram contritionem, niſi ortam ex caritate Dei ſuper omnia. Secundâ probatione rurſus utitur pag. 395. ſic ſcribens:

Poſterior verò eſt actus voluntatis, quo Deus diligitur ſuper omnia; qui poteſt conſiſtere cum peccato mortali; ut patet exemplo MAGDALENÆ antedicto.

His congruenter ibidem. pag. 396. ſic objicit ſibi; reſpondetque.

Dices: Concilium Tridentinum permittit ſacerdotem, exiſtentem in peccato mortali, celebrare praviâ contritione, dum deeſt copia Confeſſarii; ergo ſupponit juſtificatum per contritionem.

Reſp. Negando conſequentiam: ſed per hoc ſolùm declarat, quod ejuſmodi peccator excuſetur à novo peccato, dum celebrat: quamquam & dici poſſet, quod per S.Communionem junctam cum contritione, tunc juſtificetur, & Eucharistia tunc per accidens conferat primam gratiam.

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S.T.P. in Tungerloo, die 2. & 3. Septembris 1676. Theſi 11.

Licet enim vere aſſeratur à quibuſdam auctoribus, qui eam, quam defendimus, ſententiam ſuſtinuere, nimirum præceptum illud Apoſtolicum; SIVE MANDVCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIVD QVID FACITIS, OMNIA AD GLORIAM DEI FACITE, eſſe naturale, ab Apoſtolo renovatum, nec ſine charitate impleri poſſe, ID EST, SINE AMORE DEI SVPER OMNIA; non tamen inde vel apparenter poteſt elici, omnem actum eſſe peccaminoſum, qui non exerceetur ex charitate juſtificante.

Intelligimus, ideo non poſſe id elici, quia non quilibet amor Dei ſuper omnia, eſt juſtificans, ſed contritio requiritur perfectior, quam ex amore Dei ſuper omnia.

§. 5.

Aſſertiones affirmantium ad effectum Sacramenti pœnitentiæ requiri dolorem ex benevolo Dei amore ſuper omnia.

CHRISTIANUS LUPUS S. T. Doctor Lovanii, anno 1666. in *Diſſertat. dogmat.* cap. 17. pag. 83. ſic docet.

Attritio, ſeu imperfecta contritio, ut vera ſit, omninò debet eſſe germana, & quidem adſectu ſaltem ſuper omnia, Dei dilectio ..... addit de ipſa ſanctum Concilium, SI VOLUNTATEM PECCANDI EXCLUDAT: Hoc eſt, *ſi ejus, à quo introducta eſt, timoris excludat ſervilitatem. Excluſionem hanc ſancit eſſe de contritionis eſſentia. Porrò voluntatem, ſeu ſervilitatem iſtam excludi non poſſe, niſi per veram, adſectu ſaltem ſuper omnia, charitatem, etiam ſuprà demonſtratum eſt.*

Ibidem, pag. 84.

Eccleſia ſemper docuit, ſine Dei ſuper omnia charitate, neminem poſſe juſtificari, ideoque & ſemper docuit conceptam ex ſervili metu attritionem charitate, licet non perfectam, oportere tamen eſſe formatam. Quocirca quicumque aliud hodie in eccleſiâ forſitan cogitant, cogitant MARTINI LUTHERI de eccleſiâ verificare calumnias, & Sacro-ſanctam Synodum reddere mendacem.

Item cap. 7. pag. 33.

Dei ſuper omnia quoad effectum dilectio ineſſe debet, ac ſemper ineſt etiam imperfecta ex gehennarum, aut aliarum pœnarum ſervili metu conceptæ contritioni, quam tamen ſine Sacramento non juſtificare, eadem Synodus diſertè definit.

Denique in epiſtolâ Familiari, cap 3. ponit hunc titulum; *quod caſta Dei, affectu ſaltem ſuper omnia dilectio ſit Chriſtianæ contritionis Pars eſſentialis, & præcipua demonſtratur &c.* Hoc ergò agit toto illo capite, ut nulla ſit contritio Chriſtiana ſeu perfecta, ſeu imperfecta, quæ non includat illam ſuper omnia dilectionem.

LAMBERTUS LE DROU S. T. Profeſſor, nunc Doctor Lovanii 1. Maii 1670. Theſi 8.

Motus contritionis imperfectæ, quæ hodie attritio ſervilis, & formidoloſa nuncupatur, non ſufficit ad gratiam obtinendam in Sacramento pœnitentiæ, independenter ab ullâ dilectione Dei ſuper omnia.

Ibidem Theſi 6.

Spes, virtus Theologica, principaliter ſpectat beatitudinem. Poteſt ſeparari à Charitate, & in peccatoribus reperiri, etiamſi mortaliter delinquant; ac proinde fruſtrà nonnulli per ſolam ſpem ſibi, aliiſve pollicentur poſitivam excluſionem voluntatis peccandi, atque ita neceſſitatem dilectionis Dei ſuper omnia, ad conſequendam juſtitiam in Sacramento pœnitentiæ, ſufficienter eliſam exiſtimant.

Doctor idem Lovanii die 28. Martii 1670. Theſi 15.

Opus eſt inſuper, ut baptizandus diligat Deum ſuper omnia.

Idem Lovanii die 18. Aprilis 1673. Theſi 10.

Non ſufficit etiam ad obtinendam juſtitiam in Sacramento, motus liberi arbitrii in peccatum per attritionem merè ſervilem, ſed neceſſaria eſt aliqua contritio ex amore Dei ſuper omnia.

Idem Lovanii die 12. Auguſti 1673. Theſi 5.

Sanè verò contritionem Sacramentalem, adminiculo dilectionis Dei ſuper omnia, juvari neceſſe eſt.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 16. Maji 1675. Theſi 3.

Sacramenta ..... mortuorum licet non requirant in ſuſcipiente ſtatum gratiæ ſanctificantis, infructuosè tamen ſuſcipiuntur ab eo, qui omni charitate actuali Dei ſuper omnia privatus eſt.

Amorem prædominantem dicere malunt non rarò, quam amorem ſuper omnia. Quid illo nomine intelligant, obſcurum eſt, ſi non amorem ſuper omnia intelligant; cum admittant amore illo excludi debere voluntatem peccandi ad mentem Concilii Trid. Seſſ. 14. cap. 4.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii 18. Junii 1675. Theſi 2.

Etſi porro omnis complacentia Dei caſta ſufficiat, ut quis agat, ſicut oportet ad hoc ut actio ſit undequaque recta; non tamen ut juſtificationis gratia (adminiculo Sacramenti quantumvis accedente) illi, qui extra illam erat, conferatur: at opus ad hoc eſt amore Dei prædominante, ſeu certo ſenſu ſuper omnia: qui hoc ſolo ab eo diſcrepat, qui non eſt prædominans: quod non compatiatur actualem affectum erga mortale, uti hic.

FRANCISCVS VAN VIANEN S. T. D. Lovanii die 13. Septembris 1673. Theſi 1.

Quæ præcisè amoris perfectio requiratur, ut contritio PERFECTA SIT, juſtiſſimè occultum eſſe voluit, qui injuſtum velle non potuit. Hoc interim certum eſt, etiam cum Sacramento requiri ad juſtificationem ut voluntatem peccandi excludat: quod non fit, niſi ſit amor Dei prædominans; hoc eſt, talis, ut nulla cupiditas ſit æqualis, vel major, quam Charitas.

JOANNES LACMAN S. T. D. Lovanii, in ſuo actu pro laureâ Doctorali, die 4. Maji 1675. Theſi 1.

Ad ſalutarem attritionem non ſufficit qualiſcumque amor Dei propter ſe, ſed requiritur Dei amor prædominans.

LAVRENTIVS NEESEN S. T. P. Mechliniæ Anno 1677. in Theol. Moral. *de Sacramen* tract. 5. q. 2. dub. 2. pag. 386 387.

An ad contritionem requiratur amor Dei, & quidem ſuper omnia?

Reſp. affirmat. .... dices: Conc. Trid. Seſſ. 14 cap 4. ait, attritionem, quæ communiter concipitur vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pænarum metu, juſtificare peccatorem cum Sacramento pænitentiæ, cum tamen hæc non oriatur ex amore Dei ſuper omnia. *Reſp.*

Reſp. Negando aſſumptum nam ut hæc ſufficiat, requirit Concilium dicto loco, ut excludat voluntatem peccandi, quæ excludi non poteſt ſine amore Dei ſuper omnia.

AMATVS CORIACHE S. T. Vicarius Generalis Diœceſis Mechlinienſis, die 28. Aprilis, in Decreto, nomine Archiepiſcopi defuncti *Iacobi Boonen*, & ſuo, per diœceſin publicato, quod extat apud *Ægidium Gabrielis* in *Morali Chriſt. & diabol.* p. 2. *Moral. Chriſti*: §. 50. pag. 194. & ſequentibus, ſic definivit.

Vt verò populus Chriſtianus in re tanti momenti magis inſtruatur, vobis verbi Dei prædicatoribus injungimus, quatenus ſæpius occaſionem captetis tractandi de naturâ, motivis, & effectibus contritionis, ut & de amore Dei ſuper omnia, SINE QVO VERA CONTRITIO HABERI NON POTEST.

Docuit ergo populum, contritionem ex Dei amore ſuper omnia eſſe neceſſariam ad Sacramentum pœnitentiæ, cui ſine dubio neceſſaria eſt vera contritio. Quid etiam plus docuerit, exponetur §. 7.

§. 6.

Aſſertiones affirmantium, non eſſe definitum in Concilio Tridentino, aliquam contritionem imperfectam ſufficere ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, alterque faventium neceſſitate contritionis perfectæ in eodem Sacramento.

FRANCISCVS FARVACQVES S.T.D. Lovanii, die 31. Auguſti 1671. in ſuo *Paradoxo controverſo* §. 5. ſic diſſerit.

Fuit ea Tudetani ſententia, ut cum Sacramento requireret contritionem perfectam ..... quæritur, an hæc ſententia, correcto Tridentini decreto, ſit damnata? CONCLVSIO. CERTVM EST, emendato decreto, adverſus prædictorum Theologorum Doctrinam nihil definiri: decretum intelligit Seſſ. 14.

Mox §. 6 generaliùs de eâdem Doctrinâ ſic pronuntiat:

Sitne aliis locis Tridentini, extra decretum correctum, damnata prædicta Doctrina? CONCLVSIO. Nobis valdè veriſimile eſt, Patres Tridentinos adverſus hanc Doctrinam nihil definiviſſe.

Indubitantiùs Doctor idem Lovanii menſe Aprili 1677. Theſi 32.

Contritionem perfectam cum Sacramento pœnitentiæ requiri, non exiſtimamus. At numquid à Tridentino id definitum? NEQVAQVAM.

LAMBERTVS LE DROV S. T. Doctor Lovanii die 10. Septembris 1674. Theſi 12.

In Sacramento pœnitentiæ non requiritur contritio perfecta, & reconcilians, priuſquam abſolutio impendatur: Hoc tamen evincere non poteris ex Concilio Tridentino; Imò TRIDENTINVM NOLVISSE HOC DEFINIRE, CERTVM EST......... ex eâdem

eâdem Hiſtoriâ conſtat pariter, nil eſſe definitum in Tridentino pro ſufficientiâ attritionis ſervilis ad obtinendam gratiam reconciliationis in Sacramento Pœnitentiæ. Sed neque hæc attritio ſufficit, AVT ALIA QVÆVIS ABSQVE DILECTIONE DEI SVPER OMNIA.

Doctor idem Lovanii, die 12. Auguſti 1675. Aſſertionem poſuit glorioſam Theſi 5.

Citrà invidiam dicere poſſumus, exarmatos eſſe adverſarios; quantum ad vim ſtabiliendi ex Tridentino ſufficientiam attritionis pure ſervilis in Sacramento pœnitentiæ: cum ex Tridentino ne quidem conſtet ſufficere initialem; & iſtius Synodi P. P. indeciſum eſſe voluerint, an Sacramentum conſtitui poſſit per attritionem cum imperfecto Dei amore, independenter a contritione animi perfectâ.

Idem Lovanii die 9. Junii 1676. Theſi 17. & 18.

Ex quo inferimus abſolutionem Sacerdotalem futuram actum medicinalem, & functionem remittendi peccata, Deoque reconciliandi imò verò formam Sacramenti mortuorum, tametſi contritionem perfectam ex CHRISTI inſtitutione praexigeret. Aliud ergo tibi depromendum, ut conficias definitum eſſe à Tridentino, quod imperfecta contritio ad obtinendam in Sacramento juſtitiam ſatis momenti habere poſſit. Cujuſmodi nihil reperio Seſſ. 14. cap. 4. vel alibi.

His conſentanea idem Doctor Lovanii dedit alia non pauca.

FLORENTIVS DE COCQ S. T. Profeſſor Antverpiæ die 14. Julii 1676. Theſi 2.

Perfecta (contritio) *hominem Deo conciliat, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiat. Hanc ad juſtificationem in hoc Sacramento obtinendam ut planè neceſſariam ſtatuerunt plurimi; ſed perperam: contrarium tamen in Conc. Tridentino definitum eſſe, non evinces.*

MACARIVS HAVERMANS S. T. Profeſſor Antverpiæ anno 1675. præcipuam oſtendit pietatem erga obſoletam quorundam Doctrinam de neceſſitate contritionis perfectæ in Sacramento pœnitentiæ. Etenim in ſuâ *diſquiſitione Theologicâ* de contritione §. 7. pag. 29. ſic incipit.

Sententiam hanc in Concilio Trid. teſte Cardinale Pallavicino tenuit & defendit Ioannes Æmilianus .... Cui opinioni variis in locis videtur ſubſcribere Angelicus Doctor, quæ loca hic ſubjiciemus.

Poſtquam ſubjeciſſet loca *D. Thomæ*, quæ idonea videbantur, ſic inſultare audet Thomiſtis pag. 31.

Ruminent hæc præceptoris ſui loca illi Thomiſtæ, qui tenent attritionem ex puro puto gehennæ metu ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento, & videbunt, quam longè diſcrepent ab Angelici Doctoris mente, quamque ſint degeneres in hoc puncto diſcipuli. Quod & magis patebit, ſi legant GERMANVM PHILALETHEN de contritione.

Poſt hæc etiam argumentationem adfert ſatis operoſam pro Doctrina illa quam *D. Thomæ* attribuit. Tum verò pag. 33. 34. ſuam de illâ ſententiam exponit his verbis.

Dico 1. ſententia hac, qua docet contritionem perfectam requiri ad juſtificationem, etiam cum Sacramento, ſine notâ gravis cenſura, adhuc poteſt defendi. Probatur: quia neque ex S. Scripturâ, neque ex Conciliis, neque ex SS. Patribus oſtendi poteſt ejus ſententia falſitas, & ab alterâ parte defenditur adhuc à Catholicis Doctoribus, qui illam rationibus probabilibus ſtabiliunt.

Poſt hæc allatis in medium iis locis Concilii Tridentini, quibus probari ſolet contraria & communiſſima Doctrina, ſententiam Auctorum Catechiſmi Romani non diſſimulat, ſic ſcribens pag. 34. 35.

Loca hac & ſimilia moverunt Auctores Catechiſmi Romani, ut dicerent, de fide eſſe contritionem perfectam non requiri cum Sacramento pœnitentia ad juſtificationem.

Tandem verò his omnibus ſic ſe expedit pag. 35.

Verum totum agmen ex Tridentino productum uno veluti balitu difflat fideliſſima hiſtoria Concilii Tridentini .... deinde quod in citatis verbis ex Trid. Concilio non ſit condemnata illa ſententia, CLARISSIMA RATIONE OSTENDI POTEST &c.

Denique ſententiam ſuam ſic aperire pergit pag. 39.

Dico 2. licet huic ſententia non deſit ſua probabilitas, tamen probabilius & verius judico, non requiri contritionem perfectam, qua juſtificet, priuſquam Sacramentum hoc actu ſuſcipiatur, cum Sacramento.

Ex his ſtatuat ſapiens lector, quam non parvis paſſibus tendat omnis illa ſuperioribus § 5. expoſita Doctrina ad neceſſitatem contritionis perfectæ in Sacramento pœnitentiæ, Sed ultrà progreſſos videamus.

§. 7.

Aſſertiones affirmantium, ad Sacramentum pœnitentia neceſſariam eſſe contritionem perfectam, & per ſe juſtificantem.

ÆGIDIVS GABRIELIS S. T. Profeſſor Bruxellis in ſuâ *morali Chriſtianâ & diabolicâ* p. 2. *mor. Chriſt.* §. 38. pag. 126. ſic ſtatuit.

Itaque juxta S. Gregorium prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærentem, ut ſacerdos pœnitentem abſolvat, requiritur 1. ut videat, qua culpa præceſſit: deinde qua ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: tum ut abſolvat illum, quem videt gratiâ Dei compunctum: niſi enim per opera pœnitentia ſacerdoti conſtet de interiori contritione pœnitentis, quam in ipſo operatur Deus, & per quam externis operibus indicat, eum ſe recipere in gratiam, non erit vera abſolutio Sacerdotis præſidentis,

Conſideret hæc Lector: antè abſolutionem conſtare debet de illâ contritione interiori pœnitentis, per quam Deus indicat eum ſe recipere in gratiam.

Huic Doctrinæ perquam conſentaneum eſt, quod docet Auctor, nullam eſſe veram virtutem, niſi per caritatem perfectam. Sic diſſerit ibidem §. 70. pag. 243.

Omnis

Omnis vera virtus eſt ſupernaturalis, cùm per veram virtutem homo propter ſolum Deum operetur: operatur autem propter ſolum Deum ex puro amore Dei, qui eſt amor Charitatis, attollens hominem ſupra ſe ipſum (quod naturaliter fieri nequit) & ſoli Deo uniens, id eſt, unum ſpiritum cùm Deo faciens.

Hæc ſanè eſt idonea deſcriptio charitatis perfectæ: *amor charitatis attollens hominem ſuprà ſe ipſum, ſoli Deo uniens, unum Spiritum cum Deo faciens:* hic amor eſt neceſſarius, ut ſit vera virtus; adeòque ut ſit contritio ſufficiens Sacramento.

Denique oſtendit hic Profeſſor, idem ſibi eſſe *contritionem veram & contritionem juſtificantem:* quia ibidem §. 39. pag. 136. cur differenda ſit abſolutio, donec impleta ſit ſatisfactio, explicat his verbis:

Quamvis tales ſtatim à peccato commiſſo, vel ſaltem cùm confitentur, eſſent verè contriti, & apud Deum juſtificati, nos, qui de externis tantum judicamus, eos de lege ordinariâ .... abſolvere non poſſumus, niſi poſt condignam pœnitentiam.

Et ſanè hic Profeſſor, cum ibi fusè tractet de Sacramento pœnitentiæ, nuſquam verbo indicat, aliquam attritionem ſufficere ad illud Sacramentum.

ANONYMUS (ſed celebris nominis in Belgio) Auctor libri, cui titulus, *Canones pœnitentiales &c. quibus præmittitur compendioſa deductio* Gandavi anno 1672. Doctrinam eandem ſuæ *compendioſæ deductioni* miſcuit pag. 79. his verbis.

Eccleſia, ut piiſſima mater .... novis artificiis ad interiorem cordis contritionem (partem Sacramenti pœnitentiæ ad peccatorum remiſſionem obtinendam, ut deeſſent cætera efficacem & neceſſariam) excitavit.

Ecce contritio ſic eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, ut ſi cæteræ deſint, ſit *efficax* ad remiſſionem peccatorum obtinendam: eadem verò pars hic dicitur neceſſaria eſſe.

AMATUS CORIACHE S. T. L. & Vicarius generalis Archidiœceſis Mechlinienſis in decreto Archiepiſcopali, quod nomine defuncti Archiepiſcopi & ſuo publicavit 28. Aprilis 1667. ut extat in *Morali Chriſtianâ diabolicâ ÆGIDII GABRIELIS* p. 2. *Mor. Chriſt.* §. 50. pag. 194. primùm quidem populum docet, contritionem ex Dei amore ſuper omnia per ſe juſtificare, idque his verbis pag. 196.

Si enim populus ille rudis ſub veteri Lege, qui acceperat tantùm ſpiritum ſervitutis in timore, in tantâ gratiæ penuriâ, non poterat juſtificari, niſi per veram & perfectam contritionem, neque ſalvari NISI PER DILECTIONEM DEI SUPER OMNIA; meritiſſimè nos filii Novi Teſtamenti &c.

Mox verò declarat ibidem, nullam eſſe veram contritionem ſine amore Dei ſuper omnia ſic loquens:

Vobis verbi Dei prædicatoribus injungimus, quatenùs ſæpius occaſionem captetis tractandi de natura, motivis, & effectibus contritionis, ut & de amore Dei ſuper omnia

SINE QVO VERA CONTRITIO HABERI NON POTEST) ut duobus hiſce neceſſariis mediis inſtructus. quâvis occaſione, & quovis tempore, auxiliante Domino remiſſionem peccatorum, & ſalutem animarum ſuarum conſequi poſſit.

Liquet ergò, quam contritionem eſſe neceſſariam Sacramento pœnitentiæ docuerit hic Vicarius Generalis.

Atque his quidem ſubſcribere tenentur, quos ſuprà p. 2. c. 3. §. 3. audivimus docentes obligari nos ad continuam, ſimulque perfectam charitatem.

§. 8.

Aſſertiones affirmantium, contritionem perfectam aliquando non juſtificare, & contritionem imperfectam aliquando juſtificare.

LAVRENTIVS NEESENS. T. Profeſſor Mechliniæ An. 1675. in ſuâ *Theologia morali de actib. human.* tract. 19. dub. 3. pag. 613. & 615.

Dico 1 diſpoſitionem remotam non neceſſariò ſequitur juſtificatio: in quo omnes Catholici conveniunt: loquendo verò de proxima, quamvis diverſi aliter ſentiant: dicimus tamen, juſtificationem non neceſſariò illam conſequi .... Dices; hac ſententia, per contritionem, etiam charitate perfectam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, & martyrij, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti, eſt inter articulos BAII num. 68. damnata à Pio V. Reſp. hanc propoſitionem prohibitam nihil contra nos facere, neque enim nos aſſerimus, contritionem charitate perfectam numquam juſtificare extra caſum neceſſitatis & martyrii, quod Pontifex damnat: ſed hoc ſolum dicimus; contritionem, etiam charitate perfectam, NEQVE ORDINARIE, NEQVE SEMPER REMITTERE PECCATA ANTE SACRAMENTI SVSCEPTIONEM, SED ALIQVANDO.

CHRISTIANVS LVPVS S. T. D. Lovanii Anno 1666. in *Diſſertat. Dogmat.* cap. 8. pag. 38. 39.

Prima quæſtio eſt, an imperfecta contritio nunquam ante ſuſceptum actualiter Sacramentum conferat remiſſionem peccatorum? Reſpondeo affirmativè .... Antiqui ergo ante Domini in carne adventum homines erant in ſtatu illo, in quo pœnitentes quoſdam poſuit in libro de Pudicitia lapſus ad Montanum TERTVLLIANVS: & nos pœnitentiam deberi agnoſcimus, ſed veniam Deo reſervamus Debebant de peccatis per Charitatem & varia ſatisfactionis opera conteri, at nullus erat in terris Sacerdos, nullum Sacramentum, aut ſacrificium quod eis daret veniam, quam ſibi ſoli Deus reſervabat. Perfecta per ſtatam legem, imperfecta contritio eos per arbitrariam, cujus conſilia nemo hominum penetrat, divinæ bonitatis gratiam juſtificabat, uti factum exiſtimo in Rege DAVID homicidâ & adultero, quem in Charitate perfectum non fuiſſe plures exiſtimant, nec ſine fundamento: & peccati tranſlatio, & tranſlationis facta revelatio fuerunt illi Dei beneficium ſingulare.

Quæſtionem ſecundam inſtituit, reſpondetque his verbis ibidem p. 39. 40.

Quæſtio

Quæſtio ſecunda eſt, an aliqui etiam in novo Teſtamento fuerint per ſolam ſine actuali Sacramento contritionem imperfectam juſtificati? RESPONDEO AFFIRMATIVE: quidam id probant ex muliere Samaritanâ, ZACCHEO, MARIA MAGDALENA, bono Latrone, & alii id genus, quos Dominus omnino videtur ſine Sacramento juſtificaſſe. Res tamen incerta eſt .... quocirca quærendum eſt, an poſt inſtitutum iſtum ordinem, fixoſque nobis novorum Sacramentorum divinos canones, aliqui unquam fuerint juſtificati per ſolam ſine Sacramento actuali imperfectam contritionem? ET RESPONDEO AFFIRMATIVE.

Etiam quæſtionem tertiam inſtituit pag. 40.

An in mortis articulo pius Dominus Deus per ſpecialem quandoque miſericordiam ſuppleat neceſſariam cauſalitatem ſine culpâ noſtrâ deficientis Sacramenti, noſque juſtificet ex ſolâ imperfectâ contritione.

Affirmativam verò ſententiam tuetur operosè: pag. 44. ſic diſſerit.

Euangelica lex, quæ contritionem & baptiſmum ſancit eſſe duas humanæ ſalutis neceſſarias concauſas, per ſolum ſine propria contritione baptiſmum dignatur ſalvare parvulos, & hanc exceptionem ſtatuit in aliam Legem. Hinc ſimilem etiam miſerationem impendi imperfectè contritis & Sacramenti copiam non habentibus, moribundis adultis, ſolidè AVGVSTINVS concludit.

Ibidem inſtituit quæſtionem poſtremam: an iſtud deficientis Sacramenti ſupplementum Divina miſeratio per ſtatam atque infallibilem legem faciat omni contritioni imperfectæ, cunctiſque Catechumenis ac pœnitentibus, licet tantum imperfectè contritis?

Reſpondet verò pag. 46.

Videtur incerta eſſe hæc res, neque profundè nimis inquirenda .... quidquid ſit, pium hunc de divinâ in nos peccatores clementiâ ſenſum paſſim omnes hodie tenemus.

LAMBERTVS LE DROV S. T. D. Lovanii 10. Septembris 1674. ſic paucis definit Theſi 6.

Charitas imperfecta conjuncta voto Sacramenti juſtificat in neceſſitate; non extra.

Idem Lovanii die 23. Septemb. 1673. de Parocho loquens ſibi male conſcio, cui deeſt copia confeſſoris, aſſertionem hanc poſuit Theſi 3.

Quo caſu debet quidem converti ad Deum per contritionem & amorem Dei ſuper omnia, ſed non opus eſt, ut certo habeat contritionem perfectam ac infallibiliter juſtificantem: ſi fortè ſolum conteratur imperfectè, ex amore tamen Dei ſuper omnia, & non merè ex timore pœnarum inferni (talis namque contritio ne quidem ſufficit ad reconciliationem cum Sacramento Pœnitentiæ) veriſimilius eſt, eum juſtificatum iri in communione, non antè, niſi fortè contingat, illum eripi ex hâc vitâ, priuſquam perveniat ad communionem: tunc enim imperfectam illam contritionem ei ſufficere exiſtimamus, ut remiſſionem ſui peccati conſequatur abſque ullo Sacramento.

Doctor idem Lovanii die 12. Auguſti 1675. Theſi 6

Contritionem perfectam, & ante ſuſceptionem Sacramenti juſtificantem agnoſcimus. Vim eamdem peccata ſcilicet abolendi extra Sacramentum, contritioni imperfectæ ex amore Dei ſuper omnia concepta cum S. BERNARDO quandoque adjudicamus: nimirum in articulo mortis; ſi deſit copia Sacramenti.

Iterumque Lovanii die 9. Junii 1676. Theſi 22.

Contritioni imperfectæ initiali, dummodo ex amore Dei ſuper omnia comparata, vim reconciliandi extremè laborantem abſque Sacramento (ſi copia deſit) libens impertio.

IOANNES LACMAN S.T.D. Lovanii in actu pro laurea Doctorali die 4. Maji 1675. Aſſertionem dedit rariorem, quæ huc ſpectare poteſt. Sic poſuit Theſi 1.

Fortè etiam aliquis amor ſufficit, ut juſtificet ſine Sacramento hominem à peccatis mortalibus paucioribus & minoribus, qui non ſufficeret ad juſtificandum à pluribus & gravioribus.

FLORENTIVS DE COCQ S.T. Profeſſor Antverpiæ die 14. Julii 1676. Theſi 2.

Imperfecta (contritio) *ſe ſola hominem non juſtificat, niſi fortè in mortis articulo.*

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1677. in Theol. Moral. *de Sacramentis* tract. 5. q. 2. dub. 5. pag. 398.

Petes, an contritio imperfecta ſe ſolâ extra ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ quandoque juſtificet? Reſp. affirmativè; & quidem quod id præſtet in mortis articulo, communis eſt Eccleſiæ ſenſus, Deo per miſericordiam ſuam ſupplente defectum Sacramenti.

Ibidem ſic interrogat & reſpondet idem Profeſſor pag. 399.

Petes, an extra mortis articulum contritio imperfecta nonnumquam juſtificet? Reſp. affirmativè; ſic enim in Veteri Lege DAVID cum imperfectâ contritione putatur fuiſſe juſtificatus: Item MARIA MAGDALENA, Latro in Cruce, CORNELIVS Centurio, & alii, Deo hoc illis privilegium largiente, qui non alligatur Sacramentis.

ÆGIDIVS GABRIELIS S.T.P. Bruxellis anno 1675. in ſua *Morali Chriſtianâ & diabolicâ p. 2. Mor. Chriſt. §. 40 pag. 144.*

Liquet, ſufficere ad ſalutem quandoque .... ſolam voluntatem efficacem converſionis, non exiſtente copiâ Sacramenti; ideoque hanc objectionem: QVID SI MORERER NON ABSOLVTVS? vanam & frivolam eſſe, dum fit à peccatore Contra Confeſſarium, qui vult juſtis de cauſis pœnitentiam impleri, antequam det abſolutionem: vel enim peccator efficaciter intendit converti, vel non: ſi efficaciter intendit converti, pœnitentiam implebit, & ſi moriatur ante abſolutionem, ſolâ voluntate efficaci converſionis ſalvabitur: ſi non intendit, abſolutio ipſi oberit, quia ad illam non eſt diſpoſitus.

Non excutiam vim hujus dilemmatis. Intereà patet, quid ſentiat hic Profeſſor de Attritione juſtificante ſine Sacramento.

§. 9.

Aſſertiones deſcribentium nobis contritionem perfectam ab uſu humano remotiſſimam ac difficillimam.

QUoniam his noſtris Theologis non quælibet contritio ex Dei amore ſuper omnia eſt contritio perfecta, diu laborarunt, ut diſcrimen aſſignarent inter contritionem perfectam & imperfectam. Tandem verò dux affulſit illa quam ſubjicio.

CHRISTIANUS LUPUS S.T. Doctor Lovanii 1666. in *diſſertatione dogmaticâ* cap. 7. pag. 36. Charitatem perfectam ſic deſcribit:

Quocirca Charitas, quæ etiam ſine actuali Sacramento hominem Catechumenum aut pœnitentem infallibili lege donet remiſſione peccatorum, eaſque vires etiam contritioni communicet, eſt ſola Charitas perfecta. QUÆ VIVIT PATIENTER, DELECTABILITER MORITUR, ET OMNEM RERUM CREATARUM ADFIXUM AMOREM IN NOBIS EXTINGUIT. Hanc enim ſolam patenter laudat Sacro-ſancta Tridentina Synodus, ajens, contritionem aliquando eſſe Charitate non ſolum adultam, aut robuſtam, ſed etiam perfectam, ideoque tunc hominem Deo, etiam ante ſuſceptum Sacramentum reconciliare.

Perfectionem illam Caritatis magis explicat cap. 5. pag. 25 26. his verbis.

Adfixivus ergo amor eſt ille, quo Poſſeſſis ſeu ſperatis temporalibus rebus, contra Regii Prophetæ mandatum, cor apponimus .... iſtiuſmodi amores omnes perfectæ Charitati repugnare, & ab ipſâ, ut perfecta ſit, debere abſumi, non ſolus AUGUSTINUS docet, aut Apoſtolus PAULUS, ſed res ipſa clamat. Ea namque Charitas debet delectabiliter mori, ideoque non ſolum aurum, argentum, uxorem, filios, poſſeſſiones, ſed & propriam vitam cum gaudio & deſiderio deponere; quod fieri non poſſit, niſi extinctus ſit omnis amor adfixivus.

Notandum eſt, quod audivimus pronuntiantem hunc Doctorem cap. 7. pag. 36 *Hanc ſolam patenter laudat Sacro ſancta Trid Synodus, ajens, contritionem aliquando eſſe Charitate non ſolum adultam, aut robuſtam ſed etiam perfectam.* Cenſet ergò contritionem juſtificantem oportere perfectiorem eſſe, quam eam, quę eſt ex Caritate robuſta: atqui robuſtam Caritatem ſic deſcribit cap. 5. pag. 23.

Eam, quæ ſolas mundi ſuaves libidines, adultam, quæ inſuper tormentorum quorumvis, atque ipſius etiam mortis terrores, & violentias ſuperare poſſit, ait (Auguſtinus) *eſſe Charitatem robuſtam.*

Hæc ergò non ſufficiunt huic Doctori, ut Caritas perfecta ſit, & contritio juſtificans. Cœperunt verò hæc placere aliis quibuſdam.

JOANNES RECHT S.T. Doctor Lovanii 24. Maji 1675. Theſi 2.

Quænam illa ſit Charitas hominem juſtificans non incongruè quæritur: nos perfectam

ſtam Charitatem (qua ſcilicet vivit patienter, delectabiliter moritur. & omnem rerum creatarum adfixivum amorem in homine extinguit) infallibili lege ſine actuali Sacramento ſeu Catechumenum, ſeu Pœnitentem juſtificare arbitramur; quamlibet tamen Dei affectu ſuper omnia dilectionem ejuſdem virtutis eſſe, *VEROSIMILE NON EST.*

LAVRENTIVS NEESEN S.T.P. Mechliniæ anno 1677. in Theol. Mor. *de Sacramentis* tract. 5 q 2. dub. 5. pag 356.

Alii verò, quibuſcum & nos ſentimus, illam ſolam contritionem appellant Charitate perfectam, qua oritur ex amore Dei perfecto; ille verò talis eſt, quem quis habens, ut ait S. AVGVSTINVS, patienter vivit, & delectabiliter moritur; ET QVO IN SE EXTINGVIT OMNEM AFFIXIVVM AFFECTVM CREATVRARVM.

Unde ibidem dub. 7. pag 408. ſic pronuntiat.

Dico 2. contritio non tantum debet eſſe dolor de peccatis appretiativè ſummus, SED ET INTENSIVE.

Hæc ad manum erant, quibus hi noſtri perfectam Charitatem ab imperfectâ cœperunt diſtinguere; de quo alioqui diſcrimine plerique malunt tacere, quia ipſis eſt aſſignatu difficile, poſtquam communiſſimam Charitatis perfectæ notionem deſeruerunt.

CAPUT V.

Specimen Doctrinæ Theologicæ in materiâ Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrandi & utendi.

IN hâc materiâ (hi noſtri Theologi, quorum doctrinam exponimus, plus ſtrepuerunt, quam docuerunt, aut ſcripſerunt: plus cenſurarum dederunt voce & ſcripto adverſus communem doctrinam, quam doctrinæ propriæ. Diu optarunt cordati viri aliquid ab ipſis prodire, quo ſenſum proprium & aperirent & ſtabilirent; quando perfacile eſt faſtidire aliena; difficile propria afferre, quæ placere debeant.

Tandem verò anno 1674. *GVMMARVS HVYGHENS* S.T. Doctor novus librum edidit; cui titulus; *Methodus remittendi & retinendi peccata.* Tanto plauſu, & gratulatione Academicorum Lovanienſium, cum Lovanii tum in Belgio toto, acceptus eſt liber, ita ſumpſêre tuendum in actibus Scholaſticis, ſacris Concionibus, aliiſque conventibus publicis & privatis, ut non ſit obſcurum, communibus ſuffragiis approbatum eſſe, ſi non & opera plurium elaboratum. Quæ ergò ex libro iſto proferentur hoc loco, non ſunt accipienda ut unius Doctoris privata ſenſa, ſed ut communiſſimæ horum Theologorum ſententiæ.

Quod quidem recuſare non poteſt *FRANCISCVS VAN VIANEN* S. T. D. poſt-

poſtquam Lovanii die 13. Januarii 1676. *Pro Methodo GUMMARI HUYGHENS* hæc poſuit Theſi 3.

In ſolem ſane obloqui deprehenduntur, qui obſtrepunt doctrinæ S.CAROLI, quam ut brevitatis causâ hic propugnemus, METHODUM REMITTENDI ET RETINENDI PECCATA ex inſtructione Paſtorali deductam, habemus velut expreſſam.

Methodum illam *remittendi & retinendi peccata* ſubſecuta eſt anno proximè ſequenti, hoc eſt, 1675. *Moralis Chriſtiana, & moralis diabolica*: Liber ÆGIDII GABRIELIS S.T. Profeſſoris magni nominis inter Lovanienſes Alumnos.

Bonâ libri parte, quæ dederat *Gummarus* Doctor de probandâ pœnitentiâ rebus ipſis ante abſolutionem, evexit etiam fidentius.

Secutus verò eſt veſtigia quædam Auctoris Anonymi; qui anno 1672. Gandavi librum edidit, cui titulus: *Canones Pœnitentiales &c. Quibus præmittitur compendioſa deductio in cognitionem originis, vigoris, & declinationis Canonum*: brevitatis causâ, *compendioſam deductionem* vocabimus.

Præter hos alii prodierunt minoris notæ libelli vario idiomate Latino, Gallico, Flandrico, incertis ferè auctoribus, ſed eodem perfuſi odore, manibuſque vulgi tritiſſimi. Non vacabit ſingulos adire: præcipua eſt auctoritas *Methodi remittendi & retinendi peccata*: *Moralis Chriſtiana & diabolica*: *compendioſæ deductionis.*

§. I.

Aſſertiones Affirmantium non licère Sacerdoti abſolvere peccatorem, niſi moraliter certò conſtet de ejus converſione internâ, ſeu diſpoſitione ſufficienti ad abſolutionem.

HÆc eſt notabilis doctrina: quia vix, aut ne vix quidem contingit, ut poſſit moraliter certò conſtare de illâ diſpoſitione: alioqui enim ſequeretur, eum, qui modò erat in ſtatu peccati mortalis, fieri moraliter certum de ſuâ juſtificatione: nam de poteſtate Sacerdotis, & intentione abſolvendi ordinariè conſtat, moraliter certò. Illam autem certitudinem propriæ juſtitiæ citra revelationem Divinam vix audent Theologi adſcribere viris etiam ſanctiſſimis, territi variis locis Scripturæ Sacræ, SS. Patrum, & Concilii Tridentini parum faventibus illi doctrinæ. Aſſertiones videamus.

GUMMARUS HUYGHENS S.T.D. Lovanii anno 1674. in ſua *Methodo remittendi & retinendi peccata* primum quidem verbis non ſatis claris Aſſertionem dedit Hypotheſi 4. pag. 2.

Illum, de cujus ſincero dolore, vel propoſito MERITO DUBITATUR, *abſolvere citra neceſſitatem nequaquam licet ...... ſecus dicendum, dum juſta neceſſitas (qualis dubio procul eſt extrema) aliud cogit.*

Hæc Hypotheſis eſt baſis totius *Methodi remittendi & retinendi peccata*, in qua cum dicit hic Doctor abſolvere non licere *illum*, *de cujus ſincero dolore vel propoſito MERITO DUBITATUR*, non intelligit *dubitationem*, ut vulgò ſuſpenſionem judicii ob defectum rationis in alterutram partem præponderantis; ſed intelligit prudentem formidinem; ita ut ſenſus ſit, abſolvere non licere illum de cujus dolore meritò formidatur: conſtat hoc ex multis.

Quia in eodem libro tract.2.q.7.object.5.pag.197. ſic objicit ſibi.

Si non liceat extrà neceſſitatem abſolvere pœnitentem, de cujus diſpoſitione dubitatur, numquam licebit eum abſolvere, quia ſemper manebit tale dubium, cùm diſpoſitio ſit in animo pœnitentis.

Reſpondet verò his verbis ibidem.

Suffragabor facilè; hinc confici, quod adipiſci nequeamus certitudinem omnimodam; immò nec eam, quam Phyſicam vocant, cujuſmodi parari poteſt ex g. de Materiâ baptiſmi, Eucharistia, aut aliâ ſenſibili: aſt quàm optimè cum eo componitur CERTITUDO MORALIS.

Hanc certitudinem Moralem de diſpoſitione pœnitentis requirit iridem in eâdem *Methodo* tract.3.q.4.dub.2.pag.294. Sic interrogat, reſpondetque.

Quandonam adeſt juſta ratio dubitandi de pœnitentis diſpoſitione, ut propterea à Confeſſario ſit examinandus? ..... Reſpondeo, tum examine opus eſſe, ubi neque confeſſio, neque confeſſionis modus, nec alia quæ prudens confeſſarius in ſuo pœnitente obſervat, addo, nec pœnitentis notitia aliundè comparata, præſtant confeſſario MORALEM ILLAM CERTITUDINEM (de qua in Hypotheſi tertia, quarta & quinta) quòd pœnitens ad Sacramentum cum effectu ſuſcipiendum ſit ſufficienter diſpoſitus.

Inculcat his conſentanea in *Apologiâ pro Methodo*, quam edidit eodem anno 1674. ibi enim §.9.pag.62. cùm rurſus propoſuiſſet ſuam illam Hypotheſim 4. cujus verba deſcripſimus, hæc ſubjungit.

Neque tamen volui hæc intelligi de quocumque dubio, ſed de dubitatione ejuſmodi, qualem vir prudens, ubi de alterius conſcientiâ agitur, in re iſtâ conſiderare debet. Non eſt proinde, quod quiſquam mihi objiciat, nos de noſtrâ ipſorum converſione numquam habere certitudinem omnimodam, ac proinde minùs habere de alterius: nam lubens fateor, non opus eſſe certitudine illâ omnimodâ.

Certitudo infra *omnimodam*, nulla eſt præter Moralem: hanc planè requirit hic Doctor, ut abſolvere liceat.

Neque hanc doctrinam miretur Lector: quia Philoſophiam Lovanii nuper docuit hic Doctor. invaluit autem inter Philoſophos Lovanienſes doctrina, quâ cenſent, vel nullam prorſus dari poſſe opinionem in humano intellectu, vel ſaltem nullam opinionem eſſe prudentem; ſolùm agnoſcentes judicium prudens, quod ſit evidens, aut moraliter certum.

Philoſophis præivit IOANNES SINNICHIUS S.T. Doctor Lovanii anno 1662. in *Saüle Exrege* lib.1.cap.97. §.362.& ſequentibus, docens, omnem opinio-

opinionem quamvis probabilem eſſe peccatum: ſed de his infrà licebit dare pluſcula.

Credibile eſt ejuſmodi aliquid è Philophiâ ſuâ arripuiſſe S.T. Doctorem *GVMMARVM HVYGHENS*, quem docentem audivimus, neceſſariam eſſe moralem certitudinem, ut abſolvere liceat. Non erat cur de hoc dubitaret, ſi vel impoſſibilis ſit opinio, vel nulla ſit prudens.

ÆGIDIVS GABRIELIS S.T. Profeſſor Bruxellis die 26. Februarii 1676. pro ſuâ *Morali Chriſtianâ & Diabolicâ*, ſuperiori Doctrinæ congruentia dedit his verbis Theſi 2.

In diverſis pœnitentibus diverſa occurrunt. quæ ſi perſuadeant pœnitentem diſpoſitum, ita ut nihil conſideratione dignum ſit pro oppoſito, prudenter Confeſſarius acquieſcit, & eum debitè reputat diſpoſitum: & quamvis reflexo intellectu hæc omnia adhuc judicet poſſet deficere, id non obſtat MORALI CERTITVDINI, *QVAM IN HAC MATERIA, SECLVSA NECESSITATE, DESIDERAMVS.*

Rectè dicit, *non obſtare morali certitudini, quod reflexo intellectu judicet* Confeſſarius, *hæc omnia poſſe deficere.* Judicium illud ſola tollere poſt evidentia: morali certitudini ſatis eſt, nihil conſideratione dignum, & quod prudentem virum commovere debeat ad mutandum aliquod propoſitum, pro parte oppoſitâ apparere, ut itidem rectè adnotavit Profeſſor. Cenſet ergò veriſſimè dicta morali certitudine de diſpoſitione pœnitentis opus eſſe Confeſſario, ut eum à peccatis abſolvat.

Minimè omnium mirandum eſt, huic Profeſſori placuiſſe doctrinam iſtam, qui opinionum ſe oſorem præcipuum profeſſus ſit pridem: Unde die 7. Julii 1666. Antverpiæ ſic diſſerebat Theſi 11.

Mirum quod ullus hominum umquam erret, cum ſit unicuique tam manifeſta ſua libertas, quâ poteſt errores cavere, & non ſit ullus, qui velit errare? Profectò adeò mirum non eſt, cum ſint tam multi homines, qui multa judicare volunt, & pauca examinare: vel examinare velint, non faciunt ſicut oportet.

Ibidem Theſi 14. hæc leges.

Dicimus, nos poſſe habere duas claras, & diſtinctas notiones; unam ſubſtantiæ cogitantis increata, & alteram creatæ ..... & conformiter ad has duas notiones poterimus in diſcernendo cavere omnes errores.

Denique decretum habuit pridem hic Profeſſor tam certa figere veſtigia in judicando, ut Bruxellis die 26. Auguſti 1669. inter *Principia ignorantiæ humanæ* primo loco ponere non dubitaverit primum ſciendi principium vulgò exiſtimatum *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Huic Paradoxo conſentaneâ dederat anno 1665. Theſi 11.

LAVRENTIVS NEESEN S.T. Profeſſor Mechliniæ anno 1675. in Theol. Mor. *de actibus human.* tract. 4. Append. dub. 4. pag. 391. ſic paucis, nitideque abſolvit.

Confeſſarius ..... DEBET HABERE MORALEM CERTITVDINEM, quod non conferet abſolutionem indigno.

FLORENTIVS DE COCQ S.T.P. Antverpiæ die 14. Julii 1676. aſſertionem dedit reſtrictam ad peccatores conſuetudinarios Theſi 10.

Nobis placet hæc aliorum regula, quod extra neceſſitatem ejuſmodi pœnitentes (conſuetudinarios) *abſolvere non poſſit confeſſarius; NISI MORALITER SIBI CERTO CONSTET, eos ritè eſſe diſpoſitos, & abſolutione dignos.*

IOANNES ROVCOVRT S.T. Licentiatus Lovanienſis inter ſuos æſtimatiſſimus proluſit *Gummaro Huyghens* in eo libro, quem & Gallicè ſcriptum edidit Bruxellis anno 1673, itemque Flandricè Lovanii eodem Anno, appellavitque Gallicè: *Conduite à la penitence*: Flandricè; *Aenleydinghe tot de deught van penitentie*, hoc eſt *manuductionem ad pœnitentiam.* Loquens enim de iis, qui neglexerunt ea diſcere, quæ pertinent ad officium Chriſtiani hominis, ſic pronuntiat cap. 8. pag. 64. 65.

A cette raiſon on doit auſſi ſuſpendre l'abſolution à ces perſonnes, juſques à ce, que par leur ſoin & diligence on ſoit aſſuré, que leur principal but eſt de vivre en veritable Chreſtien. Hoc eſt.

Ob hanc rationem oportet ſuſpendere abſolutionem hiſce perſonis, donec ipſarum curâ & diligentiâ CERTI SIMVS, præcipuè ipſis propoſitum eſſe vivere ut verum Chriſtianum decet.

Mox de iis loquens, qui negligunt inſtructionem ſuorum domeſticorum, ſic fatur:

On leur doit auſſi refuſer l'abſolution, juſques à ce, QV'ON SOIT ASSVRE par leurs œuvres, qu'ils eſtiment, & preferent le ſalut de leurs domeſtiques à leurs utilitez temporelles. Hoc eſt:

Oportet illis quoque recuſare abſolutionem, donec CERTI SIMVS per ipſorum opera, quod æſtiment, & præferant ſalutem ſuorum domeſticorum utilitatibus ſuis temporalibus.

Habet alia his conſentanea. Hic quoque Licentiatus Philoſophiam Lovanii docuerat haud ita pridem.

§. 2.

Aſſertiones affirmantium, generaliter differendam eſſe abſolutionem peccatoribus conſuetudinariis extra mortis articulum, & caſus quoſdam rariſſimos, donec vitam notabili tempore emendaverint.

GVMMARVS HVYGHENS S. T. D. Lovanii anno 1674. in ſua *Methodo* aſſertionem operosè tuetur & in magno rigore, ad eos quoque illam exten-

extendens, qui confitentur ſua peccata cum lachrymis, ſingultibus, planctibus, parati ſubire omnia, quæ Confeſſarius impoſuerit.

Tract. 1. q. 4. dub. 4. pag. 73. de habente conſuetudinem alicujus peccati ſic docet:

Iam verò, quid ſi conſuetudini immerſus ſine praviâ vitæ mutatione, enarratis ex ordine peccatis, è veſtigio (ut in more poſitum quibuſdam) abſolvi deſideret? non eſt, quod abſolutionem Confeſſarius acceleret; etenim ut hoc pœnitentis deſiderio non obſtante, iſte coram Deo, & verè abſolveretur, neceſſè foret, ut eſſet converſus ſubitò; & tametſi nemo inficias ierit, quin hoc poſſit Deus; nemo tamen aſſerere auſit hoc ita poſt ejuſmodi vitæ genus fieri ſolitum.

Ibidem dub. 5. pag. 89. ſic interrogat, reſpondetque de eodem conſuetudinario.

Quid enim fides negetur illi, cum toto ſe corde dolere de præteritis, velle futura cavere, ad occaſiones vitandas paratum, imò ad media à Confeſſario ſuggerenda adverſus periculum relapſus accipienda promptum ſe affirmet, & exhibeat? nihilominus reſpondendum eſt, univerſa hæc non facere ſatis.

Hæc non ferens tam generaliter affirmata FRANCISCVS CAROLVS REYMAECKERS contra *Methodum* ſic ſcripſerat, in *Reſponſione brevi* num. 190.

„ Verum eſt, quod in toties relapſis majora pœnitentiæ indicia requiran-
„ tur, quàm in aliis: ſed illa haberi poſſunt abſque dilatione abſolutionis:
„ nam præter verba pœnitentis diſpoſitionem teſtantia, poſſunt adeſſe ſingul-
„ tus, vel lachrymæ (ad quæ Confeſſarius fervidis eloquiis juvare debet pœni-
„ tentes) item lubens acceptatio duræ vel medicinalis pœnitentiæ: item plan-
„ ctus propriæ miſeriæ, exprimens deſiderium liberationis à tyrannide, & ſer-
„ vitute iſtius malæ conſuetudinis, nec non anxia cura ad inveniendum reme-
„ dium.

His verò Doctor ille in *Apologiâ pro Methodo* ſæpius oſtendit ſe non flectendum: & quidem §. 8. pag. 52. alludens ad illum locum *Caroli Reymaeckers* gloriatur his verbis.

Poſſum autem è Patribus evidentiſſimè probare, quod, qui illorum judicio ſunt verè pœnitentes, toto cælo ab iis diſtent, quos tu pœnitentium loco habes, dum tibi ſufficit, ut poſt innumera ſcelera ad fervida Confeſſarii eloquia SINGVLTIANT.

Cum etiam Adverſarius idem objeciſſet, exemplo Filii prodigi, Publicani, Latronis in Evangelio nos doceri converſiones etiam pravâ conſuetudine laborantium non ſemper eſſe tam operoſas, ut tam generaliter iis differenda ſit abſolutio, reſpondet in *Apologia* §. 14. pag. 102.

Tales converſiones miracula potius, quam exempla eſſe diximus.

Unde in *Methodo* Tract. 1. q. 4. dub. 4. pag 73. duos caſus agnoſcit, quibus non ſit differenda abſolutio Conſuetudinariis, ſic docens.

Porrò hac de differendâ conſuetudinariorum abſolutione aſſerentes, inſolita, & extra

communem agendi ordinem poſita ſeponimus : neque enim imminente morte, aut datis omninò extraordinariis pœnitentiæ ſignis intelligenda volumus.

Caſum illum converſionis *inſolitum & extra communem ordinem poſitum, & planè extraordinarium*, mox pag. 80. vocat *prorſus inſuetum* : rurſus pag. 123. *prorſus inſolitum & INVSVRPATVM.* Unde ſine dubio ſimilem cenſet illis caſibus, quibus converſus eſt Publicanus, Latro, & ſimiles ut refert Evangelium, quos, ut audivimus, appellat *Miracula potius, quam exempla.*

Quare ad praxim ipſam dicere licet, quod ex mente hujus Doctoris ſemper differenda ſit abſolutio conſuetudinariis extra articulum mortis.

LAVRENTIVS NEESEN S. T. Profeſſor Mechliniæ anno 1675. huic doctrinæ ſubſcripſit in Theol. Mor. *de Actib. hum.* Tract. 14. Append. dub. 1. pag. 388. ſic docens :

Ad hujuſmodi autem propoſitum, ut dictum eſt, non ita ſtatim pervenitur ſed multò tardius eò aſſurgunt, qui licentioſæ, aut delicatulæ vitæ aſſueti, ab omni laborioſo, ac rigidiori vivendi modo plurimùm abhorrent ..... Hinc ordinariè in ſimilibus ad explorandum hujuſmodi propoſitum neceſſaria eſt abſolutionis dilatio ; ac per conſequens (SECLVSA NECESSITATE) NON DEBET STATIM IMPENDI.

MACARIVS HAVERMANS S. T. P. in ſuo *Tyrocinio* Tract. 1. cap. 7. §. 9. pag. 224.

Hoc autem confeſſariis maximè inculcandum eſt circa omnes conſuetudinarios, quod illos rarò poſſint ſtatim abſolvere, quando ipſis conſuetudo aliqua mortifera v. g. jurandi, blaſphemandi, ſe polluendi &c. Voluntariè ipſis adhuc ſic uſque ad tempus confeſſionis, niſi confeſſarius extraordinaria veræ converſionis ſigna in pœnitente deprehendat.

Ibidem pag. 226.

Ordinariè meritò ſuſpecta debet eſſe confeſſario illorum converſio ; cum repentina, ac ſubitanea MAGDALENÆ, & aliorum converſio non tam in exemplum, quam pro miraculo afferri debeat juxta S. BERNARDVM : adeoque confeſſarius ſimilibus ad Sacramentum pœnitedtiæ venientibus primò debet congrua præſcribere media, quibus malam illam conſuetudinem penitus extirpare poſſit pœnitens, & ad aliquod tempus abſolutionem differre, ut ejus conſtantiam in ſervato propoſito exploret.

Quod *S. Bernardo* tribuit hic Profeſſor, repentinam *MAGDALENÆ, & aliorum converſionem non tam in exemplum, quam pro miraculo afferri debere*, idem *Gummarus Huyghens methodi* tract. 1. q. 4. dub. 4. Argum. 2. pag. 80. *S. Bernardo* tribuit ut dictum de *Magdalenâ, Paralytico, bono latrone*, tribuere idem *S. Bernardo* videtur *Ægidius Gabriëlis* S.T.P in ſuâ *Morali Chriſtiana & diab.* p 2. *Moral. Chriſt.* §. 39. pag. 132. 133. Sed eſt illud tam alienum à mente verbis ipſis *S. Bernardi*, epiſt. 8. ad *Brunonem*, quam citant, quam quod eſſe poteſt alieniſſimum : non immorabimur ; ipſa epiſtola legatur.

ÆGIDIVS GABRIELIS S.T.P. de abſolutione neceſſariò differenda non ſolum conſuetudinariis, ſed omnibus peccatoribus, commodius audietur infra. §. 3. *Aſſer-*

§. 3.

Aſſertiones affirmantium, extra neceſſitatem, aut illa pœnitentiæ ſigna prorſus inuſitata, de quibus modò, numquam licere Sacerdoti abſolvere pœnitentem, niſi exuerit conſuetudinem peccandi.

GUMMARUS HUYGHENS S. T. Doctor Lovanii anno 1674. *in ſua methodo* tract. 1. q. 4 dub. 5. pag. 89. ſic diſſerit.

Finge caſum, quo centum, aut plus eo conſuetudinarios nullâ vitæ mutatione praviâ ob ſimilia dicta, proteſtationeſque in paſchate abſolveris; quot putas, numerabuntur, qui è tanto numero eam poſt abſolutionem, vitam inſtituant ut mores eorum te adducant, qui credas, & perſuaſum habeas, quod VETEREM CONSUETUDINEM EXVERINT, NOVAMQUE INDUERINT VOLUNTATEM abſolutam & firmam peccatu lathiferis, univerſis & æternùm renuntiandi?

Habes hic, lector, ſignum infallibile, unde conſtet, pœnitentes in paſchate non fuiſſe verè converſos. Si nimirum poſt paſcha animadverteris, eos non exuiſſe conſuetudinem peccandi. Imò verba, jam deſcripta, ſatis oſtendunt, tantundem eſſe huic Doctori, *novam voluntatem induiſſe, ac veterem conſuetudinem exuiſſe.*

His ea congruunt, quæ habet idem Doctor in *Apologia pro methodo §.* 10. pag. 68. 69.

Adhibenda eſt dilatio (abſolutionis) *ut pœnitens eâ durante, mediis à confeſſario tamquam medico ſpirituali præſcriptis, utatur, ut VITIA CONTRARIIS VIRTUTUM ACTIBUS INTEREA EXPELLAT, ut occaſiones externas reſcindat, ac PRAVIS SUIS INCLINATIONIBUS MEDEATUR.*

Hîc ſermo eſt ſine dubio de vitiis habitualibus expellendis: hæc verò ſunt conſuetudo, uti & inclinationes illæ, quibus dicit medendum antè abſolutionem.

Ex his liquidum fit, 1. quod affirmat in *methodo* tract. 1. q. 4. dub. 3. pag. 67. his verbis:

Confeſſiones & communiones, quæ durante conſuetudine recidendi paractæ fuerunt, (plerumque) tamquam ſacrilegia confiteri oportet.

Particula *plerumque* eò ſpectare putatur, ut excipiat caſum *prorſus inuſitatum* converſionis quaſi miraculoſæ, de quo illum audivimus, §. ſuperiori.

Liquidum fit 2. quod docet de ſponſo & ſponſâ non admittendis ad matrimonium jam paratis nuptiis. Celebris in Belgio facta eſt doctrina, & parochis multum creans negotii. Multis illam explicat in *methodo* tract. 1. q. 4. dub. 13. Deſcribamus quædam pag. 116. 117.

Ecquid

Ecquid interea faciendum, ſi paſtorum monitis nullus relinquitur locus, ſed ſponſi prava conſuetudine imbuti ipſo nuptiarum die nullâ vitæ mutatione praviâ confeſſuri paſtorem conveniunt? Si paſtor conſuetudinarios eſſe noverat, eorumque tarditatem non immeritò conjeciſſet, illorum ſaluti potius conſuluiſſet illos domi illorum monendo, increpando, & quô poterat modo, adducendo, ut, dum tempus ſupererat, muneri ſuo facerent ſatis: ſi tamen poſt hæc omnia difficilis ille caſus eveniat, quidquid obloquiorum, turbarum, aut incommodi conſequatur, juxta hypotheſes præmiſſas, 3. potiſſimùm & 4. agendum judico: nemo quoque, niſi imprudens, quæ hinc orientur incommoda, imputare poterit paſtori in hunc modum cauſam & Dei & ſuorum pœnitentium ritè agenti.

Cum hic dicit agendum *juxta hypotheſes præmiſſas* 3. *potiſſimum* & 4. dicit, differendam ipſi abſolutionem: hoc enim præcipitur illis hypotheſibus, idque jam invitatis ad nuptias amicis & propinquis &c.

Interea idem Doctor in ſuâ *Apologiâ* §. 10. pag. 64. conatur methodum ſuam eximere invidiâ doctrinæ de differenda abſolutione, donec exuta ſit mala conſuetudo; ſed ex dictis judicium ſit lectoris.

IOANNES ROVCOVRT S. T. Licentiatus Lovanienſis anno 1673. Bruxellis in ſua *manuductione ad pœnitentiam*, ut oſtendat, difficilem eſſe converſionem, quæ eſt neceſſaria Sacramento pœnitentiæ, utitur exemplo *S. Auguſtini* ſic loquens cap. 10. pag. 72.

S. AVGVSTIN à combattu bien long temps, devant que pouvoir ſurmonter ſe mauvaiſes habitudes, & parvenir à une veritable converſion. Hoc eſt.

S. AVGVSTINVS pugnavit longo tempore, priuſquam poſſet ſuperare ſuas habitudines malas, & pervenire ad veram converſionem.

Ibidem pag. 75.

S. AVGVSTIN en parlant du peché mortel, dit, qu'il ne ſe pardonne jamais, ſi non par des efforts extremes de l'humiliation de noſtre cœur, par la contrition de l'eſprit, & par l'amertume de la penitence: & en un autre endroit il demande contre l'habitude de pecher un effort bien violent de la penitence, afin de ſurmonter la mauvaiſe habitude par cette violence. Hoc eſt.

S. AVGVSTINVS loquens de peccato mortali, dicit, quod non condonetur umquam, niſi per vim extremam humiliationis cordis noſtri, per contritionem ſpiritus, & per amaritudinem pœnitentiæ: & alio loco poſtulat contra habitudinem peccandi vim bene violentam pœnitentiæ, ut per hanc violentiam SVPERETVR MALA HABITVDO.

Requiſivit ergo hic licentiatus ad veram converſionem, quâ eſt opus ad Sacramentum pœnitentiæ, ut *ſuperatæ ſint malæ habitudines.* Quid hoc ſibi velit, judicet ſapiens Lector.

§. 4.

Aſſertiones affirmantium, ſemper differendam eſſe abſolutionem, ſi probabilis ſit timor, ne pœnitens relabatur, & alioqui irritam fore abſolutionem.

GVMMARVS HVYGHENS S. T. Doctor priorem partem clarè tradidit in *Præfat. Apologet.* ad tract. 3. *methodi.* ubi, cum retuliſſet verba *Caroli Borromæi* ex *Inſtruct. paſtor.* p. 2. cap. 15. *Eſt præterea conſultum abſolutionem differre, donec aliqua appareat emendatio in iis, qui, tametſi dicant, ac polliceantur, quod ſe eximent peccato, tamen confeſſario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat.*

Ad hæc ſic adnotat in illa *Præfatione* pag 9.

Dum hic audis vocem CONSVLTVM, ne propterea æſtimes, S. CAROLVM ſignificatum voluiſſe, quod iſtud non ſit præcepti; ſed conſilii tantum: nam illico ſubnectit: IDEM FACIENDVM EST CVM IIS &c.

Fundat ſe etiam ibidem in verbo Italico, quo uſus eſt *S. Carolus. Si differiſca l'aſſolutione* ſeu *differatur abſolutio.* Magnam vim ponit in verbo imperativi modi. Conſequenter cenſebit, ad confeſſionem Sacramentalem non eſſe admittendas feminas, *quæ vanè ſunt veſtitæ, & ornatæ fictis, & criſpatis crinibus, ceruſſatâ facie, ferentes gemmas & ſimilem ornatum mundanum, neque etiam quæ pretioſas habent veſtes, textas auro, argento.* Legatur Inſtructio *S. Caroli*, qui quæ prudenter pro loco & tempore vel præcepit, vel commendavit, multis etiam cautionibus adhibitis, non putavit ſine dubio rapienda eſſe ad omnia tempora & loca nullâ cautione, aut diſcretione, tamquam neceſſaria ex lege divinâ, aut ipſius Sacramenti inſtitutione.

Anonymus Gandavi anno 1671. auctor libri Flandrici, Gallicique cui titulus. *Salighe waerſchouwinghe teghen verſcheyde misbruycken, in't Biechten ende Communiceren* ſeu *Advis ſalutaires contre plusieurs abus, qui ſe commettent en la confeſſion, & communion:* hoc eſt; *monita ſalutaria contra varios abuſus in confitendo & communicando.* Poſtquam ex Inſtructione *S. Caroli* recitaſſet etiam illa, quæ deſcripta ſunt in principio hujus §. niſi quod pro *conſultum eſt*, uſus ſit verbo imperativo. Tandem pag. 111. edit. Gallicæ, & pag. 75. edit. Flandricæ hæc notat.

Lors que S. CHARLE BORROMEE, & d'autres diſent, que le Confeſſeur ne peut pas donner l'abſolution; ou qu'il la doit differer, ils ne veulent pas ſeulement dire, qu'il ne luy eſt pas permy de la donner, comme s'il en auroit le pouvoir .... combien que pour certaines raiſons il ne convient point; qu'il le faſſe, dans les circumſtances preſentes; mais cela ſe doit auſſy entendre, qu'en tel cas il n'a pas le pouvoir d'abſoudre les pechez non plus que de battiſer un mort, ou de conſacrer une pierre. Hoc eſt.

Quando S.CAROLUS BORROMÆUS, *& alii dicunt, quod confeſſarius non poſſit abſolvere, quod abſolutionem debeat negare vel differre ; hoc non ſolum ſignificat, quod ipſi non permittatur abſolvere, quaſi ad hoc poteſtatem haberet, ... ſed debet ſic intelligi, quod revera poteſtatem non habeat ad remittenda peccata, non magis, quam ad baptiſandum mortuum, vel ad conſecrandum lapidem.*

Quam procul abſit ab hâc doctrinâ *GUMMARUS HUYGHENS* S.T.D. conſideret Lector ex iis, quæ dedit in Methodo Tract. 1. q. 4. dub. 3. pag. 67.

Confeſſiones & communiones, quæ durante conſuetudine recidendi peractæ fuerunt, plerumque tamquam ſacrilegia confiteri oportet, manetque præterea arcta obligatio denuo confitendi peccata mortalia, quæ quis male confeſſus fuit ; hoc eſt, præter confeſſiones & communes mortiferè ſacrilegas, illa quoque mortalia, quæ obtinente relabendi conſuetudine, confeſſus eſt, de integro confiteri oportet.

Quid ſibi velle videatur in his verbis particula *plerumque* explicatum eſt §. ſuperiori.

§. 5.

Aſſertiones affirmantium, non fuiſſe rite converſos, aut diſpoſitos peccatores, qui poſt abſolutionem relapſi ſunt, aut non obſervarunt ea, quæ ad remedium præſcripſit ſacerdos.

GUMMARUS HUYGHENS S.T.D. Lovanii in ſua *Methodo* tract. 1. q. 4. dub. 1. pag. 62. 63. ſic Philoſophatur ac definit :

Vera converſio verum includit odium peccatorum mortalium, quæ ante patrata ſunt, ac proinde firmum, & abſolutum, mortale poſt hæc numquam committendi, propoſitum : firmum quidem, ſeu nequaquam vacillans, quodque amplius ſit, quam velleitas : utpote quo mortalia non unâ dumtaxat occaſione, ſed omni prorſus, neque tempore præſcripto, ſed æternum vitandi propoſitum habeat. Si ad hoc propoſitum ventum fuerit, præſtabit illud unà, ut adhibeantur media, quibus ad iſtum finem prudens confeſſarius opus fore judicabit : efficiet proinde, ut occaſiones reſcindantur ; tritum quippe eſt, quiſquis candidè & efficaciter petit finem, neceſſaria, quibus illum conſequatur, media impendit : ex oppoſito igitur, qui poſt confeſſionem media, quæ prudens confeſſarius cenſet eſſe neceſſaria, non adhibuit, vel occaſionibus, quas judicarat fugiendas, ſe non ſubduxit, hic ſincerum, & efficax propoſitum non habuiſſe frequenter cenſendus eſt.

Idem eſto judicium, ſi confeſſarius nullam mediorum, occaſionumve mentionem fecerit : modò interim ſint ejuſmodi, quæ ſimilibus in circumſtantiis nota ejuſmodi perſonis eſſe debuerant.

Non eſt inſtituti noſtri diſputare : videt alioqui Eruditus Lector, quem campum præbeat iſta Philoſophandi ratio.

Unum animadverti placet. Videtur hic Doctor ad finem ſui ratiocinii delatus exhor-

exhorruiſſe amplam & legitimam conſequentiam, quam his verbis poterat, & debebat concipere. *Igitur qui poſt confeſſionem media non adhibuit, hic ſincerum & efficax propoſitum non habuiſſe ſemper cenſendus eſt.* Reſtrinxit conſequentiam dicens; *frequenter cenſendus eſt.* Atqui ſine reſtrictione verum eſt: *Quiſquis efficaciter petit finem, neceſſaria, quibus illum conſequatur, media impendit.*

Cauſam reſtrictæ conſequentiæ explicat ſequenti paginâ 64. *Is qui ad tempus ſaltem uſus eſt remediis à Confeſſario præſcriptis poterit interdum verè fuiſſe converſus judicari.* Non poterit, ſi valet argumentatio ab efficaci intentione finis, & electione mediorum: argumentationem Lector conſideret.

His conſentaneum eſt 1. quod docentem audivimus §. ſuperiori, non eſſe meri conſilii, ſed præcepti, ut differatur abſolutio iis, qui Confeſſario probabilem faciunt metum, ne relabantur.

Conſentaneum eſt 2. quod docet in *Methodo* Tract. 1. q. 4. Argument. 3. pag. 80.

Voluntas nova, quam ad veram converſionem omnes requirunt, eſt voluntas abſoluta, & firma, hoc eſt, non vacillans, cuilibet peccato mortali renuntiandi in perpetuum; item abſoluta & firma voluntas obſervandi omnia Dei præcepta in re gravi; omnia, inquam, & in perpetuum. Non ſufficit igitur velleitas, non item voluntas, quæ vacillat.

Hic nota, aliud eſſe huic Doctori *voluntatem abſolutam, & voluntatem firmam*; ſimiliter aliud *velleitatem*, aliud *voluntatem vacillantem*: hæc eſſe ipſi diverſa, clarè indicat ſic loquens: *non ſufficit igitur velleitas, non item voluntas quæ vacillat.* Non eſt dubium, quin *voluntati abſolutæ* opponat *velleitatem*: quin etiam *voluntati firmæ* opponat *voluntatem vacillantem.* Quid ſit *velleitas*, notum eſt: hæc ſine dubio, quia eſt inefficax & compoſſibilis cum peccato, non ſufficit ad abſolutionem. Quid illi ſit *voluntas vacillans* diverſa *à velleitate*, non poteſt quoque eſſe obſcurum, eſt quidem pluſquam *velleitas*; adeòque eſt ex ſe efficax: Sed hoc non eſt ſatis ab Abſolutionem; quia non eſt firma, ſed *vacillans*, hoc eſt inconſtans, non durans: hoc & vox & res tota loquitur. Cenſet ergò non ſufficere ad abſolutionem voluntatem efficacem, ſed requirit conſtantem, durantem, perſeverantem. Quam hæc ſint conſentanea ſuperiori Doctrinæ per ſe patet.

Anonymus Gandavi anno 1674. auctor libri Flandrici cui titulus; *Waerachtighe bekeeringhe noodigh tot eene goede biechte*: hoc eſt *vera converſio neceſſaria ad bonam Confeſſionem*, eidem Doctrinæ congruentia dedit. Liber non eſt ad manum. Deſcribamus igitur quæ ad ejus Doctrinam animadvertit *Franciſcus Simonis* S.T. Licentiatus anno 1675. in libro cui titulus; *Status, Origo &c.* ad dogma 22. pag. 140. 141. ſic ſcribens. „Quantò amplius ex illis *Gummari* principiis concludendum ſit, videtur omninò intellexiſſe Auctor libri Flandrici, „cui titulus: *vera converſio neceſſaria ad bonam Confeſſionem*, proximè ſuperiori

„ anno editi Gandavi : cùm enim ex Scripturis ſacris induxiſſet exempla pœ„nitentiæ *Davidis, Manaſſis, Mariæ Magdalenæ, Petri, Pauli. Quid*, inquit, *docemur* „*per hæc exempla? Reſpondeo qualis ſit vera converſio peccatorum : de nullo enim om*„*nium pœnitentium, qui nobis proponuntur in ſacrâ Scripturâ legitur quod à conver*„*verſione ſuâ in idem peccatum lethale ſit relapſus.* Hoc ibi agit Auctor, ut doceat „ qualis ſit vera converſio, id verò ait nos doceri illis converſionum exemplis, „ quas non eſt ſecutus relapſus, negans alia extare in Scriptura ſacra, cenſet „ igitur non eſſe veram converſionem, quam ſequatur relapſus. „

§. 6.

Aſſertiones affirmantium, non ſolum Conſuetudinario, ſed omni peccatori, qui peccatum mortale fecit, differendam eſſe abſolutionem, donec vitam notabili tempore emendaverit, ſi caſum excipias converſionis miraculoſæ, aut articulum mortis.

GUMMARUS HUYGHENS S.T.D. Lovanii in ſua Methodo tract.2.quæſt.7. Ob.1.& 6.pag.200. & ſequentibus re ipsâ Aſſertionem illam dedit probavitque operosè. Etſi enim probatio tota procedat per modum objectionis: attamen ad extremum victus probatione iſtâ manus dat objectioni, idque minime obſcurè : objectionem poſuit his verbis pag.200.

Conſentaneum hinc videtur, quod ille, qui vel ſemel peccavit mortaliter, peccato ſaltem externo,& graviori, non poterit abſolvi primâ vice, quâ Confeſſarium abſolvendus accedit.

Objectionem verò hanc confirmat modis variis. Demus quædam pag.201. 202.ſic loquitur.

Fingamus aliquem lapſum fuiſſe in crimen fornicationis, aut Adulterii cujus notabilem diſplicentiam interea temporis non habuerit, quoad ſe ad Confeſſionem paraturus horâ vel dimidiâ ante, conſcientiam examinet, & diſcutiat, coneturque peccatum ſuum deteſtari : quis tam eſt facilis fidei, ut moraliter certum habeat, quod ille tempore tam exiguo magnum illud, & indebitum veræ & intimæ ad Deum converſionis donum à Deo impetrarit? .... Quô tamen magis premat objectio, cogitemus loca S. Scripturæ, quibus Tract. 1. docemur converſionem tantâ non acquiri celeritate, & facilitate, prout vulgò creditur; hæc ſanè, ſi rectè calculum ponimus, non ſolùm agunt de conſuetudinariorum converſione, neque teſtimonia ſub titulo primi Argumenti contra ſubitaneam conſuetudinariorum converſionem allegata id ſolum innuunt.

Tandem verò pag.202.reſpondet, imò objectioni ſuccumbit his verbis.

Reſponſi loco ſit, quòd pœnitens priuſquam Confeſſarium, petiturus abſolutionem primum accedat, poteſt ſuâ ſponte egiſſe ea omnia, quæ Confeſſarius abſolutionem dilaturus

præ-

præmittenda abſolutioni judicaret; ac proinde eo eventu abſolutio huic Pœnitenti ne prima quidem vice differenda fuerit.

His nihil addit penitus, quod reſponſionis nomen mereatur: niſi quod concludat, in concionibus, & catechiſmis ſæpè commonendum eſſe populum, ut antè confeſſionem per varia pœnitentiæ opera ſe præparet ad veram converſionem: optandum eſſe tamen; ut hæc ipſa à Confeſſario injungantur; hæc ipſa verò, quæ injunguntur, multum deficere à rigore Canonum Pœnitentialium. Hæc eſt reſponſio tota ad objectionem tam ſtudioſè probatam, & confirmatam. Ex quâ etiam cæcus perſpiciat mentem Doctoris de Abſolutione differendâ ad quodlibet peccatum mortale.

Eſt enim umbratica reſtrictio, quam ponit in objectione de eo loquens, *qui vel ſemel peccavit mortaliter peccato ſaltem externo, & graviori.* Argumenta omnia, quibus objectionem roborat, generaliter concludunt, ſi quid concludant: Reſpondens itidem deſperat generaliter de ſolutione argumentorum. Sic illi in peccatores Conſuetudinarios præcipuè ſeveri in ſpeciem, viam ſternunt ad ſeveritatem eamdem in peccatores omnes.

Audito Doctore GUMMARO HUYGHENS, ſenſum habes plurimorum, qui ejus Methodū depereunt ut jam ſæpius monuimus. Certè non temerè judicabimus auditum eſſe ſenſum FRANCISCI VAN VIANEN S.T. Doctoris, qui ut vidimus in exordio hujus capitis die 13. Julii 1676. Theſim ſuſcepit propugnandam, quâ vindicabatur univerſa Methodus remittendi & retinendi peccata, & die 15. Septembris 1673. Aſſertionem quæ hic præcipuè ad rem facit hanc propoſuit Theſi 1.

Neceſſaria pœnitentis diſpoſitio regulariter noſci non poteſt niſi ab effectu.

Illud *ab effectu* non eſt obſcurum hoc tempore, quò ſpectet; ut nimirum *regulariter* differenda ſit abſolutio, donec effectu emendationis probata ſit diſpoſitio; præcipuè cum mox inferatur in Theſi, diligenter videndum eſſe, *quibus conferenda vel neganda, vel differenda ſit abſolutio.*

Ad hunc locum ſpectare poſſunt eæ Aſſertiones, quibus affirmatur generaliter ſatisfactiones eſſe præmittendas Abſolutioni. Sed pro his ſit.

§. 7.

Aſſertiones affirmantium, Satisfactionem abſolutioni præmittendam eſſe ex inſtitutione Chriſti, idque ita, ut irrita ſit abſolutio, ſi ſecus fiat.

C*Ompendioſæ deductionis* Auctor Anonymus, neque tamen in Belgio ignotus aut parum celebris nominis anno 1672. hæc ipſa ſtatuit pag. 18. 19.

Certò enim conſtat, Eccleſiam per undecim ſæcula hunc morem tenuiſſe, ut poſteaquam peccatores omnia animarum ſuarum vulnera Chriſti miniſtris aperuiſſent, idonea illis

 curandu

curandis remedia ex præſcripto acciperent .... deinceps pœnitentium partes erant præſcriptum ſatisfactionis modum accurate implere .... Hic itaque pœnitentiæ ordo & decurſus erat. Primùm confeſſio peccatorum pœnitentiaque poſtulatio: deinde impoſitio pœnitentiæ, poſteà impoſitæ pœnitentiæ expletio AD EXTREMVM ABSOLVTIO. Ad hujus verò ordinis demonſtrationem, quem tot ſæculis tam eximium ac ſalutiferum cenſuit Eccleſia, unum alterumve dumtaxat proferemus teſtimonium.

Hactenus hunc ordinem videbitur ſolùm commendaſſe, ut valde ſalutarem; quamquam Eccleſiam per undecim ſæcula tenuiſſe conſtanter illum ordinem, plus nobis ſignificat. Plus certè ſibi vult Auctor, cum ſic poſt pauca pronuntiat pag. 20.

Ordinem verò hunc non conſuetudo, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ induxit; SED IPSA CHRISTI LEX, AC PRÆSCRIPTIO; natura rei id ipſum quodammodò dictante.

Hactenus dubitari poteſt, an ordinem illum exhibendæ ſatisfactionis antè abſolutionem ſic velit eſſe præſcriptum *Chriſti* lege, ut tamen haud ſit neceſſarius ad Sacramenti valorem. Sed hanc quoque dubitationem mox tollit pag. 21. his verbis.

Patet itaque, quod Confeſſio peccatoris ad hoc potiſſimum ſerviat, ut detecto ſacerdotibus tamquam medicis, ac judicibus a Chriſto conſtitutis, peccati vulnere & crimine, ipſi congruas adhibeant pœnitentias, medicinales, ac ſatisfactorias, quibus & pravæ voluntatis vitium, atque ita peccati malitia curetur, & divinæ juſtitiæ ſatisfiat: ac DEMVM ITA DISPOSITVS IDONEVS FIAT, qui Deo & Eccleſiæ per ſacerdotis miniſterium reconcilietur.

Vides, Lector, ex judicio hujus Auctoris, ad hoc præſcriptam eſſe à *Chriſto* ſatisfactionem præmittendam abſolutioni, ut *pœnitens per eam diſpoſitus idoneus fiat, qui Deo & Eccleſiæ per Sacerdotis miniſterium reconcilietur*: quare niſi per prævias ſatisfactiones ſic diſponatur, irritum erit Sacramentum pœnitentiæ: non enim iſtud poteſt ratum eſſe, niſi pœnitens ita ſit diſpoſitus, ut ſit idoneus, qui Deo reconcilietur per ſacerdotis miniſterium.

ÆGIDIVS GABRIELIS S. T. Profeſſor hæc eadem omnia tradidit minimè ambiguè in ſua *Morali Chriſtiana & diabolica* parte 2. *Moralis Chriſt.* §. 35. pag. 123. & 124. ubi ſic ſcripſit.

Sancti Patres ordinem in Sanatione ſpirituali obſervârunt per duodecim ſæcula; ut primò peccator accederet ſacerdotem, eique vulnera ſua, ſeu morbum peccati detegeret, & remedium pœnitentiæ ab ipſo peteret: ſecundò, ut Sacerdos peccatori pœnitentiam imponeret: tertiò ut peccator pœnitens illam impleret: quartò, ut Sacerdos pœnitentem, impletâ pœnitentiâ abſque relapſu abſolveret, eique corpus CHRISTI præberet. Vt verò probem iſtum pœnitentiæ ordinem quem tot ſæculis Eccleſia tanto in pretio habuit, & tam ſalutarem judicavit, ſufficiet mibi adducere auctoritatem trium ſummorum Pontificum.

Hic

Hic verò, ut vides, probandum ſuſcipit, illum pœnitentiæ ordinem, quem Eccleſia tot ſæculis in pretio habuit. Conatur verò probare illum ordinem neceſſariò eſſe ſervandum, & alioqui irritam fore abſolutionem, niſi prævii ſatisfactionibus juſtificatus ſit pœnitens. Ibidem namque §.38. pag.126. concludit in hæc verba.

Itaque juxta S. GREGORIUM prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærentem, ut ſacerdos pœnitentem abſolvat, requiritur primò, ut videat, quæ culpa præceſſit: deinde quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: tum ut abſolvat illum, quem videt gratiâ Dei compunctum: niſi enim per opera pœnitentiæ ſacerdoti conſtet de interiori contritione pœnitentis, quam in ipſo operatur Deus, & per quam externis operibus indicat, eum ſe recipere in gratiam. NON ERIT VERA ABSOLUTIO SACERDOTIS PRÆSIDENTIS.

Ecce *non erit vera abſolutio ſacerdotis*, niſi Deus jam ſit operatus in pœnitente eam contritionem interiorem, per quam eum recipit in gratiam; quod ipſum Deus indicat illis operibus externis pœnitentiæ, quæ abſolutioni pœnitens præmittit.

Poſtquam hæc & alia in eandem ſententiam dedit tam manifeſta, tamque operosè, tandem ad abſtergenda hæc omnia ſignificat perpaucis ibidem §.44. pag.165. non eſſe iſtam ſuam mentem; artificio docendi quidlibet impunè, ſi admittatur.

§. 8.

Aſſertiones vim juſtificandi aut remittendi pœnam æternam tribuentium ſatisfactionibus præviis ad abſolutionem.

Facilè animadvertit Lector Superiora perlegens, eò omnia tendere, ut infirmetur Abſolutio ſacerdotis, hujuſque vis imponatur iis diſpoſitionibus, quas ad Abſolutionem requirunt. Adnotavimus ſuprà, hoc agi, ut vis juſtificandi cenſeatur convenire contritioni ad Abſolutionem diſponenti; hîc ea proferamus, quibus vis eadem ad ſatisfactiones Abſolutioni prævias, deduci paulatim videtur.

Anonymus ſed percelebris Auctor libri *Compendioſæ deductionis*, ſic nos docuit pag.21.

Patet itaque, quod confeſſio peccatoris ad hoc potiſſimum ſerviat, ut detecto ſacerdotibus, tamquam medicis ac judicibus à Chriſto conſtitutis, peccati vulnere & crimine, ipſi congruas adhibeant pœnitentias medicinales ac ſatisfactorias, quibus & pravæ voluntatis vitium, atque ita peccati malitia curetur, & divinæ juſtitiæ ſatisfiat: ac demum ita diſpoſitus, idoneus fiat, qui Deo & Eccleſiæ per ſacerdotis miniſterium reconcilietur.

Nota 1. ad hoc potiſſimum inſtituta eſt confeſſio, ut ſacerdotes congruas injungant pœnitentias ſatisfactorias. Nota 2. illis pœnitentiis ſatisfactoriis præviis

ad Abſolutionem debere curari malitiam peccati. Nota; iiſdem pœnitentiis ſatisfactoriis curatâ jam malitiâ peccati, pœnitentem debere fieri idoneum, ut Deo & Eccleſiæ per ſacerdotis miniſterium reconcilietur. Capiatur hinc conjectura, cujuſmodi miniſterium reconciliandi illud ſit.

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 13. Januarii 1676. Aſſertionem conceptam his verbis dedit Theſi 2.

Opera ſatisfactoria olim præcedebant reconciliationem, uti (præter ſexcenta argumenta) invictiſſimè probat vel unus canon, iſque undecimus Concilii Toletani tertii, cujus auctoritatem in dubium ſi revoces, BELLARMINO & toti Eccleſiæ temerarius cenſeris. Nec ideò minus ad Sacramentum pertinebat ea ſatisfactio; quippe quæ efficax erat ad abolendam pœnam, non tantum temporalem, ſed etiam æternam: & ſanè mirum eſt hodiè à multis totam Sacramenti virtutem, quæ ex opere operato vocatur, abſolutioni tribui; cum ea etiam & Confeſſioni & ſatisfactioni conveniat.

Hæc admiratio eſt mira: quia vel mirum dicitur, quod multi hodiè doceant, nullam virtutem ex opere operato convenire ſatisfactioni, & confeſſioni; hoc verò dici, mirum eſt, quia conſtat, non multos, & fortaſſe nullos hoc hodiè docere ad mentem Theſeos vel mirum dicitur, quod multi hodiè doceant, ſatisfactioni & confeſſioni nullam ex opere operato convenire virtutem ad abolendam pœnam æternam: hoc verò dici rurſus mirum videtur, quia quod ad confeſſionem attinet, conſtat, non multos hoc hodiè docere; quod ad ſatisfactionem verò, non eſt mirum, quod hoc hodiè multi doceant; cùm pœna æterna aboleatur unà cum culpa; hæc verò aboleatur impertitâ Abſolutione, & praxis totius Eccleſiæ communiſſima habeat, ut antè ſatisfactionem plerumque impertiatur Abſolutio. Credibile eſt igitur, auctorem aſſertionis reipſa mirari & improbare praxim totius Eccleſiæ ordinariè abſolventis antè ſatisfactionem exhibitam.

FRANCISCVS FARVACQVES S. T. D. Lovanii menſe Aprili 1677. Aſſertionem ſic propoſuit Theſi 32.

Satisfactio pro effectu non habet ſolam remiſſionem pœnæ temporalis: imò etiam poſtpoſita Sacramentali Abſolutioni cauſat augmentum gratiæ ſanctificantis.

En verò ſatisfactio poſtpoſita Abſolutioni cauſat augmentum gratiæ ſanctificantis. Quid incommodi? non dicemus. Sed ſatisfactio prævia Abſolutioni quid cauſat? non dubium, quin primam gratiam & peccatorum remiſſionem. Statuant ſapientes, quo res tendat in tanto pruritu imponendi ſatisfactiones implendas ante Abſolutionem.

LAMBERTVS LE DROV S.T.D. Lovanii die 9. Junii 1676. Theſi 16.

Dum hæc (ſatisfactio) *olim præmittebatur Abſolutioni, remiſſionem pœnæ æternæ, primamque juſtitiam unà cum aliis partibus Sacramenti conferebat. Quid ni hodie id præſtet abſolutioni poſtpoſita?*

Significat hic Doctor, ſatisfactionem abſolutioni poſtpoſitam conferre cum aliis

alijs partibus Sacramenti remiſſionem pœnæ æternæ, primamque juſtitiam. Hoc videri poterit cuipiam paradoxum: neque enim credibile eſt, quod velit differri remiſſionem pœnæ æternæ, primamque juſtitiam, donec impleta ſit ſatisfactio abſolutioni poſtpoſita. Quare neceſſe eſt, ut dicat, ſatisfactionem nondum exiſtentem cauſare primam juſtitiam.

In hoc verò hi noſtri non vident magnam difficultatem. Certè *FRANCISCVS FARVACQVES* S. T. D. Lovanii favens doctrinæ de neceſſitate contritionis perfectæ in Sacramento pœnitentiæ, ut illam oſtenderet non obeſſe efficaciæ Sacramenti, die 31. Auguſti 1671. in ſuo *Paradoxo controverſo de attritione* §. 7. in *Additione* reſponſionis ad object. 2. cogitationem hanc dedit.

Dicerent illi ſcilicet, Sacramentum nondum exiſtens operari moraliter & cauſare gratiam. Poſſe enim id fieri, oſtenderent exemplo Paſſionis CHRISTI, *quæ operata eſt & verè cauſavit gratiam in antiquis juſtis, priuſquam exiſteret.*

His ſimilia videntur dicturi de ſatisfactione gratiam cauſante, antequam exiſtat. Sed animadvertat Lector, dicendum conſequenter eſſe, neque per contritionem perfectam juſtificandum impium, ſi reipſâ non ſequatur Sacramentum pœnitentiæ, neque Sacramentum cauſaturum primam gratiam, ſi non ſequatur ſatisfactio. Sed his immorari non licet.

§. 9.

Aſſertiones Affirmantium, quod Eccleſia numquam approbaverit ritum illum, quo per Eccleſiam ipſam hodie adminiſtratur Sacramentum Pœnitentiæ, ſed toleret invita & coacta.

ÆGIDIVS GABRIELIS S.T. Profeſſor Bruxellis Anno 1675. in ſua *Morali Chriſtianâ & diabolicâ* p. 2. §. 42. *Mor. Chriſtian* pag. 154. poſtquam conatus erat oſtendere, ſatisfactionem generaliter præmittendam eſſe Abſolutioni, ſic objicit ſibi, & reſpondet.

Objicitur etiam: quod, ſi hæc ita ſe habent cur ergo Eccleſia moderna non curat practicari pœnitentiam pro quolibet peccato mortali ante abſolutionem? ad quam objectionem reſpondetur: Eccleſiam in nullo Concilio univerſali, aut particulari approbaſſe praxim mox abſolvendi poſt confeſſionem criminum, nullâ praviè ad abſolutionem factâ pœnitentiâ; ſed refrigeſcente paulatim Charitate, à tribus aut quatuor ſeculis, antiquus vigor eſt relaxatus: ita ut ſoleat impendi Abſolutio ijs confitentibus de quorum contritione confeſſario ſufficienter conſtat, etiam ante impletam pœnitentiam; ſic tamen ut ſi non conſtet de illa ſufficienter, etiam nunc Abſolutio differatur, ut interim magis probetur diſpoſitio pœnitentis. Hanc praxim autem pia mater Eccleſia filiorum infirmitati indulgens tolerat, ita ut nunc ſimul, ac judicatur pœnitens contritus, ac pœnitentia injuncta

eſt, communis abſolutio impendatur, & ei Corporis CHRISTI communio tradatur..... adeò ut non tantùm ordo pœnitentiæ ſit inverſus, ſed pœnè ipſa pœnitentia ſubverſa, & quodammodo evanida, nomenque pœnitentiæ hominibus carnalibus factum odioſum, in nomen confeſſionis ſit mutatum; quam confeſſionem hæretici noſtri temporis non ſunt veriti appellare carnificinam, & conſcientiæ lanienam, aſſerentes, ſufficere propoſitum novæ vitæ, ut quis agat pœnitentiam ab Evangelio præſcriptam: undè non eſt mirum, quod Eccleſia toleret impendi abſolutionem poſt auditam confeſſionem & impoſitam levem pœnitentiam: quia ſi hoc ſeculo corrupto exigeret pœnitentiam proportionatam peccatis, & ejus impletionem ante abſolutionem, forſan multi tranſirent ad partes hæreticorum, vel libertinorum, rejicerent ipſam confeſſionem.

Sed quantùm deſideraret Eccleſia moderna, quæ ſemper manet in eodem ſenſu cum antiqua, utpotè fundata ſuprà firmam Petram, non ſolùm pœnitentiam veram peragi, ſed priſtinum pœnitentiæ ordinem ſervari, ſatis apparet ex Concilio Lateranenſi.

His conſentanea ſunt hæc ibidem pag. 160.

Non poterat idem Concilium expreſſè, & de mandato tollere modernam praxim, & antiquam reſtituere in integrum. Quia cum tunc temporis Eccleſia eſſet maximè corrupta & diviſa in ſectas, & hæreſes, indubiè plurimi tranſiviſſent ad partes hæreticorum, ſi debuiſſent ſuſtinere antiquæ pœnitentiæ rigorem, cùm ſolius confeſſionis ruborem difficillimè ſuſtinerent.

His rectè congruit, quod affirmat incunctanter ibid. §. 41. pag. 145. his verbis:

Reſpondeo dicendo, quòd in Eccleſia primis trecentis annis practicatum fuerit, ut negaretur abſolutio, & communio in articulo mortis iis, qui poſt vitam perditè actam non egerant pœnitentiam, & tantùm ratione infirmitatis, ac periculi mortis petebant Sacramentum reconciliationis.

Autor Anonymus *Compendioſæ deductionis* Gandavi Anno 1672. non minus humiliter ſenſit de Eccleſiâ, collapſam aſpiciente, & tolerante pœnitentiam, ipſumque propemodum pœnitentiæ Sacramentum: tantamque calamitatem imputat Theologiæ Scholaſticæ. Sic diſſerit pag. 47.

Eccleſiaſtica illa ſeveritas ineunte ſæculo duodecimo annis aliquot adhuc perſeveravit, ſed paulatim minui & obſoleſcere cœpit, & conſequenter cum ea ipſius ſeveritatis adminicula, videlicet antiqui illi ritus publici, tam qui pœnitentiæ actionem, quam qui pœnitentium reconciliationem ſpectabant. Cum enim incipiente hoc ſæculo cœperit quoque in Eccleſiâ invaleſcere Philoſophia Peripatetica, ſeſeque Theologiæ inſinuare, quæſtionum etiam myriades undique ebulliere, quæ non modò antiquioribus ſæculis, ſed etiam proximè præcedenti maxima ex parte prorſus fuerant incognitæ.

Siquidem cœptum eſt tunc agi & agitari de partibus eſſentialibus, de materiâ nempe & formâ Sacramentorum; ac proinde etiam Sacramenti pœnitentiæ, de efficacia & ſignificatione Abſolutionis, ejuſque proprio & nativo effectu: de qualitate, quantitate, & virtute contritionis ſive diſpoſitionis ad effectum abſolutionis prærequiſitæ: de neceſſitate ac tem-

ac tempore adimplendæ ſatisfactionis &c. Atque in has & ſimiles circa Sacramenti rationem ſubtilitates, & Scholaſticas contentiones pœnitentiæ rigor, & ſtudium non modicè ſenſim evanuit.

Autor idem pag. 78. hæc dedit ſuperioribus congruentia.

Nec eſt, quod quis exiſtimet juris rigorem autoritate Eccleſiæ remiſſum eſſe (hac enim ſpiritum pœnitentiæ à Chriſto ſibi inditum, & commendatum, numquam dimittet) ſed in privatis cauſis, & juſtis, rigoris ſpecies in aliam frequenter commutata, ut demonſtratum eſt plurimis occaſionem dedit Pontificum, & Epiſcoporum beneficio ad præpoſteram relaxationem abutendi .... Eccleſia ut piiſſima mater filijs ſuis tenellius ablandiens .... novis artificijs ad interiorem cordis contritionem (partem ad peccatorum remiſſionem obtinendam, ut deeſſent cætera, efficacem, & neceſſariam) excitavit, & ipſiſmet indulgentijs ad veram & heroicam pœnitentiam ſuſcitandam, & inflammandam prudenter uſa eſt, dum eas non niſi verè pœnitentibus, ac contritis largitur: fixam interim, & immotam ſemper retinens intimo pectori canonum antiquorum exiſtimationem, & obſervantiæ deſiderium.

Ibidem cum dixiſſet Auctor pag. 80. Trid. Synodum multis temporum calamitatibus atque etiam *licentia populorum, cordium duritie, inſcitiâ Sacerdotum, aliiſque pravitatibus & morum corruptelis* impeditam fuiſſe, ut pœnitentiam eâdem prorſus quâ olim ratione præſcribere non potuerit, tandem pag. 81. ſic loquitur.

Et ne omnino obliteraretur memoria poteſtatis & praxis, quam Eccleſia ſemper obtinuit, & multis ſæculis rigoroſè exercuit, retinendi peccata, hoc eſt abſolutionem vel negandi, vel differendi ad tempus, donec juxta Canonicas leges pœnitens debitam Deo & Eccleſiæ ſatisfactionem præſtiterit: peccata quadam judicio ſolius Epiſcopi reſervari voluit.

Hoc unum auſa eſt Synodus Tridentina, ut ſaltem memoria extaret illius ordinis inter partes Sacramenti pœnitentiæ, qui eſt neceſſarius ex inſtitutione Chriſti, & ad valorem Sacramenti, ut docentem audivimus §. 7. hujus capitis.

IOANNES RECHT S. T. Doctor Lovanii die 4. Martii 1677. aſſertionem propoſuit patheticam verbis non ſuis, ſed ſenſu ſuo, de quo inſpecto genere toto doctrinæ per Belgium manantis, quæ exponitur his paginis, judicet ſapiens Lector: ſic habet Theſi 2.

Merito eâdem parte & tit. c. 2. n. 3. monet cavendas pernicioſas maximas modernorum authorum, qui complures laxitates invexerunt in Eccleſiam: & Evangelium vertunt in problema: Philautiæ adblandientes, & plurima peccata excuſantes. Hinc fit ut hodie pœnitentiæ Sacramento vix quidquam præter nomen reliquum ſit. Ibid. c. 1. pag. 247.

Auctor libri, cui titulus; *Advis ſalutaires contre pluſieurs abus* &c. hoc eſt, *Monita ſalutaria contra plures abuſus* &c Gandavi Anno 1671. pag. 104. Sic deplorat Eccleſiam & collapſum Sacramentum pœnitentiæ.

Il eſt vray, que l'Egliſe à auſſi adoucy la rigeur de ſes loix ; MAIS C'EST PAR CONTRAINTE ..... *elle agit en bonne mere, laquelle conſiderant le peu d'amour, que ſes enfants ont pour Dieu, & pour leur propre ſalut, le trait comme des maladeš chagrins, qui refuſent de prendre les medicines,* QVI LEVR SONT LES PLVS SALVTAIRES, ET NECESSAIRES, *d'autant qu'ils ne leur gouſtent point, &* LES SERT PRESQVE SELON LEVR GOVST, *pour les ſauveur, s'il eſt poßibile.* Hoc eſt.

Verum eſt quod etiam Eccleſia mitigaverit rigorem ſuarum legum; SED HOC EST PER COACTIONEM ...... *agit ipſa ut bona mater, quæ conſiderans modicum amorem, quem ſui filii habent erga Deum, & ſuam ſalutem propriam; ipſos tractat ut agros faſtidioſos, qui recuſant ſumere medicinas,* QVÆ IPSIS SVNT MAXIME SALVBRES, ET NECESSARIÆ, *qnia ipſis non ſapiunt, & ferè ſervit ipſis ſecundum eorum guſtum, ut ipſos ſalvet ſi ſit poßibile.*

Ecce pia mater Eccleſia uſque adeo blanditur filiis, ut his recuſantibus *medicinas maximè ſalubres* ET NECESSARIAS, *ſerviat ad guſtum ipſorum.* Sic ille Auctor ſibi perſuaſit.

§. 10.

Aſſertiones Statuentium obligationem perdifficilem iterandi Confeßiones.

GERARDVS VAN WERM S.T. Doctor Lovanii die 24. Marti 1670. Aſſertionem dedit celebrem Theſi 2.

Vt quis ex ignorantiâ juris naturæ contra jus naturæ docendo peccet, requiritur, ignorantiam culpâ perſonali eſſe contractam, quod non requiritur, ut quis ex ignorantia juris naturæ contra jus naturæ agendo peccet .... quicumque igitur deprehendit ſe aliquo tempore per ignorantiam juris naturæ contra illud graviter deliquiſſe, OMNES CONFESSIONES SVAS, QVAS TEMPORE ILLO DVRANTE FECIT, DEBET REITERARE. *Nec talis ſibi perſuadeat, quod talia ignorantiæ peccata per generalem confeßionem fuerint indirectè remiſſa. Neque per hoc, quod quis non ſit confeſſus aliqua, quia ea peccata eſſe neſcivit, excuſatur à Confeßione eorum, ubi ea peccata mortalia eſſe reſcivit, & conſequenter non etiam à repetendis confeßionibus ob affectum erga illa intus perſeverantem inutiliter factis.*

Conſidera Lector, hanc omnem Aſſertionem, quâ aſſeritur 1. quod ignorantia juris naturæ non excuſet à peccato agentem contra illud jus; idque licet ſit inculpabilis culpa perſonali; quia videlicet manet culpabilis culpâ originali; quam ſubtilitatem p. 1. cap. 6. §. 2. animadvertimus.

2. Hinc infertur in Theſi, omnes, qui deliquerunt per talem ignorantiam; adeoque per eandem non ſunt confeſſi illud peccatum, reiterare debere omnes confeſſiones interea factas.

3. Tam notabilis obligationis redditur bona ratio: quia omnes illæ confeſſiones fuerunt inutiles, imò ſacrilegæ ob affectum erga illa peccata ignorantiæ. Certè quidem tales non habuerunt contritionem, quæ excluderet voluntatem illa peccata faciendi, ut patet conſideranti.

Denique pœnitentes illi non ſe poſſunt excuſare per ignorantiam facti, quâ ignorabant, ſe non confiteri integrè: interrogati enim cur id ignorarent, reſpondere debent, quia ignorabamus, opera, quæ fecimus, eſſe contra jus naturæ. Ecce igitur ultima excuſatio terminari debet in ignorantia juris naturæ. Si ergò hæc non excuſet agentes contra jus naturæ, quare excuſabit eadem agentes contra jus divinum? Auctor ergò theſeos non videtur malè ſpeculatus eſſe.

Sed vide, in quem labyrinthum ducat. Iterandæ confeſſiones omnes interea factæ. Quod ſi iteratâ confeſſione diſcat homo aliquid novi à ſe commiſſum olim contra jus naturæ, quod non eſt confeſſus, rurſus iterandæ ſunt omnes. Si aliqua peccati contra jus naturæ commiſſi ignorantia adhæreat uſque ad mortem, æternis pœnis luendum eſt peccatum contra jus naturæ, à quo ne quidem indirectè eſt abſolutus, ut rectè animadvertitur in Theſi: luenda quoque tot ſacrilegia confeſſionum & communionum. Hæc omnia acutè vidit deduxitque eleganter *Franciſcus Simonis* S. T. Licentiatus in libro cui Titulus *Status, origo* &c. ad Dogma 3.

MACARIUS HAVERMANS S. T. Profeſſor Antverpiæ anno 1674. in ſuo *Tyrocinio* tract. 1. cap. 8. §. 14. pag. 282. 283. ſententiam eandem tradit probabilem his verbis.

Petet aliquis, num ergo quis debeat reiterare ſemper ſuas confeſſiones factas illo tempore, quo ex ignorantiâ contra jus naturæ peccavit? .... In noſtra ſententia quæſtio habet majores difficultates, cum enim admittamus, omnem ignorantiam juris naturæ eſſe vincibilem, conſequens eſt, omnem etiam eſſe culpabilem. Iam autem docet communis Theologorum ſententia, ſacrilegam, adeoque reiterandam eſſe confeſſionem, quando in illâ ex graviter culpabili ignorantiâ reticetur peccatum mortale; ob hanc rationem VALDE PROBABILE EST, QUOD TALIS DEBEAT OMNES ILLAS CONFESSIONES REITERARE; & hanc ſententiam vidi defenſam Lovanii in hallis anno. 1670, *ſub eximio Domino ac Magiſtro noſtro GERARDO VAN WERM.*

Non vacat perſequi rationes, quibus conatur evadere hanc duritiem. *Præſumi poteſt*, inquit, *bonitate divina, quæ non voluit confeſſionem eſſe carnificinam conſcientiarum.* Simili jure poterat præſumere non fuiſſe illa vera peccata ſaltem gravia. *Nullum*, inquit, *omnino ſcrupulum ſibi facit de illo peccato* pœnitens, quando confitetur. Sed etiam non faciebat ſibi ſcrupulum quando agebat contra legem naturæ ignorans legem: tunc non excuſabat ignorantia, quare jam excuſabit eadem prorſus; cum in ipſa oporteat terminari excuſationem non integrè confitentis, ut modo patuit?

FRANCISCUS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 11. Aprilis 1671. Aſſertionem ſic dedit expreſſam Theſi 2.

Si confitens deprehendatur jam ab anno commiſiſſe peccatum grave contra naturam ex ignorantiâ juris naturæ, nec clavibus illud ſubjecerit, quia peccatum eſſe ignoravit, regulariter induci debet, ut confeſſionem faciat generalem totius temporis, quo in affectu erga illud mortale permanſit.

Quod dicit *regulariter induci debere*, credibile eſt, ideo dicere, quia ſublatâ ignorantiâ excuſari poteſt per impoſſibilitatem, quo caſu poterit indirectè abſolvi ab illis peccatis, dolore jam ſe ad illa extendente.

IOANNES SINNICH S. T. D. Lovanii die 31. Martii 1664. Aſſertionem propoſuit, ex qua quid difficultatis accedat confeſſioni, ſtatuat ſapiens Lector. Sic legitur Theſi 1.

Vt quis perfectè conſentiat in actum mortaliter malum, non eſt neceſſaria advertentia mortalis malitiæ, quæ in eo eſt: quæ enim ſint mortifera, QVÆ VENIALIA PECCATA: QVÆ LEVIA, QVÆ GRAVIA, NON HVMANO, *SED DIVINO SVNT PENSANDA IVDICIO: imo de quibuſdam, an venialia ſint, difficillimum eſt invenire, periculoſiſſimum definire.*

§. II.

Aſſertiones Improbantium uſitatam in Eccleſiâ praxim piorum hominum confitendi ſæpe peccata veniala; ita ut ſequatur Abſolutio.

GVMMARVS HVYGHENS S.T.Doctor Lovanii in ſua *methodo* tract. 1. q.4. object. 6. dedit, quædam piis & Religioſis hominibus parum grata. Cum dixiſſet eſſe improbandum, poſcere abſolutionem à ſolis venialibus cum dubio, an illa ſit valitura, ſic ſubdit pag. 145.

Hiſce adverſari videbuntur nonnulla Religioſorum ſtatuta, quæ frequentem admodùm præſcribunt confeſſionem. Ad quæ ego Reſp. pium eſt inſtituere confeſſionem, quam nulla etiam ſequatur abſolutio, nec exſpectetur ſecutura, niſi, quando conſtat de ſufficienti dolore & propoſito, aliud namque eſt confiteri, aliud abſolvi: præterea ejuſmodi ſtatuta nihil doctrinæ huic derogant, præcipi enim iis non poteſt, ut abſolutio cum Sacramenti irreverentiæ periculo impertiatur.

Vides, Lector, non probari huic Doctori ſtatuta Religioſorum præcipientia confeſſionem hebdomadariam E.C. niſi patiaris ea intelligi de confeſſione, quam non ſequatur Abſolutio. Credibile eſt, Religioſos non admiſſuros hunc interpretem ſuorum ſtatutorum.

Attamen noluit improbare praxim Sanctorum, qui memorantur confeſſi eſſe quotidiè leviſſima peccata. Ne verò fiat conſequentia ad alias pias perſonas ſic occurrit ibidem pag. 144.

Viri namque Sanctitate conſpicui penitius intuiti fuerunt animo cælitùs illuſtrato peccatorum

catorum venialium malitiam, non ſecùs atque in conclavi radiis ſolaribus illuminato atomi viſum alioquin fugientes clariùs conſpiciuntur. Illam verò malitiam Sanctitate eminentes non minùs habuerunt exoſam, quam agnitam; quapropter ne in iſthæc relaberentur, pro viribus egerunt. Si quis proinde eò enitatur, ut hanc illorum aſſequatur diſpoſitionem, ſequatur & confitentes; non improbabitur.

Reliquam ergò turbam piorum hominum, qui non ſunt *Sanctitate conſpicui, Sanctitate eminentes*, jubet eſſe contentos frequenti confeſſione venialium, quam non ſequatur abſolutio.

Contra hæc hujus Doctoris Antagoniſta *FRANCISCVS CAROLVS RAYMAECKERS* in *Reſponſione brevi* ad *Methodum*, ſic inſurrexerat num, 174.

„ Ergò condemnas omnes Religioſorum ordines, qui inſtituunt frequentes „ confeſſiones, quas ſequitur Abſolutio; quod ubique in Domibus Religio- „ ſorum, & Monialium practicatur; in aliquibus ſemel, in aliis bis, vel ter per „ hebdomadam? condemnas omnes illorum confeſſarios tamquam ſacrilegos, „ qui numquam non abſolvunt, niſi conſtet, aliquem pœnitentem indiſpoſitum „ eſſe. Quæ nova portenta dogmatum parit hoc ſæculum! dic mihi quando „ tibi conſtabit de ſufficienti dolore & propoſito in Religioſo, vel Moniali, „ juxta Religionis conſuetudinem ordinario modo confitente, ſi jam non con- „ ſtat? certè nunquam conſtabit aliter, quam modò: ergo nunquam dabis ei „ abſolutionem. Infelix profectò qui talem nanciſcitur confeſſarium! Quære- „ las audivimus non parvas, quod in quodam Belgii Monaſterio per trimeſtre, „ aut prolixius ſpatium quibuſdam Monialibus non detur abſolutio, non alio „ fundamento, quam hujus opinionis.

Ad hæc *GVMMARVS HVYGHENS* in ſua *Apologia pro Methodo* §. 14. pag. 103. 104. ſic reſpondet:

Ubi te manifeſtaris .... oſtendam, me nullo modo improbaſſe, quod Religioſi frequentes confeſſiones inſtituant: imò ſi toties diſpoſiti ſint, uti fuerunt Sancti quidam, etiam probandum, ut confiteantur ſingulis diebus, ſicut & Sancti illi.

De Confeſſione, quam ſequatur Abſolutio, de quâ objecerat Adverſarius; altum tacet, ſolum promittens, ſe oſtenſurum, non eſſe à ſe improbatas frequentes confeſſiones Religioſorum. Attamen ſi ſint diſpoſiti *ut Sancti quidam* ſpem facit Abſolutionis.

Hic S.T. Doctor *GVMMARVS HVYGHENS* eſt Lovanii Confeſſarius cujuſdam familiæ, in quam coiverunt non paucæ piæ feminæ, quæ ad inſtar Monialium vivunt communiter, vulgò apud nos vocantur *Moralla*. Hæ piæ Virgines aut matronæ confitentur illi bis quâque hebdomade. Interrogata nuper earum Mater, ſeu ſuperior, an confeſſas etiam abſolveret ille confeſſarius? O! inquit illa, non ſemper: pretium *ſanguinis Chriſti* per abſolutionem impenditur: ſingulisne vicibus abſolutionem daret? interrogata, ecquando igitur eam daret? quando ipſi placet, reſpondit. Hæc obiter.

Non

Non eſt ad manum quædam ſcriptio Flandrica Gandavi nata & latè pervagata per Belgium, cui titulus: *Noodighe wetenſchap voor deſen tijdt, om profijtelijck te Biechten ende te Communiceren.* Hoc eſt *Notitia neceſſaria hoc tempore ad confitendum & communicandum utiliter.*

Referamus igitur, quæ in doctrinam ibi contentam obſervavit *Franciſcus Simonis* S.T. Licentiatus in libro cui titulus, *Status, origo* &c. ad *Dogma* 25. pag. 158. 159. de auctore Scriptionis ſic loquens.

„ In tres claſſes diſtribuerat peccata venialia; ut alia eſſent levia; quia in- „ deliberata; etſi libera: alia eſſent levia ex natura ſua; etſi deliberata: alia de- „ nique levia eſſent tum ex natura ſua, tum quia indeliberata, etſi libera, quod „ genus difficillimè vitaretur. Tum verò de Chriſtianis Eccleſiæ primitivæ „ pronuntiat his verbis.

„ *De his primi Chriſtiani perbene inſtructi fuerunt, qui quotidie communicabant, uti* „ *& modò ſacerdotes, ſine confeſſione; idque quia non eſt neceſſe confiteri peccata venialia.*

„ Mox reprehendit eos qui ſcrupuloſius, quàm par eſt confitentur peccata „ venialia, *Magna*, inquit, *offenſione hominum peccatorum, pro quibus inſtituta eſt ſe-* „ *des confeſſionalis.*

„ Poſt multa, *ſequitur*, ait, *quod regulam Chriſtianæ perfectionis non debeamus* „ *ponere in confitendo ſæpe, & diu, ſed in vivendo ita, ut cum primis Chriſtianis non* „ *debeamus Confiteri*: hos jam dixerat quotidie communicaſſe ſine confeſſione.

„ Denique ſtatum quemdã & perfectionis in hâc vitâ agnoſcit, in quo etiam „ annis integris vitentur noxæ omnes veniales notabiles: in *tali ſtatu*, inquit, „ *non indigemus amplius confeſſione, neque in eo ſtatu primi Chriſtiani ſolebant confi-* „ *teri*,

„ Quod ait, in tali ſtatu non indigemus amplius confeſſione, non ſolam „ negat neceſſitatem confitendi: quia ut abſit hæc neceſſitas, non eſt opus illo „ ſtatu perfectionis, in quo vitentur omnes noxæ veniales notabiles; cum „ neque notabiles neceſſariò ſint confitendæ. Supereſt igitur, ut neget utilita- „ tem, & convenientiam confeſſionis in illo ſtatu.

Hactenus ille. Nobis hæc occurrebant idonea exhibendo ſpecimini doctrinæ per Belgium manantis ex Lovanienſi Academiâ in materia Fidei, Spei, Caritatis, Pœnitentiæ, & Sacramenti Pœnitentiæ ad promovendam informationem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ hoc tempore ſuſceptam à Facultate Theologica Academiæ Lovanienſis.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

SPECI-

SPECIMEN
DOCTRINÆ THEOLOGICÆ
PER BELGIUM MANANTIS
EX
ACADEMIA LOVANIENSI.

Ab Anno 1644. uſque ad Annum 1677.

PARS TERTIA.
INTRODUCTIO
In Tertiam Partem Speciminis.

§. 1.

De Methodo Servanda in reliquis Partibus Speciminis.

IN exordio ſecundæ Partis hujus Speciminis rogabamus lectorem, ut hebdomadis perpaucis judicium ſuum ſuſpenderet de *Epiſtolâ Apologeticâ MACARII HAVERMANS* S. T. Profeſſoris, ſimulque de Doctrina morum ex Lovanienſi Academiâ per Belgium manante. Ecce autem dum hæc ipſa ad Typographum deferimus, perveniunt ad manus noſtras illæ Propoſitiones, quas Lovanienſes Doctores informaturi S.Sedem obtuliſſe dicuntur eidem S.Sedi. Lectis Propoſitionibus judicavimus, mutandam eſſe metho-

dum abſolvendi quod eſt reliquum hujus *Speciminis*: quia cum non liceret omnino tacere de illis propoſitionibus, atque ex his non paucas *MACARIVS HAVERMANS* tractaſſet in ſuâ Epiſtolâ, vel parum ordinate procedendum nobis fuiſſet, vel eadem lectori offerenda ſæpius. Cumque etiam à principio profeſſi ſimus, hoc nos agere, ut opem ferremus Lovanienſibus Doctoribus informantibus S. Sedem de ſuâ doctrinâ ac ſuorum Adverſariorum, ſanè expediebat propoſitiones illas informatorias ante omnia cordi habere, & omittere non pauca ex iis, quæ digeſſeramus magis idonea ad detegendas futilitates *MACARII HAVERMANS*, quam ad informandam S. Sedem de Doctrinâ Theologicâ per Belgium manante. Methodum igitur hanc tenebimus.

Primum quidem Tertia Parte *Speciminis* dilucidare conabimur eas Propoſitiones, quas Romæ Lovanienſes Doctores protuliſſe dicuntur tamquam ſuas, ſuamque Doctrinam, & ſupplere illorum defectus in informanda S. Sede: id verò præſtandum erit partim ex dictis in 1. & 2. Parte Speciminis, partim ex *Epiſtola Apologetica MACARII HAVERMANS*, partim ex aliis, ut commodum videbitur. Quia verò defectus Doctorum S. Sedem informantium de ſuâ doctrinâ apparere non poteſt, niſi Lector ad manum habeat Propoſitiones omnes, quibus doctrinam ſuam expoſuerunt, eas principio cujuſque capitis referemus omnes, quæ ad unamquamque materiam ibi tractandam pertinebunt, ordinem ſequentes Propoſitionum ipſarum. Tum verò in quarta Parte Speciminis ad Propoſitiones quas obtuliſſe dicuntur S. Sedi, ut à Lovanienſi Schola communiter reprobatas, ea adnotabimus, quæ videbuntur utilia ad pleniorem informationem de doctrina illorum Theologorum in Belgio, per quos in quodam libello ſupplici, quem obtulerunt Regiæ Majeſtati Catholicæ Romam cogitantes, conqueſti ſunt veritatem Chriſtianam in Belgio obſcurari, turbari, & injurioſè tractari, quod idem ſine dubio Romæ hoc tempore conqueruntur.

Ut ergo Lector ſtatuat facilius de integritate, & ſinceritate informationis, quam dederunt S. Sedi, operæ pretium erit perſpectum habere ſcopum, quem ſibi præfixerunt informaturi S. Sedem. Scopum illum non aliunde facilius erit diſcere, quàm ex gemino libello ſupplici quem Regi obtulerunt Romam petituri, noſque ex Gallico Latinum ſic reddimus.

§. 2.

Libelli ſupplices quos Regiæ Majeſtati Catholicæ obtulerunt Lovanienſes Doctores Romam cogitantes.

REGI.

„ REpræſentant humillimè Decanus & alii Facultatis Theologicæ in
„ Univerſitate Lovanienſi, quod magno ipſorum dolore complures in
„ Belgio, & grandes ſint controverſiæ & contentiones pertinentes ad Do-
„ ctrinam Theologicam non ſine acerbitate & vehementiori motu aliquo-
„ rum: ita ut hinc contingat veritatem Chriſtianam valde obſcurari, turbari,
„ & injurioſè tractari. Et quandoquidem profeſſio ſua Repræſentantes obli-
„ gat ad curandum, ut vera doctrina Chriſtiana doceatur pura & ſolida ſecun-
„ dum Scripturam Sacram, & regulas tam ſanctę Sedis, quam Conciliorum, &
„ Traditionum SS. Patrum, & Doctorum Eccleſiæ, eo pede atque omnino ſi-
„ militer, ac ipſorum majores id obſervaverunt uſque ad tempus præſens: hinc
„ eſt quod annis præteritis adhibuerint omnes conatus poſſibiles ad occurren-
„ dum periculo remiſſionis, quæ nominatim in moralem cum miſerandi hujus
„ ſæculi corruptione Symbolizantem irrepit. Sed non obſtante omni conatu
„ & ſtudio, expetito adeò rei eventu potiti non ſunt, contrà verò rectas ipſo-
„ rum intentiones plures ſiniſtrè interpretari ſunt, ad ipſos in populi invidiam
„ & odium pertrahendos, ſemper propenſi in pravam licentiam, magnâ cum
„ animarum jacturâ ac populi perturbatione. Quamobrem Repræſentantes
„ ad haſce nubes diſſipandas inducendamque malaciam; imò ad ſuo fungen-
„ dum munere, aptiorem modum non inveniunt, quam ad S. Sedem Apoſtoli-
„ cam per deputatos à ſe recurrere, quemadmodum in hujuſmodi caſibus, tan-
„ tique momenti negotio ſemper practicatum fuit: idque ad illam accuratè
„ informandam de ſuis conatibus jam dictis, de ſuo officio & doctrinis, quas
„ in ſcholis ſuis profitentur, atque ad intelligendum ſuper illis deciſionem, &
„ judicium; cui ſe conforment & ſubmittant omni reverentia & obedientia.
„ Sperantes autem fore ut id Majeſtati ſuæ gratum omnino ſit, ad ſolitam ejus
„ bonitatem recurrunt, ſupplicantes humillimè, ut Repræſentantibus auctori-
„ tate ſua adeſſe, ſeque in ſua pia mente & ſupradicto tanti momenti & conſe-
„ quentiæ negotio apud Sanctitatem ſuam fulcire dignetur, ut promptam
„ adeoque optatam conſequi valeant expeditionem, quæ ſuper univerſam mo-
„ narchiam & ſupradictos ſtatus Belgii cæleſtem benedictionem, propagatio-
„ nem Catholicæ fidei, totius Eccleſiæ gloriam & publicam tranquillitatem
„ attrahere poſſit. Quod faciendo &c.

Ad hunc libellum ſupplicem data fuit à Rege hæc Apoſtilla.

„ Specificent Supplicantes puncta, pro quorum declaratione prætendunt „ Romam mittere ſuos Deputatos. Actum Bruxellis 10. Septembris 1676.

Subſignatum

Gottignies.

Acceptâ hac Apoſtillâ alterum libellum ſupplicem Regi obtulerunt iidem Doctores, quo expoſuerunt, non quidem puncta ipſa, quorum declarationem expetebant, quod Rex mandaverat; ſed materias ſeu locos, unde ſumenda eſſent puncta. Sic verò habebat libellus.

R E G I.

„ Repræſentantes ſatisfacere volentes Apoſtillæ datæ ſuper libello ſuo ſup- „ plici, dicunt omni ſubmiſſione pro declaratione punctorum, quorum cauſa „ deputatos ſuos Romam mittere decernunt, maximè agitata, & de quibus non „ ſine ſcandalo publicique perturbatione graves exſurrexere contentiones, eſſe „ ſequentia.

1. „ Super doctrina & auctoritate SS. Eccleſiæ Doctorum *Auguſtini* & „ *Thomæ Aquinatis*, qui ſcholæ noſtræ Patroni ſunt, & quorum dogmata præ „ reliquis tutiſſima, & ſecuriſſima à ſancta Sede Apoſtolicâ ſunt ſerio com- „ mendata, & tamen à quibuſdam irreverenter tractantur, & vilipenduntur.

2. „ Super articulis de divinâ Prædeſtinatione, & reprobatione, de auxiliis „ divinæ gratiæ, & libero arbitrio, unde primò cœpit initium controverſiarum „ circa annum 85. alterius ſæculi.

3. „ De conſcientiæ directione per probabilitates.

4. „ De Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Caritate earumque „ obligatione.

5. „ De virtutibus juſtitiæ, & temperantiæ, vitiiſque oppoſitis, quæ hoc „ præſertim ſæculo quam plurimis pernicioſis novitatibus, ac corruptelis vio- „ lantur cum gravi diſpendio non tantum privatorum, ſed etiam boni publici.

6. „ De virtute Religionis ejus actibus, & cultu Deo, Deiparæ, ac Cœliti- „ bus, eorumque imaginibus reſpectivè debito.

7. „ De neceſſaria diſpoſitione ad dignam & fructuoſam Sacramentorum „ receptionem, & legitimam adminiſtrationem præſertim Pœnitentiæ, & „ Euchariſtiæ.

Hic ſubjicimus Synopſim commiſſionis datæ Magiſtro STEYART S.T. Doctori, quâ hic inſtructus curſitavit toto Belgio, ut Patronos adjungeret præſenti legationi Doctorum ad S. Sedem.

SYNOPSIS COMMISSIONIS M. STEYART

Ad Illuſtriſſimos Reverendiſſimos & Ampliſſimos per Belgium Catholicum Ordinarios.

„ UT iis exponat conſilium Facultatis de mittendo Romam, atque hunc „ in finem petendâ Majeſtatis ſuæ venia &c. ut eorundem ſuper hoc con- „ ſilia audiat, referatque, ubi hic ipſis propoſuit, ut dignarentur ſuggerere præ- „ cipuas quæſtiones, quæ ipſorum Diœceſim turbant ad melius ſtatuendum „ ſtatum controverſiæ apud S. Sedem agitandæ.

„ Denique ut manum auxiliatricem ab illis imploret ad horum conſiliorum „ executionem; exempli gratia, ut dignentur ſuæ Majeſtati per litteras com- „ mendare expeditionem petitæ permiſſionis &c. Deinde ſuæ Sanctitati „ expeditionem negotii principalis, ubi primum à ſua Majeſtate, quod pe- „ titur obtentum fuerit.

§. 7.

Iudicium LUDOVICI BAIL *S.T. Doctoris, de quorumdam ſtudio, & zelo Reformandi Theologiam Moralem.*

OMni eruditione & Doctrina vir celeberrimus *LUDOVICUS BAIL* S. T. Doctor, & Pœnitentiarius Pariſienſis ſummæ Concilior. Tom. 2. Addit. claſſe 6. pag. 811. col. 2. relatis Conſtitutionibus *INNOCENTII X.* & *ALEXANDRI VII.* adverſus quinque Propoſitiones Janſenianas, diſſertationem ſubjungit prolixam de ſtudio reformandi Theologiam Moralem, tunc denique ſeriò ſuſcepto à Janſenianis cum viderunt condemnatam doctrinam in materia de gratia, & libertate, quam habebant pro Catholicâ, & Auguſtinianâ. Viſum eſt huic Tertiæ Parti Speciminis præmittere exordium illius diſſertationis, quod ſic habet.

„ Ut ſunt technæ innumerabiles hominum, aliud tunc ſtratagema inventum „ eſt ad diſtrahendum in varias partes Theologos, & omnes qui Conſtitutio- „ nibus *INNOCENTII & ALEXANDRI* cum debitâ obedientiâ parebant. Re- „ novatum eſt ſcilicet aliud bellum jam antea identidem repetitum adverſus „ Theologiam Moralem Summiſtarum, Caſuiſtas dicunt, nec non graviſſimos „ pleroſque Theologos, tam ex antiquis, quam ex modernis, qui quæſtiones „ de moribus definierant. Eximium quoddam talionis genus viſum iis, qui „ arguebantur, arguere de minimè ſanâ doctrinâ in moribus, arguentes ſe de

„ fidei erratis. Quem autem exitum habuerit iſtud bellum ſpirituale aperie-„ mus,cum illius prima initia à Calviniſtis deprehenderimus : Nam ut pri-„ mam illius originem attingamus, ab Hæreticis maximè Calviniſtis, ſicut à „ Lutheranis repetenda, qui ex quatuor maximè Deo odibiles ſe reddiderunt.

Enumeratis quatuor capitibus, unde illi Hæretici invexêre morum corruptelam, & ſocordiam in negotio ſalutis æternæ, Sermonem ſic reſumit pag.812.col.1.

„ Ut autem ab hoc improperio ſe liberarent, recriminando dixerunt,id po-„ tius convenire Theologis moralibus Eccleſiæ Catholicæ, & Romanæ, qui „ multa reſolvunt eſſe licita inter caſus conſcientiæ, ut ipſi potius peccatori-„ bus flagitioſis adulari viderentur,dum pleraſque ipſorum actiones in ſpeciem „ turpes, & legi divinæ contrarias à peccato excuſant. Inde inquiſierunt in „ ipſorum libros, & indiculos texuerunt propoſitionum hujuſmodi peccato „ patrocinantium,ut putarunt. Initium fecerunt ab inſigni volumine Thomæ „ Sanchez &c.„ Hæc ille & alia multa de origine belli ſpiritualis, ut vocat.

§. 4.

De Epiſtola Apologetica MACARII HAVERMANS S.T. *Profeſſoris ad* INNOCENTIVM XI.

QUoniam de hac *Epiſtola* frequens erit mentio in reliquo *Specimine*, eſt nobis neceſſarium quædam de illa præfari.

Prodiit nuper in lucem *Epiſtola* illa, cujus Auctor neque Perſonæ, ad quam ſcribebat,neque ſui,neque illorum,quos accuſabat,rationem habuit, quàm debebat: alloquens Majeſtatem, qua non eſt auguſtior in terris, quam indecorè exclamat! quam eſt præceps ad maledicendum iis,quos accuſat! quam ſcribit confidenter! certus eſt,non poſſe, niſi à ſe, ſententiam dici: judicium Pontificis non tam rogat, & petit,quam expoſcit, & flagitat: Eumdemque non tam conſulit, quam docet. Quam eſt glorioſus! nuſquam non exultat,inſultatque. Adverſarios non tam accuſat, quam triumphat, & tamquam certiſſimò victis exprobrat victoriam. Quam parum ſyncerus! impoſturæ non paucæ ſeſe offerent in decurſu: hic verbo tangendum artificium,quo valet præcipuè. Refutandum ſuſcepit FRANCISCVM SIMONIS, & purgandos Auctores, quorum ille dogmata repræſentarat S.Sedi. Cùm vero id ſit difficile, fingit identidem ſe accuſari, ubi accuſatur minimè; tum vero exclamat de impoſtura *Franciſci Simonis*; hujus artificii ſpecimina occurrunt num.26.pag.37.num.45.pag.62. num.40.pag.54. num.42.pag.59. num.43.pag.60.num.48.pag.68. & alibi: quam denique eſt verboſus! finem impoſuerat alloquio ſummi Pontificis, & abibat;

abibat; ecce autem abeunti ſuccurrit aliud quiddam; redit igitur, novumque Sermonem orditur, idque non ſemel, ſed iterum, donec denique finem imponit appendice probroſiſſimâ in viros Religioſos. Quis verò hæc? Profeſſione humilis Cœnobita, paucis ab hinc annis inter ſuos de diſcipulo factus Theologiæ Magiſter: Philoſophiam enim numquam docuit: tam ſe ignorans, modumque ſuum, quam eſt Juvenis ætate: annos enim haud amplius tres ſupra triginta dicitur numerare: hic ille eſt, qui Religioſos Viros omnium ordinum ſibi adverſantes tractare non erubeſcit ut Hæreticos: Videat Lector; quæ habet num.4. pag.8. num.17. pag.24. num.117. pag.199. & in appendice pag.211. pag.213. ubi arrepta occaſiuncula nullius momenti vix ſe continet quin Religioſos quoſdam Minoritas accuſet inſaniæ; certè eoſdem traducit, ut *horribilis doctrinæ* reos, & in eâdem tuendâ pertinaciæ, atque etiam ut *occulto, ſed tamen juſto Dei excæcatos judicio &c.* Hæc aliaque humilis ille, & manſuetus, qualem ſe profitetur, proſtratus ad pedes Romani Pontificis, putavit ſibi licere.

Porrò magni refert ad intelligendam Doctrinam Academicorum Lovanienſium rectè intelligi quid ſentiat Auctor Epiſtolæ Apologeticæ: agit enim & Interpretem, & Patronum illorum Auctorum, quorum dogmata repræſentaverat S.Sedi *Franciſcus Simonis*, hoc eſt, Doctorum, & Academicorum Lovanienſium. Profitetur etiam non obſcurè, ſe illorum mandato, aut conſilio has partes ſuſcepiſſe: Scribit enim nomine piorum Fidelium non ficto, aut vanè uſurpato: de hoc enim crimine accuſat *Franciſcum Simonis*, Sed legitimo, & illis volentibus impoſito: atqui inter Pios Fideles non eſt dubium, quin primum, ejus Judicio, locum obtineant Doctores, & Academici Lovanienſes, quos non obſcurè vocat num.28 pag.26. 27. zeloſiſſimos pro gloria Dei, & Eccleſiæ utilitate viros. Ad hæc conſtat Epiſtolam jam multis ante menſibus excuſam anno ſuperiori, demum prodiiſſe in lucem eo tempore, quo ſe dabant in viam Lovanienſes Doctores ad S.Sedem allegati. Conſtat etiam ſententias eaſdem, de quibus Adverſarios accuſat *Macarius*, Lovanienſes Doctores Romæ, propoſuiſſe ut à ſe reprobatas; ut non ſit obſcurum fuiſſe ab his inſtructum eoſdemque *Epiſtolam* adamaſſe, ut grande quoddam cauſæ ſuæ præſidium.

PARS

PARS TERTIA.

Specimen Doctrinę Theologicæ ex Academiâ Lovanienſi per Belgium manantis in materia morum, ſuppletis defectibus Lovanienſium Doctorum S. Sedem informantium de ſua doctrina.

CAPUT I.

Dilucidatur Doctrina circa generales Regulas Moralis Chriſtianæ, quæ paſsim traditur in Schola Lovanienſi.

§. 1.

Doctrina circa Regulas generales Moralis Chriſtianæ quam ut paſſim traditam in Schola Lovanienſi Sanctæ Sedi repræſentaſſe dicuntur Doctores Lovanienſes.

„ 1. DUo nobis innata ſunt vitia originalia, concupiſcentia, & naturalis legis „ ignorantia.

„ 2. Uti nulla concupiſcentia eſt inſuperabilis: ita nulla ejuſmodi ignoran- „ tia eſt invincibilis.

„ 3. Quippe ſicut omnis illa per divinæ gratiæ auxilium; ita omnis etiam „ hæc per ejuſdem gratiæ lumen ſuperari poteſt.

„ 4. Opera igitur noſtra naturali legi contraria, quæ ex tali ignorantia pro- „ cedunt, à peccato plenè excuſari nequeunt, ne favore quidem ullius veriſimi- „ litudinis, vel probabilitatis.

„ 5. Ad ſummum poteſt ſubinde mortalis macula dilui in venialem.

„ 6. Quod ipſum tamen locum non habet in his peccatis, quę primis natura- „ lis, & æternæ legis principiis, aut manifeſtioribus ejus præceptis adverſantur.

„ 7. Uti de peccatis carnalibus dilucidè docet *S. Auguſtinus* Expoſitione in- „ choatâ in Epiſtolam *Pauli* ad Romanos, ea ne ipſis quidem pueris, & adole- „ ſcentibus à mortali malitiâ expurgari per ignorantiam.

„ 8. Si autem actum legi æternæ, & naturali contrarium numquam plenè „ excuſet ipſius legis ignorantia, multò minus ſimplex inadvertentia, ſeu non „ reflexio ad malitiam.

§. 2.

§. 2.

Doctrina eadem de generalibus Regulis Moralis Christianæ dilucidatur præcipuè ex 1. *Parte hujus* Speciminis.

PRIMO. Animadverſione digna eſt 2. propoſitio; *uti nulla concupiſcentia eſt inſuperabilis; ita nulla ejuſmodi* (naturalis legis) *ignorantia eſt invincibilis.* Ex comparatione hâc facile intelligitur, quam vincibilitatem agnoſcant ignorantiæ legis naturæ.

SECUNDO. Magis innoteſcit ex Propoſitione 3. *Quippe ſicut omnis concupiſcentia per divinæ gratiæ auxilium; ita omnis etiam ignorantia legis naturæ per ejuſdem gratiæ lumen ſuperari poteſt.*

Sic eſt; omnis & concupiſcentia, & ignoranria ſuperari poteſt per gratiam divinam: Sed hoc non eſt omnem concupiſcentiam, & ignorantiam abſolutè, & ſimpliciter eſſe ſuperabilem: fieri enim poteſt, ut ſine culpâ hominis perſonali deſit gratia, vel auxilium ad hoc ſufficiens; in quo caſu nos putamus defectu libertatis, aut voluntarii non peccari formaliter, in quo nobis illi non aſſentientur. Imo ex principiis horum Theologorum gratia ſufficiens deeſt, quoties non ſuperatur concupiſcentia, & ignorantia. toties enim deeſt gratia efficax ad ſuperandum, præter quam nulla datur ſufficiens, ut illi cenſent, vel ſaltem completè ſufficiens, quod eodem redit. Videat Lector quæ de hac illorum doctrina dedimus in 1. parte hujus *Speciminis* cap. 1. §. 2. 3. 4. cap. 2. §. 1. 2. 3. 4. ubi comperiet hanc doctrinam eſſe propugnatam à *Franciſco van Vianen, Chriſtiano Lupo, Gerardo van Werm, Andrea Laurent*, præcipuis hoc tempore Doctoribus Lovanienſibus, aliiſque communiſſimè: neque eſt, hoc tempore inter Doctores hujus Theologicæ Facultatis, cui conſtet eam diſplicere.

Ex his patet, quam meritò *MACARIUS HAVERMANS* in ſua *Epiſtola Apologetica* num. 52. pag 80. conatus ſit perſuadere ſummo Pontifici, eſſe quæſtionem de nomine, an dicendum ſit, nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturæ, nec ne; & conſequenter an dicendum ſit nullam hujuſmodi ignorantiam excuſare, quia omnis eſt vincibilis, an verò quia ne invincibilis quidem excuſat.

TERTIO. Admirationem in Belgio peperit Propoſitio 5. oblata S. Sedi ut ſententiam continens communiter traditam in Schola Lovanienſi. Propoſitio ſic habet. *Ad ſummum poteſt ſubinde* (per ignorantiam juris naturæ) *mortalis culpa dilui in venialem.*

Alienum eſt à vero, hanc eſſe ſententiam paſſim traditam in Scholâ Lovanienſi. Vix invenias aut Librum, aut Theſim ubi hoc expreſſerint. Inter

tam multa, quæ retulimus in 1. parte *Speciminis* cap. 6. continentia doctrinam Lovanienſium de peccatis ignorantiæ una ſola occurrit aſſertio §. 1. propugnata à *Iacobo Pontano*, in quâ aliquid fortaſſe veſtigii poſſis agnoſcere illius doctrinæ, ubi de ignorantia juris naturæ ſic pronunciatur, *utpote quæ ne quidem ſemper excuſet à peccato mortali.*

Certum eſt in Schola Lovanienſi communiſſimè tradi generaliter & ſine ullâ reſtrictione Propoſitionis 5. ignorantiam juris naturæ non excuſare à peccato: videantur quæ dedimus loco citato. Imò certum eſt paſſim ab his Theologis doceri minimè obſcurè, illam non excuſare à peccato Mortali.

Audivimus in 1. parte cap. 6 §. 1. GERARDUM VAN WERM Doctrinâ & ætate inter Lovanienſes Doctores æſtimatiſſimum de ignorantiâ invincibili juris naturæ hæc propugnantem: *Quamvis autem hæc ignorantia non excuſet à toto, excuſat tamen à tanto: etſi non à tanto, ut propter illam ſit peccatum veniale quod alioqui eſſet mortale.*

Audivimus ibidem §. 2. aſſertionem propoſitam à FRANCISCO VAN VIANEN S.T. Doctore his verbis: *Nullam* (ignorantiam) *excuſare agnoſcimus in jure naturæ, ita ut inexcuſabilis ſit, ſive qui ſciens, ſive qui ignorans hujus prævaricator eſt.* Item ab eodem Doctore Aſſertionem hanc §. 3. *uſque adeò enim ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Domini, ut inexcuſabilis ſit omnis homo, quem in juris naturalis ignorantia abſorberi ita contingit, ut contra jus naturæ agat.* Ut fortiùs inculcaret *inexcuſabilitatem*, uſus eſt phraſi Apoſtoli ad Roman. 1. quam conſtat accipiendam eſſe de *inexcuſabilitate* etiam à peccato mortali.

Audivimus ibidem aſſertionem à LAMBERTO VINCENT S. T. D. Lovanienſi. *Nunquam excuſat à toto ignorantia agentem contra jus naturæ; quamvis à tanto. Unde ſi peccetur mortaliter occaſione ignorantiæ minus graviter quidem punietur; tamen in æternum.*

Legatur opuſculum MATTHÆI VAN VIANEN S.T.L. cui titulus *juris naturalis ignorantiæ notitia &c.* quod ſcriptum eſt Lovanii in Collegio Pontificio ADRIANI VI. cui Præſes erat FRANCISCUS VAN VIANEN Frater dicti MATTHÆI; neque dubium, quin conſilio, & operâ adjutor ad ſcribendum. Legatur verò opuſculum antiquis conſtans laciniis malè concinnatis, nuſquam veſtigium invenietur illius reſtrictionis, qua hic dicitur per ignorantiam juris naturæ malitia mortalis ſubinde dilui in venialem. Imò generaliter identidem affirmatur, damnationi eſſe obnoxia illius ignorantiæ peccata. Capitis 2. hoc eſt exordium.

Quid igitur? damnare poterit juſtus Deus hominem, qui neſciens incurrit malum, quod ſi ſciret, omnino declinaret, ac fugeret? Procul dubio etſi damnabiliora ſunt quæ à ſcientibus committuntur &c. Poſt pauca de Apoſtolo ſic leges: *Univerſali definitione omnes omnino homines, qui æternæ, atque immutabilis juſtitiæ æquiſſima mandata*

data ſive ſcienter, ſive ignoranter fuerunt tranſgreſſi ſub unâ eâdemque damnationis ſententiâ pariter concludit dicens, quicumque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.

Caput 3. ejuſdem opuſculi hoc habet exordium.

Hic facilè occurret humana ſuperbia, & . . . . . contendet ejuſmodi Scripturæ ſacræ teſtimonia, quibus coram Deo eſſe damnabilia monſtrantur etiam ignorantiæ peccata, non niſi de illis ignoranter peccantibus oportere intelligi, qui neſcire volunt, aut ſcire negligunt; minimè verò in iis, qui in tantâ, quanta nunc eſt, humanæ mentis caligine naturali, non tam errant voluntate, quam neceſſitate, nec quia nolunt, aut negligunt ſcire, ſed quia non poſſunt; quos damnare velle, nimis à juſtitia Divina æquitate videtur alienum. Sed talia dicentibus ipſa pro ſe Divina juſtitia veraciter primò poteſt reſpondere, quod approbare falſa pro veris, ut quis erret invitus, non ſit natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati, eaque ſit peccati pœna juſtiſſima. His habet talia conſentanea illud opuſculum.

Legatur quoque æſtimatiſſimus his noſtris Saül Exrex *IOANNIS SINNICHII* S.T.D. Lovanienſis, qui cum fuſiſſimè conetur oſtendere, nullam juris naturæ ignorantiam excuſare à peccato, nuſquam verbo inſinuat per ejuſmodi ignorantiam fieri interdum venialem culpam, quæ alioqui eſſet mortalis; ſed contra lib. 1. num. 375. *& impiis, & prævaricatoribus terræ* annumerat peccantes ex ignorantia.

Nuſquam etiam *MACARIUS HAVERMANS*, nequidem in *Epiſtola Apologetica* ad *INNOCENTIUM XI.* verbo inſinuavit reſtrictionem illam; ſed ubique ſupponit manifeſtè, non fieri veniale per ignorantiam juris naturæ, quod alioqui eſſet mortale; idque in primis in eâ quæſtione, quam tractat in *Tyrocinio* Tract. 1. cap. 8. §. 14. & in *Epiſtola* num. 61. pag. 92. & ſeq. an durante ignorantia legis naturæ juſtificari poſſit, qui contra eam peccavit, & confeſſiones facere validas?

Et ſanè qui fieri poſſet, ut ignorantia juris naturæ excuſaret à peccato mortali ſalvis principiis horum Doctorum? Peccatis illis neque libertas neque voluntarium deeſt, neque ad hoc requiritur cognitio, ac neque ſuſpicio ulla malitiæ præſens, aut præterita, ut mox intelligemus clariùs ex Interprete horum Doctorum *Macario Havermans.* Sed & actio contra legem eſt hujuſmodi, ut graviter ſit prohibita. Eſt ergo vana ſpes illa diluendæ aliquando malitiæ mortalis in venialem.

§. 3.

Doctrina iiſdem Propoſitionibus contenta dilucidatur ex Epiſtola Apologetica Macarii Havermans *ad ſummum Pontificem* Innocentium XI.

ANte omnia animadvertat Lector Lovanienſe dogma de ignorantiâ juris naturæ non excuſante, iſtud habere odioſum, quod peccatis illis ignorantiæ accerſenda ſit ratio voluntarii à peccato *Adami*, in quo peccavimus; idque etiam in Baptizatis. Rationem voluntarii illis peccatis inde accerſunt quidam ex hiſce noſtris minime obſcurè, ut vidimus in 1. parte *Specim.* cap. 6. §. 4. Indidem reliqui, etſi fere de hoc taceant, accerſere coguntur. Artificio ſimili utentes vidimus in 1. part. cap. 1. §. 4. ad vindicandam poſſibilitatem præceptorum ſaltem in ſpeciem: eodem uti licebit, uſuſque eſt *Janſenius*, & *Calvinus* ad conciliandam libertatem cum neceſſitate peccatorum.

Ratio voluntarii facilior in promptu eſſe videbitur iis, qui dicunt, omnem ignorantiam juris naturæ eſſe vincibilem. Non eſt ita: primò, quia cum vincibilem dicunt ignorantiam, intelligunt vincibilitatem per illud lumen gratiæ, quod neque adeſt ignorantibus, ut patet, neque ſemper acquiri poteſt orando &c. de quo vide dicta §. ſuperiori. Secundo quia ut credere licet *Macario Havermans* magnæ auctoritatis Interpreti illorum mentis, vincibilem vocant ignorantiam legis naturalis etiam in eo homine, qui neque cum agit contra jus naturæ, neque umquàm in vitâ ſuâ malitiam illius actionis agnovit, ne dubitando quidem, aut ſuſpicando, ut mox videbimus. Cum igitur de ratione voluntariæ malitiæ ſit aliqua cognitio malitiæ, clarum eſt, malitiam illi homini non eſſe voluntariam voluntate propriâ; adeòque ad voluntatem *Adami* peccantis recurrendum eſſe, ut in illo peccato inveniatur aliqua ſpecies voluntarii. Hæc nobis dilucidabit *Macarius Havermans* in ſua *Epiſtola*.

PRIMO. Declarat n. 52. pag. 80. eſſe quæſtionem de nomine, an aliqua ignorantia juris naturæ ſit invincibilis, an omnis vincibilis; quia & aliqua eſt invincibilis viribus naturæ, & omnis eſt vincibilis viribus gratiæ &c. His addat *Macarius* nomine ſuorum Doctorum vel illud lumen gratiæ omnibus præſtò eſſe, aut abſolutè poſſe obtineri ab omnibus, vel, ſi cui deſit, illum non peccare formaliter defectu voluntarii, vel denique rationem voluntarii peccati perſonalis repetendam eſſe à peccato *Adami*. Primum repugnat illorum dogmati de gratiâ ſufficienti; vide §. ſuperiorem. Secundum repugnat dogmati de ignorantia juris naturæ numquam excuſante. Tertium de repetenda ratione voluntarii à peccato *Adami*, vulgò placere his noſtris oſtenſum eſt in 1. parte *ſpecim.* cap. 6. §. 4.

SECVNDO.

SECVNDO. Vincibilitatem illam ignorantiæ juris naturæ mirificè dilucidat Autor *Epiſtolæ.* Cenſet omnem vinci poſſe, etiam illo temporis momento, quo peccatur; idque licet neque tunc, neque umquam in vitâ præteritâ fuerit ullâ dubitatio, aut ſuſpicio de malitiâ. Hoc videamus.

Perſuaſerat ſibi *Franciſcus Simonis* in libro *de ſtatu, origine, ſcopo &c.* ad dogma IV. ab his noſtris vincibilem dici ignorantiam, *non quod eo momento temporis, quo peccatur, vinci poſſit: ſed quod vinci ſaltem potuerit olim, vel orando Deum impenſius, vel aliis modis.* Hæc verò ſic excipit *Macarius* in *Epiſtolâ* n. 59. pag. 89. 90.

In hoc non candidè procedit, neque id hauſit ex Tyrocinio meo, quod in hoc puncto præcipuè oppugnandum ſibi propoſuit(libenter hoc ſibi imaginatur ubique *Macarius*) *ubinam umquam aſſerui, quod vincibilem dicam omnem juris naturæ ignorantiam, non quod eo momento temporis, quo peccatur, vinci poſſit; ſed quod vinci ſaltem potuerit olim, vel orando Deum impenſius, vel aliis modis?* Hæc ille Interpres Academicorum Lovanienſium, ex his, & ſimilibus identidem concludens, illos à ſe purgatos eſſe.

Hæc verò legens in *Epiſtola*, putes illum ſentire, quod eo momento temporis, quo peccatur, ſemper adſit aliqua ſaltem dubitatio, vel ſcrupulus de malitiâ. Non hoc ſentit: quia in *Epiſtola* num. 50. pag. 73. illam dubitationem, & ſcrupulum de malitia, quando operandum eſt, ſolum audet ſpondêre, quando homo non defuit ſuæ obligationi orando, vigilando &c. Sic enim ibi loquitur omnium nomine.

Nos hactenus docuimus etiam illorum præceptorum legis naturæ ignorantiam hoc ſenſu eſſe vincibilem, quatenus ſi homo non deſit ſuæ obligationi; ſed ſine intermiſſione per orationes inſtet apud ſuperni luminis largitorem, & vigiliis continuis...... practicè vincet illam ignorantiam: id eſt, ita vincet, ut non impingat in præceptum juris naturæ ignoratum, quod fiet vel acquirendo præcepti ignorati notitiam, vel ſaltem latentis mali aliquod dubium, quo dubio poſito ſi tutiorem ſequatur partem, omnino evadet periculum tranſgrediendi legem ignoratam.

Sed quid ſi non oraverit, non vigilaverit ſatis aſſiduè? Tum verò num. 60. pag. 90. cenſet quidem nullam futuram dubitationem, aut ſcrupulum de malitia; ſed tamen ignorantiam ſuperari poſſe illo momento quo peccatur. Quo id pacto? Audi

Præſumendum de Divina Bonitate, quæ non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat, quod ſi & pro illo tempore quo operandum eſt, doleat de ſuâ negligentiâ, ſeque per orationem ad Deum pro gratiâ convertat, quod efficiet, ne ignorantiæ ſuccumbat.

Sed quid ſi invincibiliter ignoret homo, ſe non oraſſe, & vigilaſſe ſatis? hæc enim eſt ignorantia facti: Quid ſi etiam ſine culpâ ſuâ non oraverit, & vigilaverit ſatis, vel quia neſciret invincibiliter ſe obligari ad plus orandum; vel quia ne orandi quidem tempus habuerit, ut in primo uſu rationis? Apparet ſanè fucos eſſe quæſitos.

 Quod

Quod dicebamus, ne quidem illum requirere, ut malitia ſaltem dubitando cognita fuerit umquam in vitâ, patet ex eo, quod in *Epiſtola* num. 76. pag. 139. vitio vertat *Franciſco Simonis*, quod ad Dogma 111. pag. 27. reprobaverit doctrinam de ignorantiâ invincibili non excuſante à peccato; Quia peccatum affert, cujus malitia non eſt voluntaria; cum ne cognoſcatur quidem, cognitave umquam fuerit. De his tamquam de magno crimine accuſans hunc Auctorem MACARIUS, *Clarè ſupponit*, inquit; *peccati malitiam non eſſe voluntariam, quando non cognoſcitur, vel cognita umquam fuit malitia.* Hæc ille rectè intelligens verba *Franciſci Simonis* de cognitione etiam per dubitationem, unde ibidem proximè contenderat ex ſimili doctrina conſequens fore, ut non peccaverint Crucifixores *Chriſti*, idque hâc ratione: omnino enim certum eſt illos nullam actualem reflexionem, vel dubium de malitia ſui peccati habuiſſe.

Ex his Lector intelligit vincibilem eſſe ignorantiam; & ex ea poſſe peccari formaliter, etſi ne quidem dubitando aut ſuſpicando umquam in vitâ venerit in mentem de malitiâ actionis. Certum eſt ex notione ipsâ voluntarii non poſſe hanc malitiam eſſe voluntariam voluntate propria peccantis: ſupereſt igitur ut repetatur ratio voluntarii à peccato *Adami*, in quo peccavimus.

TERTIO. Etiam magis hæc nobis dilucidat *Macarius* in *Epiſtolâ* num. 57. pag. 87. docens peccatum formaliter ex ignorantiâ juris naturæ, qui & numquam ſuſpicatus eſt de malitiâ, & invincibiliter ignoravit obligationem petendi illuminationem à Deo, aliiſve mediis utendi, quibus ſolis ſuperari poſſet ignorantia. *Non enim*, inquit, *illa duo . . . eadem ſunt, invincibiliter ignorare, ſe obligari à Deo petere illuminationem, & ſine culpâ ſuâ ignorare, ſe obligari à Deo petere illuminationem.*

Ecce quomodo denique relabatur in ſuam ſententiam, quam fatetur num. 52. pag. 79. ſibi aliquando placuiſſe; de ignorantiâ invincibili non excuſante à peccato: diverſa enim ſunt hujus Profeſſoris judicio invincibiliter ignorare, ſe obligari, & ſine ſuâ culpâ ignorare ſe obligari. Ergo fieri poteſt, ut quis invincibiliter ignoret ſe obligari, & tamen culpabiliter ignoret ſe obligari. Habemus igitur ignorantiam invincibilem, quæ non excuſet à culpa, cum ipſa ſit culpabilis: in promptu erit his noſtris ratio voluntarii repetita à peccato Adami.

QUARTO. Creſcit dilucidatio Doctrinæ ex *Epiſtolâ* num. 57. pag. 88. ubi eam ſimili haud incongruo *Macarius* ſic explicat. *An non in caſu à me allegato in TYROCINIO, quem hic addit Accuſator, quis propria voluntate tentatione ſuccumbit, & peccatum fornicationis ipſi voluntarium eſt propriâ voluntate, quando quis ſciens fornicationem eſſe intrinſecè malam graviter tentatur ad fornicationem, & non habens gratiam proxime ſufficientem ad illam tentationem vincendam invincibiliter ignorat ſe illam gratiam à Deo per orationem petere debere; ſicque tentationi ſuccumbens fornicatur? Non eò uſque puto veniet Accuſator ut hoc diffiteri audebit.*

Hic

Hic facile aminadvertit perſpicax Lector, fornicationi in caſu deeſſe rationem liberi proximi ob defectum gratiæ, ſine quâ non poteſt ſuperari tentatio: at verò omiſſioni orationis, à quâ deberet accedere fornicationi ratio formalis malitiæ, ſimpliciter deeſſe rationem voluntarii, cum ignoretur invincibiliter obligatio orandi.

QVINTO. Auctor *Epiſtolæ* num. 57. pag. 88. fucum affert notabilem loquens de invincibili ignorantiâ obligationis ad petendam à Deo illuminationem, quâ ſolâ vinci poſſit ignorantia legis naturæ; *Bene quis*, ait, *propria ſuâ voluntate ſe culpabiliter conjicere poteſt in talem invincibilis ignorantiæ ſtatum.*

Primum quidem ineptè vocatur invincibilis ignorantia, quæ pendet à voluntate propriâ culpabili ſaltem præſenti. Sed demus ſermonem eſſe de voluntate, & culpâ perſonali præteritâ. Primò fieri poteſt, ut detur ignorantia juris naturæ ita, ut ante omnem culpam perſonalem invincibiliter ignoretur obligatio orandi, aliiſve mediis utendi, quibus ſolis illa ſuperari poſſit: adeòque non evaditur conſectarium de peccato perſonali non voluntario, niſi voluntate *Adami*, in quo peccatum eſt. Secundò illa ignorantia invincibilis, quæ pendet à voluntate propriâ merè præteritâ, debet excuſare à peccato, niſi fucos dederit ſummo Pontifici *Macarius* num. 59. pag. 89. 90. ubi ad peccatum ignorantiæ requirit, ut tunc vinci poſſit ignorantia, cum peccatur. Sed fucorum, & antilogiarum dives eſt illa *Epiſtola*.

Paradoxam Doctrinam revocemus ad pauca. Primò eo temporis momento, quo peccat ignorans, vincere poteſt, & debet ignorantiam: & tamen illo momento ne quidem dubitat, aut ſuſpicatur de malitiâ; imò de malitiâ eâdem numquam dubitavit, aut ſuſpicatus eſt in vitâ ſuâ. Secundò: qui agit contra legem naturæ, peccat formaliter, licet malitiam actionis neque jam cognoſcat, neque cognoverit umquam in vitâ ſuâ, ne dubitando quidem, aut ſuſpicando, licet etiam invincibiliter ignoraverit obligationem orandi, aliiſve mediis utendi, quibus ſolis vinci poſſet ignorantia. Tertiò atque hæc procedunt generaliter; adeòque etiam pro illo caſu, quo eſt ignorantia juris naturæ, ſimulque invincibilis illa ignorantia obligationis orandi ante omnem culpam perſonalem. Quartò, ut peccetur formaliter contra jus naturæ ſatis eſt vinci poſſe illam ignorantiam per gratiam Divinam, etſi illa gratia deſit, uti ex communi ſenſu horum Theologorum deeſt illis omnibus, qui peccant ex ignorantia; cum non agnoſcant gratiam completè, & proximè ſufficientem: quid de hoc *Macarius* ſentiat non vacat inquirere: mirum eſſet ſi in puncto tam celebri diſſideret ab iis, quorum patrocinium ſuſcepit.

CAP. II.

CAPUT II.

Dilucidatur Doctrina Scholæ Lovanienſis De Virtute Caritatis Theologicæ.

§. 1.

Doctrina de Virtute Charitatis Theologica, quam ut Scholæ Lovanienſis S. Sedi repræſentaſſe dicuntur Doctores Lovanienſes.

„ 1. FUndamentale, ac primarium legis æternæ mandatum eſt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & Proximum tuum ſicut teipſum.

„ 2. Vocem Charitas tametſi aliqui Scholaſtici accipiant pro Solâ illâ Dei „ Dilectione, quæ eſt noſtra cum Deo per peccatorum remiſſionem amicitia „ *SS. Auguſtinus*, & alii Patres eam ſumere ſolent pro quavis ſupremi boni caſta „ propter ſe dilectione. *Quaſi verò*, inquit *Auguſtinus, aliud ſit bona voluntas, quam* „ *charitas.*

„ 3. Hinc idem S. Doctor diſtinguit charitatem natam, nutritam, adultam, „ robuſtam, perfectam duplicem, aliam præſentis, aliam futuræ vitæ, quæ di- „ ſtinctio placet frequenter & *S. Thomæ*.

„ 4. Itaque Charitas, & cupiditas generatim ſumptæ non ſunt aliud, quam „ bona, & mala Voluntas: ſunt bona & mala radix, quarum hæc ſolos malos, „ illa proferre poſſit ſolos bonos fructus.

„ 5. Omne opus, ut plenè bonum ſit, & ne venialiter quidem in eo delin- „ quatur, debet ex tali Charitate procedere, & per ipſam referri, in Dominum „ Deum: nec enim teſte *Auguſtino* de Spiritu, & litterâ cap. 14. *Fructus eſt bo-* „ *nus, qui de radice Charitatis non ſurgit.*

„ 6. Attamen iſta relatio per Charitatem perfectam fieri non debet: ſufficit „ enim fieri per Charitatem imperfectam.

„ 7. Sed neque neceſſaria eſt relatio ex Charitate Actuali ſive ex Charitate, „ ſuper quam fiat actualis reflexio.

„ 8. Hæc namque continua in operibus noſtris reflexio, eſt multis hujus „ vitæ diſtractionibus impoſſibilis.

„ 9. Sufficit ergò quod operã noſtra per Charitatem virtualem in Deum referantur.

„ 10. Continua virtualis dilectio verſari debet non ſolum circa Deum, ſed „ etiam circa Proximum. Abſit ut Chriſtiana juſtitia contenta ſit hunc ſolum- „ modo non odiſſe, aut illi ſola externa impendere officia.

§. 2. Do-

§. 2.

Doctrina eadem de virtute Caritatis Theologicæ dilucidatur ex 2. Parte Speciminis.

PRIMO. Animadvertamus ex Propoſitione 2. Caritatis nomine ab his Doctoribus intelligi *Supremi Boni caſtam propter ſe Dilectionem.*

SECVNDO. Propoſitione 5. declarari, quod peccetur in omni eo opere; adeoque omne opus ſit peccatum, quod ex tali Caritate non procedit, & per ipſam non refertur in Deum.

Oſtenſum eſt in 2. Parte *Speciminis* cap. 3. §. 1. non aliud fuiſſe dogma *Michaëlis Baji* condemnatum à Romanis Pontificibus. Idque oſtenſum eſt ex ipſis *Bav* ſcriptis, unde ſumptus eſt articulus 38. damnatus in ſenſu ab Aſſertore intento.

TERTIO eâdem Propoſitione 5. inſinuari videtur peccari ſolum venialiter, ſi quod opus non referatur in Deum per caritatem. Hoc ex illis paucos quoſdam docuiſſe conſtat, reliquis ferè contentis prædicare neceſſitatem caritatis perpetuæ, non explicando quale peccatum ſit futurum, ſi quod opus non referatur in Deum; Specimen multiplex Lector inveniet in 2. Parte toto capite 3.

Invenias ex hiſce noſtris, qui haud obſcurè inſinuarint mortale peccatum fore defectum illum caritatis.

Audivimus in 2. Parte cap. 4. §. 3. CHRISTIANVM LVPVM S.T.D. docentem mortaliter peccare eum hominem, qui de ſuis peccatis dolet ex metu gehennæ, nondum elevatus ad Dei caritatem; quia ſcilicet ille ſeipſum, & proprium commodum, tamquam ultimum finem diligit.

Audivimus ibidem §. 2. propugnatam à FRANCISCO VAN VIANEN S. T. Doctore hanc Theſim: *Inter hæc* (præcepta) *primum, & longè maximum eſt de diligendo Deo. OBLIGAT SVB MORTALI ad ſuum actum formaliter exercendum ſæpius in vita, & QVIDEM TOTIES, ut de omni homine verificari valeant; OMNI TEMPORE, DEVM SVPER OMNIA DILIGIT: Deum amat uſque ad contemptum ſui &c.*

Quod etiam LAVRENTIVM NEESEN S. T. Profeſſorem Archiepiſcopalem Mechliniæ affirmantem audivimus in 2. Parte *Speciminis* cap. 4. §. 3. quod deteſtari peccatum propter pœnam, ut magis diſpliceat pœna, quam malum culpæ, ſit MAXIMVM PECCATVM, latius itidem patet, quam ad dolorem de peccatis: ſimiliter enim in objecto omnis amoris noſtri, qui non eſt Dei amor propter ſe, aliquid erit aſſignare, quod eodem jure contendere licebit.

magis placere, quam placeat Deus, adeoque amorem omnem præter eum, qui eſt Dei propter ſe, eſſe maximum peccatum : utcumque alibi auctor ille oſtendat id ſe nolle.

Audiamus, qui ad manum eſt, Auctorem Anonymum libelli Flandrici, cui titulus ; *Alghemeyne verbintenisſe van Godt te beminnen boven al*, hoc eſt; *Communis omnium obligatio amandi Deum ſuper omnia*, quartùm recuſi Bruxellis anno 1672. Illo verò pag. 4. ſic docet.

'T is te ſeggben datmen meerdere lieſde moet bebben tot Godt, als tot eenighe ſaecke, die Godt niet en is : ende diens volghens datmen hem moet beminnen boven al dat gheſchapen is . . . . . ende die lieſde moet in ons hert vaſt ghegront blijven ſoo lanck als wy leven. Hæc latinè ſic reddere licet.

Id eſt, majorem amorem debemus gerere erga Deum, quam erga rem ullam, qua Deus non eſt : ac proinde debemus illum amare SVPER OMNIA creata . . . & hic amor DEBET HÆRERE FVNDATVS IN CORDE NOSTRO, QVAMDIV VIVIMVS.

De hoc amore loquens ille Auctor ſic pronuntiat pag. 16.

Soo wie dan Chriſtelijck wilt leven, en ſterven, en d'eeuwighe ſalігheyt bekomen, hy moet Godt beminnen boven al, op de maniere ſoo hier vooren is uytgheleydt. Hoc eſt,

Si quis igitur velit Chriſtianè vivere, & mori, & conſequi ſalutem æternam, debet Deum amare ſuper omnia eo modo qui ſupra explicatus eſt. Non poteſt igitur ſalutem æternam ille conſequi, in cujus corde non hæret ſundatus amor Dei ſuper omnia, quamdiu vivit. Pluribus hujus generis conſectandis non eſt terendum tempus.

QVARTO, quod affirmant propoſitione 6. *Iſtam relationem per Charitatem perfectam fieri non debêre, ſufficere eam fieri per Charitatem imperfectam*, ſic Lector intelligat, ut non negent eam debêre fieri per caritatem ſuper omnia : non enim omnis Dei propter ſe dilectio ſuper omnia eſt caritas perfecta judicio horum Doctorum, ut vidimus in 2. Parte *Speciminis* cap. 4. §. 4.

Porro non ſatisfieri præcepto Caritatis niſi per aſſiduum amorem Dei ſuper omnia, propugnantes audivimus *FRANCISCVM VAN VIANEN* S.T. D. verbis modo relatis in hoc ipſo §. *ÆGIDIVM GABRIELIS* in 2. Parte hujus *Speciminis* cap. 3. §. 3. *HROZNATAM VAN SAFTINGHEN* ibidem cap. 4. §. 4. Auctorem Anonymum celebris libelli *de Communi omnium obligatione amandi Deum ſuper omnia* hoc ipſo §. paucis ante hæc lineolis : *MACARIVM* ipſum *HAVERMANS* in *Epiſtolâ Apologeticâ* audiemus infra, ubi requirit quemdam Dei amorem continuum ſuper omnia ſaltem per accidens. Sed his immorandum non eſt.

QVINTO, quod affirmant *non eſſe neceſſariam relationem actualem, ſive ex charitate ſuper quam fiat actualis reflexio*, oſtendit illos per charitatem virtualem, quam prædicare

prædicare gaudent, ut ſufficientem implendo præcepto continuæ dilectionis, intelligere illum actum caritatis, ſupra quem non fit actualis reflexio. Non ergo debebat videri digna mentione propoſitio, quâ iſtud modò aſſeritur, quod ad ſatisfaciendum præcepto caritatis perpetuæ non ſit opus reflexione perpetuâ ſupra actum caritatis, ſed ſufficiat actus caritatis perpetuus. Lovanienſis Doctrinæ ſcientiſſimus *MACARIUS HAVERMANS* illam Caritatem virtualem explicat in ſuo *Tyrocinio* Tract. 2. cap. 6. §. 8. pag. 490. his verbis.

Eſt igitur dilectio virtualis verus animi motus, qui vel defectu jam dictæ reflexionis, vel ob remiſſionem, & debilitatem actus, redditur quaſi inſenſibilis, ita ut illam non experiamur, niſi in effectu . . . : Unde licet detur virtualis Dei dilectio, quæ non ſit formalis, cum homo ſæpe aliquid amet, quamvis illud non cogitet, & advertat, ſeu ſupra illud reflectat, tamen non datur virtualis Dei dilectio; quæ non ſit actualis. Videri poſſunt quæ ad hæc adnotavimus in 2. Parte *Specim.* cap. 3. §. 5.

Nemini non placet illud *S. Auguſtini*; quod habet Propoſitio 5. *Quaſi verò aliud ſit bona voluntas, quam Charitas*, quem ipſum locum non dubitavit *Michaël Baius* in opuſculo *de Charitate* (unde ſumpta eſt propoſitio damnata; *Omnis amor aut vitioſa eſt cupiditas &c.*) cap. 7. pag. 33. col. 2. ſic accipere, quaſi diceretur nulla eſſe bona voluntas, quæ non eſſet purus Dei amor propter ſe. Saniores Theologi non dubitant ex hujuſmodi locis *Auguſtini* argumentum ſumere contra Calvinianos, & Lutheranos Auctores articuli Anathematizati à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 31. (vide quæ dedimus in 2. Parte cap. 2.) & contra *Baium*, & Bajanos Auctores propoſitionis damnatæ à Romanis Pontificibus; *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas . . . . aut laudabilis illa charitas &c.* & incunctanter *Auguſtinum* intelligunt de caritate quâdam impropriè dictâ, vel, ſi placet, de caritate virtuali; non tamen virtuali in ſenſu horum Doctorum, quem audivimus, ſed virtuali in ſenſu Thomiſtico, ob ordinabilitatem particularis boni ad bonum univerſale, quæ cogitatio in *D. Thomâ* mirè diſplicuit *Michaëli Baio* in in opuſculo de *Virtutibus impiorum* cap. 3. & 4.

§. 3.

Proponuntur ea, quibus defectum Doctorum Lovanienſium, informantium S. Sedem de ſua Doctrina in materia caritatis ſupplevit Macarius Havermans *in Epiſtolâ Apologeticâ ad* Innocentium XI.

PRIMO: Quoniam nimis manifeſtum eſt, non poſſe ſtare, generalem obligationem actiones omnes referendi in Deum per Caritatem, niſi opera omnia infidelium ſint peccata, & virtutes Philoſophorum ſint vitia; quæ eſt Propoſitio 25. ex Bajanis damnatis, adlaboravit *Macarius* in *Epiſtolâ Apologeticâ* modis variis, ut ſe, ſuoſque hâc invidiâ eximeret. Noſtris Doctoribus magis tutum eſt viſum de conſectario ipſo, & ſimilibus tacêre.

Etenim primò cauſatur num. 22. pag. 32. etiam infideles ante perfectam fidem illuminari identidem, quantum ſatis eſt, ut imperfectè poſſint amare Deum, & ſic in aliquâ actione poſſint non peccare.

Sed demonſtratum eſt ſuprà in 2. Parte *Specim.* cap. 3. in obſervat.præamb. ad §. 4. Propoſitionem eſſe deſumptam ex *Bay* opuſculo *de Virtutib. Impior.* & ex ſenſu *Bay* intelligendam eſſe de virtutibus, ut illæ delineatæ ſunt in libris ethicis Philoſophorum, quas ibi docui: *Bajus* eſſe vitia ob defectum relationis in Deum per Caritatem. Hæc eadem illi demonſtraverat *Franciſcus Simonis*, ſed illa omnia *Macarius* præterivit cæcus, & ſurdus, ut ad ſe nihil pertinentia, qui ſuſtinêre pergat, propoſitiones illas non eſſe condemnatas in ſenſu ab Aſſertoribus intento. Legatur *Epiſtola* num.23.pag.33.

Attamen ut oſtendat non ſibi obeſſe, ſi condemnatæ ſint in ſenſu ab Aſſertoribus intento, hanc viam init. Primum quidem ſibi fundamentum locat de impoſturâ ſuſpectum num.23.pag.33.his verbis.

Adverſarii prætendunt omnes illas Propoſitiones eſſe in ſenſu *Bay* condemnatas, illumque omnes illas propoſitiones docuiſſe.

Hoc fundamentum licebit impoſturis adnumerare, donec prodiderit, quinam ex Adverſariis id prætenderint. Adverſarium agnoſcit *Franciſcum Simonis*, contra hunc enim ſcribit *Epiſtolam*: hic verò alieniſſimus eſt à tantâ imperitiâ, neque uſpiam, ne leviſſimè quidem id prætendit.

Hoc fundamento poſito aſſumit ut conceſſum ſibi ab Adverſariis, *Baium* docuiſſe Propoſitionem 35. *omne quod agit peccator, vel ſervus peccati peccatum eſt*; uti & Propoſitionem 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Tum verò ex his propoſitionibus eruit pag. 34. ſenſum propoſitionis 25. *Omnia opera Infidelium ſunt peccata &c.* quia nimirum omnes Infideles ſunt peccatores, & omne, quod agit peccator, peccatum eſt. Straminea

Straminea ſunt hæc omnia: primò quia ſolum ex hypotheſi, quod aliqui adverſarii prætenderint, omnes illas Propoſitiones eſſe *Baji*, quod etſi verum eſſet, nihil cauſam ipſam juvaret imperitia Adverſariorum. Secundò quia Propoſitio 35. *Omne quod agit peccator, peccatum eſt*, non eſt propoſitio *Baji*; certè non conſtat eſſe: nuſquam invenitur in ſcriptis *Baji*, uti neque Propoſitio 40. Denique quia ſenſus propoſitionis; *Omnia opera Infidelium ſunt peccata*, aliarumque affinium, eruendus eſt ex locis propriis *Michaëlis Baji*, unde ſumptæ ſunt; Extant loci illi, aſſignatique ſunt à *Franciſco Simonis*; atque à nobis ſuprà, & oſtenſus *Baji* ſenſus idem prorſus, qui *Macarii.*

SECUNDO. Franciſcus Simonis animadvertens *Macarium* in ſuo *Tyrocinio* docère, hoc titulo damnatam eſſe Propoſitionem 25. *Omnia opera Infidelium ſunt peccata &c.* quod etiam Infideles quædam referrent in Deum per Caritatem, non dubitavit ad Dogma V. pag. 37. quin illi placeret hæc ſaltem Propoſitio; *Virtutes Philoſophorum actiones ſuas non referentium in Deum per Caritatem ſunt peccata.* Sed ille in *Epiſtolâ Apologeticâ* num. 35. pag. 47. de hoc miratur, & denique huc res redit: *Non ſequitur*, inquit, *propriè loquendo, quod opera, quæ faciunt Infideles, & non referunt in Deum, ſint peccata, & vitia, ſed bene, quod peccent, qui talia opera ponunt.*

Notet Lector ſubtilitatem: Opera non ſunt peccata; ſed peccant, qui talia opera ponunt. Sed & meminerit dictum Baji in opuſc. *De Virtutib. Impior. cap. 2. non itaque de officiis mihi quæſtio eſt, quæ aliqua ex parte poſt lapſum in natura humana remanſerunt integra, ſed de virtutibus, quæ etiam finibus diſtinguuntur à vitiis.* De his vide noſtra in 2. Part. *Specim.* cap. 3. §. 4. ſub finem

TERTIO: Ex generali obligatione actiones ſingulas referendi in Deum per Caritatem conſtat, *Non eſſe veram legis obedientiam, quæ fit ſine caritate*; quæ eſt propoſitio 16. ex Bajanis à Sede Apoſtolica damnatis. Hic quoque *Macario* num. 36. pag. 49. in promptu eſt cavillatio ſimilis huic, quam audivimus: *Opera non ſunt peccata, ſed peccant, qui talia opera ponunt.* Quamquam mox num. 38. pag. 52. non obſcurè admittit conſectarium, quod objecerat, *Franciſcus Simonis* his verbis conceptum. *Non eſt abſoluta obſervatio legis, quæ fit ſine actu caritatis*; non enim illud rejicit *Macarius*, niſi intelligendo per *actum caritatis, caritatis perfecta, vel qui procedit ab habitu caritatis*: Sic enim ibi loquitur.

QUARTO. Non ſatis acquieſcens ſibi; aliter, aliterque cavillatur, num. 22. pag. 32. ſic ſe tuetur.

Falſum eſt quod omnia Infidelium opera ſint peccata: quia ipſorum opera indeliberata rationem planè prævenientia non ſunt peccata: neque etiam illa, quæ ex ignorantiâ invincibili fiunt.

Quod attinet ad primam partem cavillationis, certum eſt, non ideo damnatam eſſe propoſitionem; quia *Bajus* nequidem exceperit actus indeliberatos: Fortitudo, Temperantia, & reliquæ Virtutes Philoſophorum, de quibus pro-

cedit Propoſitio,non erant actus indeliberati. Videat Lector, quæ dedimus in 2. Part. *Specim.* cap. 3. §. 4. in obſervat. præambulâ ſub finem.

Pars cavillationis poſterior eſt mira. Sperat Auctor *Epiſtolæ*, damnatam eſſe Propoſitionem, quia nequidem excepta ſint opera Infidelium, quæ fiunt ex ignorantiâ invincibili. Dubitari non poteſt, quin loquatur de invincibili ignorantiâ legis obligantis ad aſſiduam Dei Dilectionem: quia aliarum legum invincibilis ignorantia non excuſabit Infidelem ne peccet contra legem Caritatis, ſi opera ſua non referat in Deum,ut per ſe patet. Hoc poſito indignè ludit Rom. Pontificem; cum nullam agnoſcat invincibilem ignorantiam legis præcipientis aſſiduam Caritatem: quia & in ſuo *Tyrocinio* tract. 2. cap. 6. §. 6. docet ex profeſſo legem illam Caritatis eſſe naturalem: & non ſolùm in *Tyrocinio*, ſed etiam in *Epiſtolâ Apologeticâ* à num. 49. pag. 69. docet omnem legis naturæ ignorantiam eſſe vincibilem.

§. 4.

Proponitur notabile conſectarium ex Doctrinâ Michaëlis Baji *de obligatione perpetuæ Caritatis, admiſſum à* Macario, *& ſupplemento futurum defectui Doctorum informantium S. Sedem de Doctrinâ ſuorum.*

Fugit *Franciſcum Simonis* perſpicacem alioqui virum, notabile conſectarium ex doctrinâ illâ *Baji*, & noſtrorum Theologorum; ſed non fugit *Macarium*, qui illud & vidit,& admiſit. Argumentatio ſic formari poteſt.

Peccat homo quoties eligit quidpiam ex alio motivo ultimato, quam caritatis Theologicæ: ergo & peccat, quoties ex duabus rebus Deo placentibus eam eligit,quæ placet minus. Probatur conſequentia. Quia fieri non poteſt, ut oblatis duabus rebus Deo inæqualiter placentibus, eligat quiſpiam minus placentem Deo præ aliâ magis placente, idque ex ultimato motivo caritatis: quis enim intelligat, motivum ultimatum, cur id eligas, quod minus placet Deo, præ alio, quod magis placet Deo, eſſe ultimatum motivum caritatis erga Deum? poteſtne movêre caritas,ut minus velis placêre Deo? ulterius ergo infertur,peccare hominem, quoties oblatis pluribus Deo placentibus non eligit,quod magis Deo placet,ſive quod eſt perfectius. Unde & conficitur conſilia Euangelica non eſſe merè conſilia,ſed præcepta.

Nos verò *Macarium* audiamus num. 32. pag. 45. ubi aliâ ductus ratione conſectarium ipſum admiſit his verbis.

Non enim ſibi perſuadêre debent pii fideles, ſolos Religioſos obligari vi profeſſionis Religioſæ tendere ad perfectionem,& ſanctitatem, non verò ſæculares: id enim alienum

eſt à Perfectione Chriſtianiſmi, omnes enim Baptizati vi profeſſionis facta in Baptiſmo obligantur ad perfectionem; & regula Euangelica perfectionis non ſolis Religioſis, ſed omnibus Chriſtianis tradita ſunt, ut docet bene Cardinalis BONA.

Vide Lector: Omnes Baptizati obligantur ad perfectionem. Graviter ergo errant vulgò ſibi perſuadentes, ne Religioſos quidem obligari ad perfectionem; ſed ſolùm ut ad perfectionem tendant. Ut verò probet omnes Baptizatos obligari ad perfectionem, mox hæc ſubdit. *Regula Euangelica Perfectionis, non ſolis Religioſis, ſed omnibus Chriſtianis tradita ſunt.* Cenſet ergo quod Regulæ Euangelicæ perfectionis omnes Chriſtianos obligent, neque enim alioqui ad rem id faciat. Atqui Regulæ Euangelicæ perfectionis ſunt conſilia Euangelica vulgò dicta, E. C. *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende, qua habes, & da Pauperibus* & aliâ hujus generis. Ergo obligant unumquemque Chriſtianum conſilia Euangelica.

His ſimilia quædam ſi legerentur in libro aſcetico, poſſet hoc dari conſuetudini piorum ſcriptorum, ut interpretaremur, non eſſe intellecta in eo rigore, quem verba præ ſe ferunt: debebat *Macarius* hanc humanitatem Emin. Cardinali *Bona*. Suam verò mentem ne ſic interpretari liceat, facit primò genus ipſum ſcriptionis: *Epiſtolam* ſcribens ad Rom. Pontificem informatoriam de Doctrinâ Theologicâ ſuâ & ſuorum, Profeſſor ipſe Theologiæ & diſputans Theologicè, ſanè præſumendus eſt obligationem appellare obligationem, verbiſque eam vim dare, quam merentur: Facit ſecundò materia, quam tractat. Hoc enim agit, ut probet eſſe obligationem propriè dictam actiones omnes humanas referendi in Deum per caritatem.

§. 5.

Compendio exhibetur perplexa & plena timoris obligatio, quam prædicant hi noſtri Theologi.

SUmma huc redit ex 2. parte *Speciminis* toto cap. 3. Peccatur contra Primum maximumque mandatum omni eâ actione humanâ, quæ non fit ex Caritate Theologicâ. Peccatum hoc eſſe veniale ajunt quidam: plerique tacent de quantitate peccati: alii non obſcurè ſignificant eſſe mortale, ut ſuprà vidimus cap. 2. §. 2. Hoc inter omnes convenit, illam caritatem perpetuam eſſe neceſſariam, ut impleatur præceptum amandi Deum ex toto corde, ex tota anima &c. Nulla hic ignorantia excuſat, cum lex caritatis ſit naturalis; hujus verò ignorantia nulla excuſet, ut cenſent hi noſtri.

Hinc naſcitur triſtis conditio Infidelium: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata*; propoſitionem accipiendo in ſenſu *Baji* de omni eo opere, quod non fit ex caritate, quod re ipſâ admittunt hi noſtri. Vide Part. 2. *Specim.* cap. 3. § 4.

Sed

Sed & Fidelibus perplexa res eſt. *PRIMO* quia res ardua eſt,& vix ulli ſperabilis, perpetua caritas.

SECVNDO. Quia ſi conſtet caritatem perpetuam eſſe præceptam,ut cenſent illi, profectò ſaltem dubium eſt, an non ſit præcepta caritas perpetua ſimulque perfecta,aut ſuper omnia:qualem re ipsâ præceptam eſſe declarant ex illis quidam,quos audivimus in 2.Part. *Speciminis* cap 3.§.3. Ex verbis quidem Decalogi,& pronunciatis Patrum ſi deduci queat obligatio caritatis perpetuæ, nihilò difficilius deducetur obligatio caritatis perpetuæ ſimulque perfectiſſimæ. Humanis viribus impar fore dices illud præceptum. Sic eſt: ſed & facile dictu eſt impar eſſe humanis viribus præceptum caritatis perpetuæ. Eſt quoque in promptu reſponſio, *Macarii Havermans in Tyrocinio* tract.2.cap.6.§.3. *Potuit homo in ſtatu innocentiæ conſtitutus, cui natura illud præceptum impoſuit, plenè & perfectè implere illud præceptum .... Quod autem homo peſſimâ ſuâ voluntate ſe conjecerit in quamdam impotentiam quam & voluntariè continuat, ideo non tenetur natura ſuas immutare leges.*

TERTIO. Si conſtet præceptum illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* Obligare ad dilectionem perpetuam,ut cenſent hi noſtri, eſt profectò ut minimum dubium,an non obliget ad illam dilectionem ſub gravi peccato: quo enim argumento id negant ex illis quidam ? hoc dubium ſi jungatur proximè priori, ſi addideris quoque non excuſare impotentiam, non etiam ignorantiam,& ſtatue,quæ vita ſit relicta.

QVARTO. Si peccat homo omni eâ actione, quam non exercet ex caritate, manifeſtum eſt,quod & peccet eligendo minus bonum præ magis bono: cum ſit impoſſibile minus bonum præ magis bono eligi ex caritate: hoc poſito jam nulla dantur conſilia Euangelica; ſed omnia ſunt præcepta; quod re ipſa admittit *Macarius Havermans in Epiſtola Apologetica,* ut vidimus §.Superiori.

QVINTO. Cum nulla ſit vera virtus, quam non imbuat, vel imperet caritas, conſequens eſt quoque,nullam eſſe veram fidem, quæ non imperetur à caritate,quod & valde communiter docent hi noſtri, ut vidimus in 2. Parte *Specim.* cap.1.§.ult. Quoniam ergo ut minimum valde eſt probabile ad reliquarum virtutum Chriſtianarum actus priorem requiri actum Fidei, hic ad illa ſuperiora accedit res omnium perplexiſſima, ut & Fidem obtineamus imperatam à caritate,& caritatem dependentem à Fide. Hæc ſufficiant de morali Doctrina horum Theologorum in materia Caritatis.

CAP.

CAPUT III.

Dilucidatur Doctrina Scholæ Lovanienſis de virtutibus Fidei & Spei Theologicæ.

§. 1.

Doctrina de virtutibus Fidei, & Spei Theologicæ, quam ut ſcholæ Lovanienſis S. Sedi repræſentaſſe dicuntur Doctores Lovanienſes.

PRopoſitiones Doctrinam continentes de virtutibus Fidei, & Spei offeruntur nobis connexæ propoſitionibus de Caritate: quare viſum fuit, ne numeros quidem ſingulis appoſitos mutare.

11. „ Par nobis obligatio eſt Fidei, & Spei, etiam per has obligamur divi„ næ Majeſtati continuè ſaltem virtualiter adhærere.

12. „ Fides debet eſſe aſſenſus firmiſſimus. *S. Clemens Alexandrinus* docet „ rectè, firmiorem eſſe omni demonſtratione: quare quicumque cenſet poſſe „ eſſe probabilem dumtaxat æſtimationem, jam pridem damnatus eſt in *Petro* „ *Abailardo.*

13. „ Debet eſſe non naturalis, aut latè dicta, ſed omnino ſupernaturalis, & „ innixa auctoritati Dei loquentis, per quam credantur, quæ divinitus revela„ ta, & promiſſa ſunt.

14. „ Ad juſtitiam, & ſalutem neceſſaria Fides expreſſè debet tendere in „ unam divinæ Majeſtatis eſſentiam, ac in tres perſonas; item in Deum remu„ neratorem: etiam in *Chriſtum* Mediatorem: noviſſe debet ejus incarnatio„ nem, Paſſionem, Mortem, Reſurrectionem.

15. „ Horum omnium expreſſa Fides eſt neceſſarium juſtificationis me„ dium: quicumque vel unum eorum ignorant, licet baptizati ſint, ſunt ex il„ lorum numero, de quibus ad *S. Petrum Alexandrinum* clamavit olim Angelus; „ ut quid huc jactatis vacua marſupia.

16. „ Hinc Epiſcopi, Presbyteri, Curati aliique omnes animarum directo„ res rigidiſſimè obligantur fidelem populum de iis omnibus plenè inſtruere; „ quod præceptum merito innovavit Synodus Tridentina.

§. 2.

Dilucidatio Doctrinæ.

PRIMO: ad Propoſitionem 11. memor ſit Lector ex dictis §. 2. cap. præced. num. 7. continuationem virtualem Fidei, & Spei per totam vitam aliud non eſſe ex mente horum Doctorum, quam actus Fidei, & Spei continuatos per totam vitam; ſed ita, ut non fiat ſupra illos reflexio.

SECUNDO: Propoſitionis 12. prior Pars exploratiſſima eſt: firmiſſimum oportet eſſe aſſenſum Fidei: veriſſimum eſt *Clementis Alexandrini* dictum.

At verò poſterior propoſitionis Pars invidioſa eſt bonis viris; quaſi ullus in Belgio docuiſſet, fidem eſſe, aut omnino poſſe eſſe *probabilem dumtaxat æſtimationem*, quod *Abailardus* deliravit cujus dogma explicuit *S. Bernardus* tract. de erroribus *Abailardi* cap. 4. his verbis: „ Fidem diffinit æſtimationem: *QUASI CUIQUE IN EA SENTIRE, ET LOQUI, QUÆ LIBEAT, LICEAT.* Aut pen„ deant ſub incerto in vagis, ac variis opinionibus noſtræ Fidei Sacramenta, & „ non magis certâ veritate ſubſiſtant..... abſit ut hos fines fides habeat Chri„ ſtiana. Academicorum ſint æſtimationes, quorum eſt dubitare de omnibus, „ ſcire nihil. Ego verò ſecurus in Magiſtri Gentium ſententiam pergo, & ſcio, „ quoniam non confundar, placet mihi, fateor, illius de fide diffinitio; etſi iſte „ etiam ipſam latenter inſimulet. Fides eſt, ait, ſubſtantia rerum ſperandarum, „ non immanium phantaſia conjecturarum. Audis ſubſtantiam, *NON LICET* „ *TIBI IN FIDE PUTARE, VEL DISPUTARE PRO LIBITU.* Non hac illacque „ vagari per inania opinionum, per devia errorum &c. „

Patet ſanè errorem Hæretici hunc fuiſſe, ut in Chriſtianâ fide nihil eſſet certi; aut firmi, *quaſi*, ut *S. Bernardus* explicat, *cuique in eâ ſentire, & loqui, quæ libeat, liceat*, atque *in fide putare, vel diſputare pro libitu.*

Eſtne in Belgio, aut omnino in Eccleſiâ Theologus, cui placuerit hæc impietas? non eſt. Sunt qui docuêre primum quidem cum S. Thom. 2. 2, q. 10. a. 1. & aliis paſſim Theologis fieri poſſe, ut homo quiſpiam ſine culpâ ſuâ penitus ignoret revelatum à Deo eſſe Myſterium SS. Trinitatis exempli cauſa: tum verò & fieri poſſe, ut homo quiſpiam haud ſatis etiamnum inſtructus ſine culpâ ſuâ, incipiat judicare ſolum probabiliter, quod Deus revelaverit, ſe eſſe Trinum in Perſonis. Quia verò cenſent, nihil huic defuturũ, ut poſſit credere ſaltẽ naturali quadam fide ob auctoritatem Dei loquentis; addunt, ſine incommodo dici poſſe, quod talis quiſpiam aſſenſus fidei ſupernaturalis ſit, influente aliquo principio ſupernaturali; ſi voluntas, quod poteſt, illi adjungat adhæſionem, & firmitatem ſummam, ita tamen, ut ſic credens, graviter obligetur inveſtigare ampliora ſigna credibilitatis, quæ conſtat evidentiſſima eſſe, ut fidem ſuam

perficiat,

perficiat, adſpirante, ut cœpit, divinâ gratiâ. Hæc in Belgio quidam, hæc alibi docuerunt multò plures, ſi hos inſinuatos velint hi Doctores damnatos in *Petro Abailardo*, Deus illis ignoſcat.

TERTIO: Propoſitione 13. ut aliquod operæ pretium videatur habere, intelligitur inſinuari, quod in Belgio, vel ſaltem alicubi doceatur, fidem Chriſtianam non debere eſſe ſupernaturalem; docuerunt quidam in Belgio ſecuti inſignes Auctores, ſed nullâ contentione, aut ſtrepitu, neque magni facientes quæſtionem, quod fides latè dicta de exiſtentia Dei ſatis momenti habere poſſet ad juſtificationem accedente Caritate; ſed id nemo docuit de fide naturali; nemo etiam ita generaliter, ut illis ſufficere dixerit fidem latè dictam, quibus innotuit revelatio Myſteriorum divinorum.

QUARTO: Circa Propoſitionem 14. 15. 16. permittuntur in Belgio hi Doctores abundare in ſenſu ſuo. Fundant ſe in quibuſdam *S. Auguſtini* teſtimoniis, quæ vulgò Auctores cenſent non eſſe accipienda ex ejus mente in ſummo rigore verborum; uſque adeò, ut Cardinalis *de Lugo* diſp. 12. *de Fide* ſect. 4. num. 101. affirmet, neminem fuiſſe Theologorum, qui tàm generaliter affirmarit, fidem illorum omnium explicitam eſſe neceſſariam neceſſitate medii.

§. 3.

Supplentur ea in quibus defecerùnt Doctores Lovanienſes, ſuæ ſcholæ Doctrinam de virtutibus Theologicis exponentes apud ſanctam Sedem.

PRIMO: Amplam materiam ſuppeditabat Materia Fidei, in qua expoſuimus varias ſententias horum Doctorum, de quibus certè merebatur conſuli hâc occaſione Sedes Apoſtolica.

Expoſuimus primo in 2. parte hujus *Speciminis* cap. 1. §. 1. 2. 3. Doctrinam Lovanienſium Academicorum factis ipſis comprobatam cùm Romæ, tùm in Belgio, de obſervantia debita conſtitutionibus & decretis Sedis Apoſtolicæ. Non vacat hic repetere illas hiſtorias; ſed neque alias addere, quod omnino poſſemus. Hoc certum eſt elucere in illis quaſdam Doctrinas, de quibus meritò poteſt ambigi, an ſint uſquequaque tutæ, & de quibus utiliter conſuli poſſet ſancta Sedes.

Expoſuimus ſecundo ibid. §. 4. Doctrinam Lovanienſium Academicorum de quodam Commate, ſeu Virgulâ disjunctiva in Bulla Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. quod abolendum illi cenſent, ut nonnullæ ex Propoſitionibus Bajanis; *Suſtineri poſſint in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento*: quâ inventione metuunt cordati Viri, ne penitus enervetur graviſſima conſtitutio. Cur non conſuluerunt Sedem Apoſtolicam de illo Commate?

Si negent illam eſſe ſcholæ ſuæ Doctrinam, at certè merebatur de illâ conſuli S.Sedes tamquam de doctrinâ ab ipſis improbata. Etenim conſtat illâ doctrinâ de abolendo Commate uſque ad hunc diem non parum turbari pacem in Belgio, quippe quæ etiam hoc tempore vindicetur acriter, & ultro citroque ſcriptis libellis ventilata ſit nuper admodum.

Sed quî negare poſſunt illam eſſe ſuorum Doctrinam? pleno marte illam vindicavit *MACARIVS HAVERMANS* Lovanienſis Academiæ Alumnus Spei magnæ apud hos Doctores & deſtinato conſilio patronus cauſæ totius Academiæ apud S.Sedem hoc tempore agendæ. Vindicavit verò non ſolùm in *Tyrocinio*, ſed etiam in ſuâ *Defenſione*; & quidem ſummâ contentione vindicare eamdem eſt auſus in ipſa *Epiſtola Apologetica* ad *Innocentium XI.* num. 23. pag. 33. Hanc verò *Epiſtolam* approbavit *ARNOLDVS EYBEN Eccleſiæ Cath. D. Virginis Antverpiæ Canonicus Theologalis*, & S.Theologiæ Licentiatus Lovanienſis: approbavit verò ampliſſimè, ut *adſtruentem Doctrinam Euangelicam*. Approbavit itidem *IVDOCVS ROVCOVRT* S.Theologiæ Licentiatus Lovanienſis præcipui nominis. *Defenſionem* verò in quâ acerrimè propugnatur Doctrina eadem, approbavit *ANDREAS LAVRENT* S.T.Doctor Lovanienſis ut *Libellum, qui nihil à Fide, & moribus docet alienum, lectoribus, qui viam ad cælum ſecuriorem in veritate doceri cupiunt .... utilem*: aſſerens etiam, libello eodem infundatam demonſtrari reprehenſioni *Tyrocinii* per quaſdam Theſes Theologicas, quibus imprimis continebatur reprehenſio Doctrinæ de abolendo celebri commate è Bulla Pontificum contra Articulos Bajanos. Approbavit eamdem *LAMBERTVS VINCENT* S.T.Doctor & Profeſſor Lovanienſis: approbarunt *CHRISTIANVS LVPVS & LAMBERTVS LE DROV* S.T.Doctores & Profeſſores Lovanienſes; & quidem ut *Doctrinam S.P.AVGVSTINI ...... contra nonnullos oppugnatores ſtrenuè aſſertam & ab impactis moribus* (erroribus) *vindicatam*. Atqui inter impactos errores erat illa Doctrina de abolendo Commate. Approbavit denique *ARNOLDVS EYBEN* de quo ſupra, *ut nihil continentem orthodoxæ Fidei, aut Chriſtianæ pietati diſſonum*.

Doctrina eadem de abolendo commate locum habere meruit in Faſtis ipſis Academiæ Lovanienſis celeberrimo libro, ut vidimus in 2. Parte *Specim.* cap. 1. §.4. placuit quoque, ut ibidem vidimus, Auctoribus libri cui titulus; *Rationes ob quas Illuſtr. D. Archiepiſcopus Mechlinienſis à promulgatione Bullæ, quâ proſcribitur liber cui titulus CORNELII IANSENII AVGVSTINVS &c.* Conſiliariis utebatur Archiepiſcopus Lovanienſibus Theologis, ut novit *FRANCISCVS VAN VIANEN* S.T.Doctor.

Poteſtne poſt hęc dubitari, quin hęc ſit Doctrina Scholę Lovanienſis, vel paſſim à Lovanienſibus tradi ſolita? uſquamne in controverſiâ tam celebri contrariam docuit ex illis unus ſaltem? Neque in Theſibus illorum, neque in libris, neque in ſcripto quopiam id licuit deprehendere. Poterant ergo Lovanienſes Doctores in quæſtione tantâ conſulere S.Sedem hâc occaſione. Expo-

Expoſuimus 3. in 2. parte *Speciminis* cap. 1. §. 5. Doctrinam Lovanienſium Academicorum contra Infallibilitatem Pontificis & Eccleſiæ in quæſtione de hæreſi alicujus libri: quæſtionem facti vocare gaudent. Hanc verò eſſe Lovanienſium Doctrinam nemo dubitabit, qui ea legerit, quæ dedimus loco citato. Eſt verò quæſtio illa graviſſima, ut per ſe patet; in quâ agitur de auctoritate conſtitutionis *ad ſacram*, qua condemnavit *Alexander VII.* Quinque propoſitiones, ut excerptas ex libro *Corn. Ianſenii* atque in ſenſu à *Ianſenio* intento; de cujus auctoritate quamdiu his noſtris diſceptare licebit, pax nulla in Belgio ſperanda, ac ne in Eccleſiâ quidem. Erat ergo omnino operæ pretium in quæſtione tantâ conſuli Sanctam Sedem ab hiſce Doctoribus.

SECVNDO: Quod ad virtutem ſpei attinet, conſuli merebatur S. Sedes, an ſatis congruat canoni 31. ſeſſ. 6. Conc. Trid. Doctrina Lovanienſium Docentium, quod peccet quiſquis iutuitu æternæ mercedis benè operatur, ita ut ulterius ſuam operationem non referat in Deum per puram Caritatem. Doctrinam expoſuimus in 2. parte *Speciminis* cap. 2. cui inſeri meretur aſſertio propugnata à *GERARDO VAN WERM* S. T. D. Lovanii die 4. Decemb. 1660. his verbis concepta:

Quamvis verò intuitu mercedis æternæ Deo ſervire licitum ſit & laudabile, peccat tamen, qui Deo merè propter bona ſervit temporalia; imò & qui propter claram ejus viſionem, dum eamdem ad ipſum Deum ultimatè non refert.

TERTIO: Conſuli merebatur eadem S. Sedes, an ſatis tutum ſit dicere, quod nulla detur non ſolum Theologica, ſed ne quidem Chriſtiana aut vera virtus, niſi vel ſit Caritas, vel imperata à Caritate. Vide quæ dedimus in 2. Parte *Specim.* cap. 3. §. 5. ita ut ne quidem Chriſtiana fides dari poſſit, quæ à Caritate non imperetur. Doctrinam expoſuimus ibid. cap. 1. §. 7.

QVARTO: In univerſa materia Caritatis quàm perfunctoriè informaverint S. Sedem de ſuâ doctrinâ ex iis intelligitur, quæ dedimus ibidem toto cap. 3.

Ibi enim expoſuimus doctrinam Lovanienſium Academicorum conſonam propoſitioni Bajanæ trigeſimæ octavæ. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à IOANNE prohibetur, aut laudabilis illa Charitas, quâ per Spiritum S. in corde diffuſâ Deus amatur.* Propoſitioni bajanæ 16. *non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate*, propoſitioni bajanæ 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Doctrinæ aliæ aliis propoſitionibus conſonæ referri potuiſſent, ſed erat tædioſum. Cur verò de tam multis tanti momenti quæſtionibus ad S. Sedem nihil hi Doctores hâc occaſione?

Prætereamus doctrinam illam omnem in materia Quinque Propoſitionum, quam expoſuimus in 1. Parte *Speciminis*; reduci illa poterat ad materiam fidei, vel alibi locum obtinere: pertinet enim illa quoque ad mores, quod non negabit *Gummarus HVYGHENS* S. T. Doctor Lovanii, quo præſide ibidem de-

ſenſæ ſunt Theſes die 8. Octobris 1676. in quibus quoddam erat *Impertinens*, quo dicebatur doctrina de gratiâ ſufficienti, hodie paſſim aſſerta, eſſe *Totius Moralis corruptio.* Sed de his infrà.

Porrò hæc aliaque præterita à Doctoribus informantibus S. Sedem extra controverſiam illa ſunt, quibus annos non paucos uſque ad hæc tempora præcipuè inquietatum fuit Belgium, non ferentibus bonis viris tam parvam à tam multis vel nullam haberi rationem Conſtitutionum Pontificiarum in materiâ Quinque Propoſitionum Janſenianarum, & Propoſitionum Bajanarum. His ergo nitidè exponendis Satius erat operam dari à Doctoribus, quam corradendis ex totâ Europâ propoſitionibus, de quibus pleriſque in Belgio controverſia eſt nulla.

CAPUT IV.

Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de Iuramento, & mendacio.

DOctrinam duabus hiſce propoſitionibus complexi ſunt.

„ 1. Sic verbis utendum eſt, ut id, quod dicitur, conſideratis ſimul circumſtantiis, quas obviè poſſit audiens intelligere, ſit conforme menti loquentis.

„ 2. Si aliter fiat cum juramento, periurium eſt; ſi citra juramentum, mendacium, quorum neutrum ullâ utilitate, aut neceſſitate excuſari poteſt.

Prior propoſitio jubens conſiderari *circumſtantias* conſignificantes, quas obviè poſſit audiens intelligere, non eſt contenta, ut circumſtantiæ ſint tales, ex quibus audiens poſſit intelligere ſenſum, quem habet loquens, ſed requirit, ut obviè poſſit intelligere; adeòque ut ſe ipsâ intellecturus videatur.

Hinc apparet ratio doctrinæ, quam tradidit *LAMBERTUS VINCENT* S. T. Doctor Lovanii die 20. Februarii 1676. his verbis.

Mendacium nullo caſu eſt licitum; unde fruſtra tegitur reſtrictionum mentalium pallio: illicitum ergò Confeſſario de auditis in confeſſione interrogato; num rem aliquam in confeſſione audierit, reſpondere, ſe neſcire; nempe ut dicam tibi, vel tamquam homo.

Licebit conſequenter eidem Confeſſario ſuſpicionem auditi criminis alteri iniicere, tacendo aut tergiverſando, ut coſideranti patet. Ratio doctrinæ ex dictis intelligitur.

CAP. V.

CAPUT V.

Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de homicidio.

DOctrina his propoſitionibus contenta ad nos pervenit.

,, 1. Non dedit Dominus vitæ & necis homini privato poteſtatem, ut ,, res ſuas temporales, aut honorem, imo pudicitiam, cum invaſoris cæde, tueatur.

,, 2. Aliqui affirmant injuſtum vitæ aggreſſorem poſſe occidi, aliqui negant: ,, Hi *S. Auguſtinum*, illi *S. Thomam* ſibi favere arbitrantur.

Quoniam diſputare nobis haud eſt propoſitum; hic ſatis erit annotaſſe, eos Lovanienſes qui negant licere occidere injuſtum vitæ aggreſſorem, id negare tam generaliter, ut ne quidem excipiendum putent eum caſum, quo ille, qui invaditur, conſcius ſibi eſſet peccati gravis, & aggreſſor putaretur eſſe ſolùm injuſtus materialiter, & de reliquo liber peccato gravi. Sperabunt, eum, qui invaditur, juſtificandum ob tam inſignem actum caritatis, quo ſe permittit occidi, ne peccet contra legem *non occides*: Sed quam multis nominibus illa ſpes ſit incerta, facilè videt eruditus Lector; præcipuè, ſi attenderit ex dictis in 2. Parte *Speciminis* cap. 5. §. 9. quam arduam illi ſtatuant caritatem perfectam. Fortaſſe tamen & ſperabunt in tali articulo juſtificandum impium ſolâ attritione: Vide dicta ibidem §. 8

CAPUT VI.

Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de Injuſtitia, Simonia & Luxuria.

PRopoſitiones dederant à ſuâ ſcholâ, ut aiunt, reprobatas: tum verò ſententiam ſuam duabus propoſitionibus explicarunt.

,, 1. Schola Lovanienſis hos de furto, detractione, ſimonia & luxuria, articulos non admittit, ſed paſſim impugnat.

,, 2. Circa luxuriam ſpecialiter docet poſt *S. Auguſtinum*, & alios P.P. & Do- ,, ctores, actum conjugii, ut omni defectu veniali careat, exerceri debere vel ,, generandæ prolis gratia, quæ deinde Chriſto regeneretur, vel ut debito conjugalis juſtitiæ ſatisfiat.

De illis articulis, quos in prima propoſitione aiunt à ſe non admitti, commodius videbitur infrà.

Secunda

Secunda propoſitio non parum continet fuci; cur de actu conjugii id diſſimulant, quod profitentur, de actione humanâ generatim ſpectatâ; ut nimirum etiam in illo actu peccetur, ſi non referatur ultimatè in Deum per meram caritatem?

Non tam diſſimulatè conceptam aſſertionem Lovanii propoſuit *FRANCISCVS VAN VIANEN* S.T. Doctor die 15. Julii 1667. theſi 2. his verbis.

VIRI SIMILITER COHABITANTES, debitum conjugale reddentes, SECVNDVM SCIENTIAM, diſcretè; & ex amore Dei. Si aliter fiat peccatum eſt: nec ſufficit quod fiat ex amore procreandi prolem, ſed altiori opus eſt fine.

Unde & incunctanter docent peccatum eſſe illum actum conjugii, qui exercetur ad vitandam incontinentiam: Sic habet aſſertio propugnata ab eodem *FRANCISCO VAN VIANEN* S.T. D. Lovanii die 9. Martii theſi 2. 1669.

VXORI VIR DEBITVM REDDAT: ergo & petere poteſt: non tamen ad vitandam incontinentiam.

GERARDVS VAN WERM S. T. D. Lovanii aſſertionem dedit ſimilem die 1. Junii 1664. theſi 3.

Ille conjugum concubitus, qui mere fit ad vitandam in ſe incontinentiam, ſeu mere intuitu medendi propria concupiſcentia, jure naturali prohibitus eſt. Hoc genere abundant Lovanienſes Theſes.

Auctarii loco accedat aſſertio propugnata Lovanii à S. T. Doctore die 1. Decembris 1664. Tempus amplexandi minimè eſt, cum menſtruata, aut gravida, aut ejus eſt ætatis conjux, ut jam concipere certò non valeat. Neque enim inſtitutæ ſic nuptiæ ſunt, ut carnis voluptatibus ſerviant, ſed tantum ut fructum propaginis quærant. Tunc ergo ſolùm concumbendi relaxetur affectus, cum generationis ſperatur effectus. Quando autem quiſque amplius eo utitur, quam huic neceſſe eſt, jam peccatum eſt.

CAPVT VII.

Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de cultu B. Virginis MARIÆ, *& Sanctorum.*

RUrſus Propoſitiones dederant in hac materia à ſe reprobatas: tum verò de ſua ſententia hæc pauca ſubdiderunt.

„ Lovanienſes nihil hic tradunt ſingulare: docent quæ Tridentina Synodus, & S. Mater Eccleſia. „

Nihilne aliud illi docuerint, qui in nupera conflictatione de cultu B. Virginis faverunt ſcandaloſo libello, cui titulus: *Monita Salutaria B. MARIÆ Virginis ad Cultores ſuos indiſcretos?* judicent Sapientes. Qui verò, ubi docti, & inſtituti, & qui-

& quibus Doctoribus addicti, faverint iſti libello, nemini eſt ignotum in Belgio. Minimè omnium illis eſt ignotum, qui eo tempore Lovanii vixerunt, & quotidiana Academicorum judicia audiverunt.

Vix in lucem exierat Gandavi anno 1673. libellus ille, cum nova ejuſdem editio facta eſt Lovanii Typis *Adriani de Witte*, & non ſine plauſu Academicorum avidiſſimè diſtractus quaqua verſum plurimis exemplaribus.

Libellum amplè approbavit *IGNATIVS GILLEMANS* S. T. licentiatus Lovanienſis, & Lovanienſi Theologiæ addictiſſimus, atque ad eam promovendam Zeloſiſſimus, ut palam conſtat. Approbarunt quoque recuſum Inſulis libellum eumdem *PHILIPPVS VAN CAMPENHOVT*, & *IACOBVS BOVDART*, ambo S.T. Licentiati Lovanienſes: approbarunt verò non ſinè magnis encomiis, imò approbatione ſuâ defenderunt ſtrenuè, animos faciente Tornacenſi Epiſcopo, Lovanienſi Scholæ tam conſentiente quoad cætera, ut ſi in eâ fuiſſet olim ſedulò inſtitutus, qui & ipſe in favorem, & gratiam ſcandaloſi libelli præter inſignem approbationem, prolixam edidit epiſtolam Paſtoralem.

Paucis poſt menſibus anno 1674. exivit in lucem flandricus liber, cui titulus; *Aenleydinghe tot den dienſt der Heylighen door* I. GILLEMANS: hoc eſt; *Manuductio ad cultum Sanctorum per* IGNATIVM GILLEMANS; Illum ipſum approbatorem *Monitorum ſalutarium*, quem dicebamus. Cæcus verò eſt, qui non videat, hunc librum eſſe ſcriptum ad favorem, & confirmationem *Monitorum ſalutarium*: recoquuntur ibi eadem ferè omnia: iidem abuſus imaginarii cultorum B, Virginis proponuntur ad ſcandalum Hæreticorum nobis vicinorum, iidem ſcrupuli injiciuntur piis, & ſimplicibus fidelibus B. Virginem Colentibus: ut verò minus offenderentur piæ aures, imò ut ſubtilius venenum influeret, B. Virginis mentione plerumque abſtinetur, & ferè nomen ſubſtituitur Sanctorum. Hunc verò librum ampliſſimè approbarunt non ſolùm *IVDOCVS ROVCOVRT.* S.T. Licentiatus Lovanienſis æſtimatiſſimus his Doctoribus, atque in hac omni novatione, quam in Belgio videmus, Antesignanus, ſed etiam *LAMBERTVS VINCENT*, & *GVMMARVS HVYGHENS.* S T. Doctores Lovanienſes.

Vidimus quoque editam Mechliniæ eodem anno 1674. *Epiſtolam Apologeticam* pro eodem libello ſcandaloſo, ſeu *Monitis ſalutaribus*, luculentè approbatam à *LAVRENTIO NEESEN.* S.T. Profeſſore Archiepiſcopali, qui & in Schola Mechliniæ, & ſcriptis libris enuntiare pridem gaudet, quæ hi Doctores quotidie cogitant. Approbatione verò hâc uſus eſt. *Epiſtolâ hâc Apologeticâ, in quâ Auctor Doctrinam veram, & ſanam non ità pridem ſtylò laconico à ſe traditam in libello, cui titulus,* MONITA SALVTARIA *&c. quam quidam habentes zelum, ſed non ſecundum ſcientiam........ traducere coram rudi plebe conati ſunt, firmis, ſolidis, & perſpicuis rationibus confirmat, dilucidat, atque explanat &c.*

Atque hi quidem rem gratam præſtiterunt Hæreticis Middel-burgenſibus in Belgio, qui & ipſi illa *Monita ſalutaria* non ſolùm reduci curarunt latinè,

 flandricè-

flandriceque, ſed & vindicarunt ſtrenuè.

Ex his diſpiciat lector, an admittendum videatur, quod apud S. Sedem affirmarunt Lovanienſes Doctores. *De cultu B. V. MARIÆ Lovanienſes nihil tradunt ſingulare: docent, quæ Tridentina Synodus, & S. Mater Eccleſia.*

Porrò hujuſmodi libellis doctos, atque hâc autoritate approbatorum Lovanienſium nixos credibile eſt illos fuiſſe, quorum ſcandaloſæ voces ſugillantium fidelium pietatem ſæpius auditæ ſunt publicè, privatimque. Auditus eſt Lovanii Academicus, qui, cum primùm Româ acceptum eſſet canonicum officium pro Regnis, & Dominiis Hiſpaniæ indultum in Solemnitate SS. Roſarii, non parceret inſolenti ſarcaſmo hui, inquiens, mirum, nî & Româ brevi habeamus officium de Sanctiſſimo Scapulari. Auditus eſt Gandavi Eccleſiaſticus vir Lovanienſium æſtimator eximius, qui ægrum morti proximum conſpicatus Roſarium collo circumdatum piè ſtringentem graviter reprehenderit. Non ferens Illuſt. Gandavenſium Epiſcopus Albertus Eugenius d'Allamon quemdam è ſuis confratribus Canonicis, illum ipſum approbatorem monitorum ſalutarium ſuprà memoratum, quem Roſario utentem nemo vidêret, circumferre Roſarium ſolebat ipſe grandibus inſtructum globulis, quod in ſuâ Eccleſiâ Studiosè præferebat, volvebatque palam, ut publicam pietatem animaret contrà hoc genus. Hæc ille de ſe palam prædicare gaudebat. Duo ſunt menſes, cum piam plebem Bruxellis ipſo feſto aſſumptæ Virginis in cælum, motu minimè pio commovit Plebanus Eccleſiæ *S. Gudulæ* periculum exaggerans idololatriæ in cultu Sanctarum imaginum, ac nominatim ſi quando in ſupplicatione quâ adorandum circumfertur V. Sacramentum Euchariſtiæ, circumferretur quoque imago B. Virginis MARIÆ: indignitatem rei explicuit ſimilitudine ſcandaloſâ; ſtultum dicens vulgò reputandum virum nobilem, qui parem ſibi magnitudine pupam, ſeu pannoſam iconem ſibi conſidentem in Rheda circumduceret per frequentiſſimas plateas bruxellenſes: addens cavendum ne hæretici ſpectantes luminaria antè, & retrò, interpretentur divinos honores. Scrupulus Vigilantii hæretici de luminaribus illuminantibus mortuos vires ſumit in Belgio.

Gandavi quidam D. de Cock Capellanus in *S. Annæ* trans Schaldim circa menſem Novembrem 1673. quo primùm Gandavi lucem aſpexere *Monita ſalutaria &c.* in dicto Sacello *S. Annæ* multis in ſua concione invectus eſt in Confraternitates D. Virginis, ac inter cætera comparavit Scapulare Carmelitarum alis *Icari* & funiculum Minoritarum reſti quâ Judas ſe interemit adeò ut Vicariatus ob graviſſimum ſcandalum quod dederat coactus fuerit illum à Concionibus ad tempus ſuſpendere.

Brugis varii interrogarunt D. *I. Schroy* Decanum Collegiatæ & parochialis Eccleſiæ S. Salvatoris, an nunc liceat in honorem Beatiſſimæ Virginis, diebus Mercurii abſtinere ab eſu carnium, & diebus Sabbathinis jejunare, rationem dubitandi allegantes, quod aliqui jam ſuſtinerent antiquam illam hujus patriæ

erga

ērga Divam Virginem Venerationem abrogatam eſſe, vel brevi abrogandam, illo nitentes fundamento, quod non liceat plura agere in honorem Matris, quam filii. Ita teſtatur dictus Amp. D. Decanus 16. *Auguſti* hujus anni 1677. paratuſque eſt ſemper id in fide Sacerdotis teſtari.

Cum primùm gandavi prodierunt in lucem *Monita ſalutaria*, de quibus ſupra, gratulatus ſibi eſt notiſſimus in illa civitate artifex ſtatuarius, quod non parum lucri ſibi proveniret ab hiſce novitatibus: multis enim locis perſonas pias ſcrupulo ductas auferre de veſtibulis ædium ſtatuas B. Virginis, & ſuam operam ab illis requiri ad ſubſtituendas icones *Chriſti* Salvatoris. Sexcenta ſunt hujus generis, quæ memorare longiſſimum eſſet. Addamus tamen rem notabilem de cultu Angelorum.

Anno 1674. ſcandalizata fuit Bruxellenſis civitas: quia Illuſt. D. Archiepiſcopus Mechlinienſis prohibuerat; ne feſto *S. Michaëlis* Archangeli Patroni tutelaris illius civitatis in ſupplicatione ſolemni in qua circumfertur Venerabile Sacramentum, etiam circumferretur ſimulacrum *S. Michaëlis* Archangeli; quod in illa civitate fieri conſueverat ab immemorabili tempore: hæc prohibitio cives Bruxellenſes graviter commovit, ita ut Magiſtratus, & Ordines civium renuerint comparere in illa ſupplicatione; donec liceret illam celebrare more antiquo, & varia ſermone vulgi jactata fuerint ſcandalosè contra hanc novitatem; quæ non duravit. Mox ergo nomine Illuſt. D. Archiepiſcopi ſcripta fuit juſticatio dictæ prohibitionis, directa ad Excellentiſſimum Belgii Gubernatorem, qui & ipſe ſe oppoſuerat iſti prohibitioni metuens populi perturbationem. In illa Juſtificatione num. 18. & 19. hæc legimus.

Au reſte, Monſeigneur, outres toutes ces raiſons, qui ſont generales pour exclure les images de proceſſions, ou eſt le venerable, il y à encor des particulieres pour celle de Sainct MICHEL, qui n'eſtant, qu'un eſprit, & n'ayant jamais eu de corps, ne peut eſtre repreſenté. Ainſi la S. Egliſe parlant des images, dit; IMAGINES CHRISTI B, M. VIRGINIS, ET SANCTORUM; jamais, ANGELORUM; moins encor DEI.

Hæc latinè ſic reddi poſſunt.

De reliquo, Excel. Domine, ultra has omnes rationes, quæ ſunt generales ad excludendas imagines ſupplicationibus, ubi eſt V. Sacramentum, ſunt etiam particulares pro imagine S. MICHAELIS, qui cum non ſit, niſi Spiritus, & numquam habuerit corpus, non poteſt repræſentari. Ita S. Eccleſia loquens de imaginibus, dicit IMAGINES CHRISTI, B. M. VIRGINIS, ET SANCTORUM, numquam ANGELORUM; minus etiam DEI.

Diſpicient Eruditi Lectores, quam ſana ſit hæc ratio; *Cum non ſit niſi Spiritus, & numquam habuerit corpus, repræſentari non poteſt &c.* Vulgò nota ſunt Acta Synodi VII. Actione 5. ubi contemtpa ſimili ratione hominis gentilis, pronuntiavit Sancta Synodus, *Angelos pingi oportere.* Minimè verò omnium eſt obſcurum, cujus ſenſus Conſiliariis & quam Lovanienſi Academiæ devotis utatur Illuſt. D. Archiepiſcopus Mechlinienſis.

CAPUT IX.

Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de Contritione.

§. 1.

Doctrina de Contritione, quam ut paſſim traditam in Schola Lovanienſi obtuliſſe dicuntur Sanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.

PRopoſitiones doctrinam explicantes offeruntur nobis continuæ ſuperioribus, unde viſum eſt ne numeros quidem ſingulis appoſitos mutare.

„ 3. Servilis gehennarum metus nequaquam in ſubſtantia ſuâ malus eſt, ſed „ bonus & utilis. Attamen ipſi ſoli inſiſtens attritio, etiam cum Sacramento „ non ſufficit ad juſtificationem; quia ad accipiendam hanc gratiam oportet „ credere, ſperare, ac Deum propter ſe diligere.

„ 4. Vera attritio debet eſſe dolor animi, ac deteſtatio animi de peccato „ commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero excludens voluntatem „ peccandi. Attamen non debet includere perfectam caritatem, quæ hominem „ Deo reconciliat, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur.

„ 5. Nihilominus debet eſſe, licet imperfecta, tamen vera Dei charitas, „ quâ pœnitens Dominum Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligat, „ ideòque peccata ſuâ deteſtetur, & oderit. Eam aliqui appellant charitatem „ affectu ſuper omnia..

§. 2.

Doctrina eadem de contritione dilucidatur ex 2. *Parte* Speciminis.

PRIMO: Propoſitione 3. affirmant, *gehennarum metum nequaquam in ſubſtantiâ ſuâ malum eſſe, ſed bonum & utilem.* Ut intelligat Lector, de quali bonitate loquamur, memor ſit, horum Doctorum judicio nullum actum eſſe bonum, niſi per divinam gratiam, imò omnem eſſe malum ſine divinâ gratiâ. Unde FRANCISCUS VAN VIANEN S.T. Doctor Lovanii die 13. Julii 1666. Theſi 2. hanc aſſertionem propugnavit: *Nec individuam actionem humanam ſine divina gratia non peccaminoſam poni ſuſtinebimus.*

Tum verò memor ſit Lector horum Doctorum judicio, neque attritionem ex metu gehennæ, neque ipſum gehennæ metum, eſſe *donum Dei* aut *Spiritus S.*

impulſum. In hanc ſententiam audivimus in 2. parte *Speciminis* cap. 4. §. 2. *CHRISTIANVM LVPVM*, *FRANCISCVM VAN VIANEN* S. T. Doctores, alioſque.

Ex his verò intelligitur, metum gehennæ horum Doctorum judicio ad ſummum eſſe bonum hoc ſenſu, quod præſtet aliquam utilitatem, impediendo quædam peccata ſaltem externa.

Hanc illi ſolent prædicare bonitatem timoris ſervilis; ſed immorari non non vacat. Hîc tamen locum habeat minimè fucata aſſertio, quam *Franciſcus van Vianen* S. T. D. Lovanii propugnavit die 26. Septembris 1670. Theſi 1. his verbis:

Cum autem Sacramentum nulli gratiam conferat ſine bono ſuſcipientis motu, nulluſque ſit bonæ voluntatis motus niſi quem creaverit diffuſa per Spiritum Sanctum Charitatis afflatus, conſequitur ſine bono motu eam eſſe attritionem, quæ ſine Dei dilectione peragitur. Vide parte 2. Specim.

Ecce generaliter attritio ex alio motivo, quam charitatis eſt ſine bono motu. Liquet igitur metum gehennæ non eſſe bonum motum. Ex ſimilibus apparet quanto candidius loquantur hi Doctores Lovanii, quam Romæ.

SECVNDO. quod dicunt in eâdem propoſitione 3. *gehennæ metum nequaquam in ſubſtantiâ ſuâ malum eſſe*, non poteſt placere *CHRISTIANO LVPO* S.T. Doctori cujus in quæſtione hâc ſententiam expoſuimus in 2. parte *Specim.* cap. 4. §. 3. An placere poſſit cæteris, quorum doctrinam ibidem expoſuimus, judicent ſapientes.

Communiſſima & maximè decantata horum Doctorum Sententia hæc eſt. Fieri non poteſt, ut doleat peccator ex metu gehennæ aut ſpe beatitudinis ſine charitate, niſi & velit peccare ſub conditione, ſi non eſſet gehenna, aut beatitudo. Contendunt plerumque, hoc non eſſe vitium metus, aut Spei, vel attritionis, ex metu aut Spe, ſed pravæ cupiditatis pertinaciter illis adhærentis, niſi ſupprimatur à charitate. Certum eſt Lutherum, contra quem extat Anathematiſmus Concilii Trident. Seſſ. 6. can. 8. & Seſſ. 14. can. 5. ob adhærentem hujuſmodi pravam cupiditatem pronuntiaſſe in Serm. de pœnitentiâ, hujuſmodi metum, & attritionem eſſe peccatum, vide dicta ſupra loco cit.

TERTIO. quod ajunt Propoſitione 4. *Veram attritionem non debere includere perfectam caritatem*, quæ *hominem Deo reconciliet priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur*, ſic accipe, ut ſis memor, quoſdam ex Lovanienſi ſcholâ Theologos docêre hoc tempore, ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri contritionem perfectam, & juſtificantem. Hos audivimus in 2 Parte *Specim.* cap. 5. §. 7. ut itidem ſis memor & Lovanii à quibuſdam S.T. Doctoribus, & alibi in Belgio à Lovanienſis Theologiæ alumnis, magnâ contentione defendi, non eſſe definitum in Concilio Tridentino, aliquam contritionem imperfectam ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ. De his vide quæ dedimus loco citato §. 6.

QVARTO.

QVARTO: ad Propoſitionem 5. obſerva primò per eam phraſim *diligere Deum, tamquam omnis Iuſtitiæ fontem*, nihil illos derogatum velle neceſſitati Caritatis Theologicæ, ut patet ex propoſitionibus ipſis, & multò magis ex dictis in 2. Parte *Specim.* toto capite quarto. Obſerva 2. talem ab ipſis Caritatem requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ, ex quâ pœnitens ſua peccata deteſtetur & oderit ita, ut oportet ad juſtificationem in Sacramento, hoc eſt, ita, ut excludatur voluntas peccandi: adeòque requiri ab ipſis eam caritatem, quam ſimpliciter Theologi vocant amorem Dei ſuper omnia. Quare quod additur in fine Propoſitionis 5. *eam caritatem aliquos appellare caritatem affectu ſuper omnia*, phraſis quædam eſt timidè explicantium ſuam Doctrinam. Etenim quam illi rotundè ſoleant aſſerere ad effectum Sacramenti pœnitentiæ opus eſſe Dei caritate ſuper omnia, vidimus in 2. Parte cap. 4. §. 5.

§. 3.

Supplentur ea, in quibus defecerunt Doctores exponentes S. Sedi Lovanienſium Doctrinam de Contritione.

PRIMO: Conſulere poterant S. Sedem, an ſatis tutum ſit docêre, attritionem ex timore gehennæ, aut ipſum gehennæ timorem, non eſſe donum Dei, aut Spiritus S. impulſum. Hæc docentes hos Doctores audivimus in 2. Parte *Specim.* cap. 4. §. 2.

SECVNDO: Conſulere poterant S. Sedem, an ſatis tutum ſit, docere, quod fieri non poſſit, ut doleat peccator ex metu gehennæ ſine Caritate (eadem eſt ratio de dolore ex motivo Spei) niſi certò peccet, ſaltem ob adhærentem pertinaciter cupiditatem peccandi, ſi non eſſet gehenna, aut beatitudo. Hæc certè eſt Lovanienſium Doctrina explorata, ut vidimus in 2. Parte *Specim.* cap. 4 §. 3.

TERTIO: Conſulere poterant S. Sedem, an ſatis tutum ſit docêre, quod ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ requiratur Dei Caritas ſuper omnia vulgò dicta à Theologis: & conſequenter, quod non quævis Dei caritas ſuper omnia, habeat per ſe vim juſtificandi. Utrumque enim Lovanii, & alibi in Belgio à Lovanienſibus Academicis docetur valdè communiter, & contentioſè: Doctrinæ Specimina dedimus ibidem §. 4. & 5.

QVARTO: Conſulere poterant, an ſentire liceat, non eſſe definitum in Concilio Tridentino, aliquam Contritionem imperfectam ſufficere ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, ſed Concilium à Quæſtione illâ voluiſſe præſcindere. Hæc docentes audivimus ibid. §. 6.

QVINTO: An tolerandi ſint illi Academiæ Lovanienſis alumni, qui hoc tempore docent, ad Sacramentum Pœnitentiæ, neceſſariam eſſe contritionem per-

perfectam,& per ſe juſtificantem. Hos audivimus ibid. §.7.

SEXTO: An ſaltem illi & Doctores,& alii Academici tolerandi, qui docent, contritionem perfectam aliquando non juſtificare, & contritionem imperfectam aliquando juſtificare ſine Sacramento. Hos audivimus ibid. §.8.

SEPTIMO: Conſulere poterant S. Sedem an contritio perfecta,& per ſe juſtificans illa ſola ſit, *quæ vivit patienter, delectabiliter moritur, & omnem rerum creaturam adfixivum amorem in nobis extinguit.* Hæc docentes audivimus Lovanienſes Doctores ibid. §. 9.

§. 4.

Doctrinam Lovanienſium de caritate requiſita ad Sacramentum Pœnitentiæ dilucidare conatur Macarius Havermans *in* Epiſtola Apologetica *ad* Innocentium XI.

NOnnulli horum Doctorum Caritatem requiſitam ad Sacramentum Pœnitentiæ vocare malunt amorem Dei prædominantem, quam amorem Dei ſuper omnia, ut vidimus in 2. Parte cap.4. §. 5. credibile eſt, non aliud pleriſque ſonare illam vocem, quam hanc. Sed *Macarius Havermans* Lovanienſium patronus,& interpres aliquam differentiam agnoſcit, de quâ operæ pretium hic erit meminiſſe, ſi fortè & pluribus ex hiſce noſtris placeret: ut quam fieri poteſt perfectiſſimè informetur S.Sedes hoc *Specimine.*

Macarius Havermans in Epiſtola Apologetica num 48. pag. 67. de neceſſitate Caritatis requiſitæ ad Sacramentum Pœnitentiæ loquitur his verbis: *In eâdem Diſquiſitione* §. 11. *oſtendimus requiri cum Sacramento, amorem Dei prædominantem; non qui ſit celebris ille Dei ſuper omnia amor, ſed qui ſit fortior præexiſtente cupiditate, ſeu inordinato creaturarum amore: quia aliàs voluntatem peccandi non excluderet; quæ latius loco citato & ſeq. probavi.*

Ille amor Dei prædominans miras habet proprietates, & conditiones, quas erit operæ pretium exponere. Primò de illo amore prædominante ſic loquitur in *Epiſtola* num. 29. pag. 41.

Neceſſarium quidem eſt ad conſequendam ſalutem æternam & adimplendum primum, maximumque mandatum omnes obligans ſub pœnâ æternæ damnationis, quod amor Dei prædominans ſuper omnia hæreat fundatus in corde noſtro, quamdiu vivimus: ſed quâ conſequentiâ inde deducit accuſator &c.

Ibid. pag. 42. ſic loquitur:

Quod optimè conſiſtit cum eo, quod homines ſub mortali obligentur ſemper in ſe habere amorem Dei prædominantem: omnes enim indubiè ſub mortali obligantur eſſe, & manere ſemper in ſtatu gratiæ ſanctificantis, quem ſtatum infallibiliter concomitatur amor Dei prædominans.

Ecce

Ecce autem ille amor Dei prædominans, & quidem ſuper omnia, ex quo concipienda eſt attritio,ut vim habeat juſtificandi in Sacramento,debet ſemper manere vegetus in homine: ſi ad monumentum intercidat,peccat homo lethaliter. Hoc eſt valde notabile.

In quo autem dicemus hoc eſſe fundatum? id videmur poſſe eruere ex iis, quæ diſſerit in Diſquiſitione §.11.pag.65. his verbis:

Quis autem dicet,illum ſe ex toto corde,ſeu toto affectu convertere ad Deum, qui prædominantem creaturæ amorem in corde ſuo non habet (delendum videtur non) *quem indubiè habebat, ſi in ipſo non regnet,ſeu prædominetur DEI amor: alteruter enim amor in corde hominis debet prædominari, aut creatoris, aut creaturæ ...... AVT CHARITAS, AVT CVPIDITAS, prout latè oſtendimus in prima Parte noſtri TYROCINII.*

His ſimilia ab eodem auctore audivimus in 2. Parte *Speciminis* cap.3. §.1. ad propoſitionem Bajanam 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas ...... aut laudabilis illa caritas &c.* eſtque vulgò ſatis nota horum Theologorum Doctrina iſta genericè ſpectata. Sed vulgò non eſt ita notum,hinc ſumi fundamentum ad dicendum, quod ſub mortali peccato debeat in corde noſtro hærere,quamdiu vivimus, ille *amor Dei prædominans ſuper omnia,* ex quo concipienda eſt attritio,ut ſufficiat in Sacramento.

2. Ille amor Dei prædominans eſt certo modo, amor ſuper omnia, quia, ut jam audivimus,vocat illum *Macarius in Epiſt.* pag.41, *amorem Dei prædominantem ſuper omnia.* Sed tamen,ut & audivimus affirmantem pag. 67. *non eſt celebris ille Dei ſuper omnia amor.*Quoniam ergo celebris amor Dei ſuper omnia ille eſt,qui excludit voluntatem peccandi graviter,amor iſte prædominans non habet iſtam perfectionem,& tamen ut audivimus, ſignificat *Macarius* illum amorem prædominantem debere excludere voluntatem peccandi,cum dicat in *Epiſt.*pag.67. quod debeat eſſe *Fortior præinexiſtente cupiditate, ſeu inordinato creaturarum amore: QVIA ALIAS VOLVNTATEM PECCANDI NON EXCLVDERET.*

Sed hanc phraſim Concilii Tridentini *Macarius* non intellexit, ut communiſſimè Theologi, quos parvi facit: hi enim communiſſimè intelligunt excludi voluntatem peccandi per eum actum, qui ſtare nequit cum ulla voluntate peccandi graviter. *Macarius* verò, ut intelligitur ex ejus verbis ſupra relatis, intelligit excludi voluntatem peccandi, quando ſuperatur prava cupiditas præexiſtens in animo. Fortaſſe aliis quibuſdam ex hiſce noſtris eadem placent.

Hæc fere illa ſunt, quæ de amore illo prædominante, quo eſt opus ad Sacramentum Pœnitentiæ, diſcere licet ex *Epiſtola Apologetica MACARII HAVERMANS*: quas verò habet alias de illo ſubtilitates in ſuâ *Diſquiſitione*, haud vacat perſequi: earum alibi veſtigium vix invenias; adeoque parum utiles ſunt ad informandam S. Sedem de Doctrina Lovanienſium.

Obiter adnotare hic lubet quædam admiratione digna, ex *Epiſtola Apologetica.* Capiti ſuo ſuorumque *Macarius* dicit Anathema num. 42. pag. 59. his verbis.

Quantùm ad dogmatis conſectarium (nempe lethaliter peccat, qui de peccatis ſuis dolet ex deſiderio ſalutis, & beatitudinis æternæ ſine caritate) quod nobis affingit FRANCISCVS SIMONIS fol. 60. illud planè falſum & hæreticum eſt; ſicut ex falſo & hæretico deducitur principio, quo everſo per ſe cadit ipſum conſequens, à nobis numquam vel implicitè aſſertum.

Principium ex quo *Franciſcus Simonis* duxit conſectarium eſt hoc: *Lethaliter peccat, qui de peccatis ſuis dolet ex metu gehennæ ſine Caritate.* Principium eſt *MACARII HAVERMANS*, qui cenſet, cum qui ſic dolet de peccatis nulla in animum illapsâ caritate poſt peccatum, habere latentem affectum ad peccatum, per quem incurritur reatus gehennæ, ut ex dictis eſt manifeſtum. Principium eſt idem his noſtris Theologis perfamiliare, ut patuit in 2. Parte cap. 4. §. 3. affirmat *Macarius* eſſe principium hæreticum: viderit ipſe cum ſuis.

Conſectarium, quod ex principio illo duxit *Franciſcus Simonis*, eſt hoc; *Lethaliter peccat, qui de peccatis ſuis dolet ex deſiderio ſalutis, & beatitudinis æternæ ſine caritate.* Si principium eſt verum, conſectarium eſt verum, ut vidit ipſe *Macarius*, cujus itidem judicio conſectarium eſt hæreticum: viderit ergo rurſum ipſe cum ſuis. Nos tam cenſoria judicia non formamus. Viderit etiam, quid in eos ſtatuendum cenſeat, qui de malitiâ attritionis ex metu gehennæ diſertiora dederunt, ut vidimus dicto §. 3. Poſt omnia per nos licet, ut, quod facit num. 42. pag. 59. jactare pergat, ſuâ quidem ſententiâ metu gehennæ comprimi voluntatem peccandi, dum fatetur, non comprimi lethalem velleitatem peccandi, ut ex dictis liquet.

§. 5.

Doctrina Lovanienſium tendens ad neceſſitatem contritionis perfectæ in Sacramento pœnitentiæ dilucidatur ex eâdem Epiſtolâ Apologeticâ ad Innocentium XI.

AD neceſſitatem contritionis perfectæ in Sacramento pœnitentiæ ſine dubio tendit doctrina Lovanienſium, qui docent, non eſſe definitum in Concilio Tridentino, aliquam contritionem imperfectam ſufficere ad effectum illius Sacramenti. Hanc doctrinam *Macarius in Epiſtola* dilucidare conatur n. 46. pag. 63. his verbis:

Conſequenter ad hanc doctrinam loco citato in DISQVISITIONE docui Dogma II. quod fol. 70. habet Franciſcus Simonis: non definivit Concilium Trid. contritionem

nem perfectam non eſſe neceſſariam ad Sacramentum pœnitentiæ; *quod ibid. latius probavi & ab objectionibus adverſarii vindicavi & oſtendi, quod licet contritio perfecta ſtata & infallibili lege peccatorem juſtificet ſine Actuali ſuſceptione Sacramenti .... equidem effectus Sacramenti pœnitentiæ foret reconciliatio peccatoris cum Deo, abſolutio Sacramentalis verus actus judicialis quo ab ipſo ſacerdote, velut à judice ſententia pronuntiatur ... uti patet ex illo caſu, in quo quis ſecundò abſolvitur a peccatis ſemel directe abſolutis, & remiſſis, vel a peccatis, de quibus praviè ad abſolutionem peccator elicuit contritionem perfectam.*

Hæc eâdem ab aliis, quos citavimus in 2. Parte cap. 4. § 6, multò ante audivimus. Cenſent verò illorum adverſarii in Belgio, enervari eadem paucis Concilii Tridentini verbis Seſſ. 14. cap. 3. *Sane verò res & effectus hujus Sacramenti, QVANTVM AD EIVS VIM, ET EFFICACIAM PERTINET, reconciliatio eſt cum Deo*: illum ſolum intelligunt reconciliari cum Deo, qui ex Dei inimico fit amicus, quod non contingit, cum nova abſolutio impenditur peccatis ante remiſſis per abſolutionem; in quo tamen caſu manere verum autumant, quod *effectus hujus Sacramenti ſit reconciliatio cum Deo*, non abſolutè; ſed *quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet*: negant verò, illud verum futurum, ſi ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur prævia contritio perfecta, & per ſe juſtificans: quia hoc poſito numquam abſolutè Sacramentum reconciliabit, aut reconciliare poterit; cum neceſſariò præſupponat reconciliationem jam factam.

Sed pergat *Macarius*: Sic fatur in *Epiſtola* num. 46. pag. 64. *doctrina hac clarè patet ex hiſtoria Concilii Tridentini a Cardinale PALLAVICINO conſcriptâ.*

Adverſarii *Macarii* putant contrarium jam pridem luculenter, & ſæpius eſſe oſtenſum ex ipsa hiſtoriâ. *Macarius* quidem illa, quibus id oſtendere ſunt conati, intacta reliquit, non ſolùm in *Epiſtola* ſed etiam in *Diſquiſitione*.

Ille verò Lovanienſis Doctor, qui ex hiſtoriâ Concilii oſtendere eſt conatus, non eſſe definitum à Concilio Seſſ. 14. aliquam contritionem imperfectam ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ, eò neceſſe habuit prolabi, ut affirmaret, contritionem imperfectam, de qua eſt mentio Seſſ. 14. cap. 4. non eſſe partem Sacramenti, neque Speciem illius contritionis, quæ cap. 3. Pars Sacramenti erat dicta. His minutim exponendis immorari non licet.

CAPUT X.

Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de differendâ abſolutione.

§. 1.

Doctrina de differenda abſolutione, quam ut paſſim traditam in Scholâ Lovanienſi, obtuliſſe dicuntur S. Sedi Doctores Lovanienſes.

PRoſequamur ordinem propoſitionum, ne iis quidem omiſſis, quæ non faciunt ad ſcopum noſtrum, ut clarius appareat, quam imperfectè informarint S.Sedem.

„ 6. Pœnitens Confeſſario priorem inveteratam præſertim peccandi conſuetudinem ex conducentibus ad ejus medelam rationibus interroganti debet obedire.

„ 7. Etiam exprimendæ ſunt circumſtantiæ intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes.

„ 8. Abſolutionis denegatio, aut dilatio quandoque eſt neceſſaria, quandoque utilis, quandoque pernicioſa. Quare Confeſſario non ſola ſcientia eſt neceſſaria, ſed etiam prudentia: à Domino Deo poſtulare debet gratiam diſcernendorum ſpirituum.

„ 9. Dicta dilatio, aut negatio, dum eſt dumtaxat utilis non poteſt exerceri in pœnitentem invitum.

„ 10. Cauſæ quæ ipſam faciunt neceſſariam, ſunt præſertim tres. 1. eſt ignorantia neceſſariorum articulorum fidei. 2. defectus diſpoſitionis, puta contritionis. 3. proxima peccandi occaſio, quæ vel ex natura rei, vel ex qualitate perſonæ eſt talis.

„ 11. Aliquot duarum poſtremarum exempla adducit in ſua Romana Synodo *S.Gregorius VII.* falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm auctoritatem SS.Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poteſt, ſi culpis gravioribus irretitus, ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat, niſi conſilio Religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia, vel negotiationem derelinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque, quæ injuſtè abſtulit, reſtituat; ne tamen deſperet; interim quidquid boni facere poterit hortamur ut faciat, ut Omnipotens Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam.

§.2.

§. 2.

Dilucidatur Doctrina de differendâ abſolutione ſupplendo defectus Doctorum eamdem mutilè proponentium.

PRIMO : Doctoribus Lovanienſibus nemo invidebit de ſexta, & ſeptima propoſitione. Hujus generis propoſitiones accumulando poterant conficere Catalogum multò majorem nullius offenſione.

SECUNDO : Quod dicitur Propoſitione 8. abſolutionis denegationem, aut dilationem quandoque eſſe neceſſariam, quandoque utilem, quandoque pernicioſam, eſt extra omnem controverſiam : eſſe verò quandoque pernicioſam, nimis multis experimentis compertum eſt in Belgio annis proximè ſuperioribus.

TERTIO : quod dicitur propoſitione nonâ dictam dilationem, aut negationem, dum eſt dumtaxat utilis, non poſſe exerceri in pœnitentem invitum, videtur eſſe de ſubjecto non ſupponente : Vix enim ſperari poteſt, negationem, aut dilationem abſolutionis, cum neceſſaria non eſt, futuram utilem pœnitenti invito.

QUARTO : ſupplendus eſt defectus in exponendâ ſecundâ causâ negandi aut differendi abſolutionem, quæ in propoſitione 11. eſſe dicitur *defectus diſpoſitionis; puta contritionis.* Nimis jejunè abſolvunt hunc locum Lovanienſes Doctores profitentes ſe velle informare accuratè ſanctam Sedem de ſuâ doctrinâ.

Quoniam enim Lovanienſibus communiſſimè probatur *Methodus remittendi & retinendi peccata GUMMARI HUYGHENS* S. Theologiæ Doctoris, ut oſtenſum eſt in ſecunda parte *Speciminis* cap. 5. in principio, poterant primò conſulere S. Sedem, an tutum ſit docere, non licere Sacerdoti abſolvere peccatorem, niſi moraliter certò conſtet de ejus converſione internâ, ſeu diſpoſitione ſufficienti ad Abſolutionem. Rationem dubitandi de hâc doctrinâ tetigimus ibidem §. 1. ubi & ſententias expoſuimus eam propugnantium, quod neceſſarium non erat, quando *Methodus Gummari*, quâ hoc docetur, tam divinus eſt liber hiſce noſtris, tantâque contentione vindicatus in Scholis, templis, & conventibus quotidianis, publicè privatimque.

2. Conſulere poterant S. Sedem, an tuta ſit doctrina affirmantium generaliter differendam eſſe abſolutionem peccatoribus conſuetudinariis extra mortis articulum, & caſus quoſdam rariſſimos, donec vitam notabili tempore emendaverint. *methodi* Auctores, alioſque audivimus ibidem §. 2.

3. An tutum ſit Affirmare, extra neceſſitatem aut pœnitentiæ ſigna prorſus inuſitata, numquam licere Sacerdoti abſolvere pœnitentem, niſi exuerit conſuetudinem

ſuetudinem peccandi. Hæc affirmantem audivimus *methodi* Auctorem, alioſque ibidem §. 3.

4. An tutum ſit dicere ſemper differendam eſſe abſolutionem, ſi probabilis ſit timor, ne pœnitens relabatur. *Methodi* Auctorem alioſque audivimus ibidem §. 4.

5. An tutum ſit dicere non fuiſſe ritè converſos, aut diſpoſitos peccatores, qui poſt abſolutionem relapſi ſunt, aut non obſervarunt ea, quæ ad remedium præſcripſit Sacerdos: Vide quæ dedimus ibidem §. 5.

6. An denique tutum ſit docere non ſolum conſuetudinario, ſed omni peccatori, qui peccatum mortale fecit, differendam eſſe abſolutionem, donec vitam notabili tempore emendaverit. ſi caſum excipias converſionis miraculoſæ, aut articulum mortis. Doctrinam *Methodi*, hoc eſt, Lovanienſium, audivimus ibidem §. 6.

QVINTO. Cauſa tertia negandi, vel differendi Abſolutionem, quæ in eâdem propoſitione 10. eſſe dicitur *proxima peccandi occaſio*, indiget dilucidatione ex *methodi GVMMARI HVYGHENS* S. T. Doctoris, quam *Franciſcus van Vianen* univerſam ſuſcepit propugnandam die 13. Januarii 1676. & alii paſſim Lovanienſes Doctores & Academici ſummo ſtudio extollunt ubique. Quid ergo Doctores hi intelligant nomine *occaſionis proximæ peccandi*, licebit intelligere ex uno alterove exemplo occaſionum dimittendarum ſub gravi culpa ex doctrina illius *Methodi*.

1. Tractatu 2. quæſt. 7. pag. 179. ſic interrogatur & reſpondetur.

Qui ſunt in occaſione, quam S. CAROLVS his verbis exprimit: PERSISTERE IN ASSIDVA COLLOCVTIONE, ASPECTV, QVOTIDIANO CONGRESSV, ET SIMILIBVS TVRPIVM AMORVM IRRITAMENTIS? Tales ut minimum ſunt ii, qui in dies ſingulos aut admodum frequenter alterius ſexus perſonas inviſunt vel quæ ejuſmodi viſitationes admittunt, vel una cum illis ad congregationes ſolent conventare, eo nimirum animo, ut fabulis, jocis, & luſibus, aliiſque, tempus, quod ajunt, fallant, aut animum relaxent.

Ibidem pag. 181. hæc legimus.

Ex his conjice cætera libidinis irritamenta, quæ indivulſè ſecum trahunt quibuſdam locis Conventus (quos Aſſemblées vocant) quis ſenſus hic non paſcitur libidine? &c.

Tum verò ibidem dub. 1. pag. 182. ſic affirmatur.

Satis ſuperque ex dictis pateſcit, quod hujuſmodi pœnitentes abſolutum debeant propoſitum habere dimittendi iſtas occaſiones.

Confeſſarii in Belgio magis exercitati, quam hic Doctor Theologiæ, exiſtimant, illos conventus ſeu Aſſemblées, qui multis locis in Belgio celebrantur perhoneſtè luſu, cantuque in ædibus Nobilium Virorum, reſpectu plurimorum non eſſe occaſionem proximam peccandi, contra caſtitatem, etſi reſpectu multorum fortaſſe talis ſit; quod idem uſuvenit in exercitio mercaturæ, in militiâ, & aliis

aliis plurimis. Cenſent proinde generales hujuſmodi definitiones, quibus abundat illa *Methodus*, eſſe periculoſas; perſequi ſingulas minutim non vacat: tetigiſſe quaſdam ſatis erit.

2. Eodem Tractatu 2. quæſt. 3. pag. 154. 165. 166. ſic definit.

Si hoc peccati mortalis dicenda eſt occaſio, quidni igitur & habere domum, potum; obſequia, & his ſimilia parata alliciendis, fovendiſque jam depictis conventiculis, hoc eſt illorum, qui conflarunt ſibi conſuetudinem popinam illam frequentandi, & illic in dies fermè ſingulos potitando, otioſè fabulando &c. medios propemodum dies, prout dictum, tranſigendo .... nec eſt, quod mireris, nos hunc in modum de iſto Cauponum genere loqui, ſi expendere libet ſimilitudinem, quæ Caupones iſtos, & lenones intercedit. Addit alia, quibus oſtendit, ſe magnam vim ponere in ſimilitudine Cauponis miniſtrantis vinum, quo prævidet alium inebriandum, cum Lenone, qui conſortio impudico inducit irritamenta libidinis. Nos illam ſimilitudinem, & doctrinam omnem relinquimus judicandam Erudito Lectori.

SEXTO. Monendus eſt Lector, ut cautè legat eamdem propoſitionem 10. Etſi enim eâ affirment Doctores ſine reſtrictione, quod cauſa, quæ negationem, aut dilationem Abſolutionis facit neceſſariam, *ſit proxima peccandi occaſio, quæ vel ex naturâ rei, vel ex qualitate perſonæ eſt talis*, hoc tamen intelligendum eſt cum reſtrictione, quæ adhibetur in ipſorum libro, ſeu *Methodo GUMMARI HUYGHENS*, qui Tract. 2. quæſt. 6. dub. 2. pag. 176. loquens de occaſione proximâ peccandi, ſic pronuntiat.

Quod ad dubium propoſitum attinet, non diffiteor, quin inſolitis quibuſdam eventibus ſublatis occaſionis per accidens, non ſit præmittenda abſolutioni; velut ſi mors imminet, timeturque, ne, ſi abſolutio differatur, quoad occaſio abſciſſa fuerit, mors præventura ſit abſolutionem: idem cenſeas dum juſta neceſſitas pœnitentem rite converſum jam nunc abſolvere compellit, & ob inſignem animi mutationem, aut alia, quæ accidunt, ponitur non eſſe, cur timeatur, ne intra paucum temporis, quo occaſionem melius tollendi opportunitas expectaretur, relapſurus ſit.

SEPTIMO: Propoſitio 11. non eſt Propoſitio Doctorum; ſed eſt Concilii Romani ſub *GREGORIO VII.* celebrari, quam iis relinquemus, quibus erit animus diſputare.

§. 3.

§. 3.

Paucis exemplis dilucidatur Propoſitio 8. *quatenus eâ aſſeritur quaſdam dilationes abſolutionis eſſe pernicioſas.*

EXoticas abſolutionum dilationes in Belgio fieri paſſim nemo in Belgio dubitat, ac ne Romæ quidem, ut exiſtimamus, famâ ipsâ tam conſtanter annuntiante. Nemo etiam dubitat, quin illæ originem habeant ex doctrina Lovanienſium, ac in primis ex *Methodo GVMMARI HVYGHENS* S. Theologiæ Doctoris Lovanienſis, in quam jurare ſolent illi Confeſſarii. Porrò exoticarum dilationum exempla tam multa ſunt, ut libro ſcribendo ſufficerent. Speciminis loco dabimus quædam ex iis, quæ maritima Flandria ſuppeditat.

Brugis Flandrorum hoc ipſo Anno 1677. duo Advenæ confeſſi non potuerunt obtinere abſolutionem; ſed dilati donec adimpleviſſent pœnitentiam ſex ſeptimanarum. Unus ex his dum diutius hærere ibi non poſſet, atque impoſſibile illi eſſet ante annum redire, cum ſe mari committere deberet, indicavit hæc ipſa Confeſſario, humiliterque petiit ut ſe vellet abſolvere, pœnitentiamque mitigare; ſed Confeſſarius id facere renuit, addens ipſos eſſe damnatos. Acceſsêre deinde duo illi Ampliſſimum D.I.Schroy Decanum Collegiatæ, & Parochialis ibidem Eccleſiæ S.Salvatoris qui ſcripto teſtatus eſt 16. Auguſti hujus anni 1677. & in fide Sacerdotis toties quoties requiretur teſtari paratus eſt: primò quod parum abfuerit, quin uterque iſte pœnitens in deſperationem actus fuerit. Secundò quod poſt diligens examen deprehendere nequiverit ullam rationem imponendi talem pœnitentiam, quæ nullo modo conveniebat praxi, quæ hodie eſt in in Eccleſiâ uſitata, ſed multum ſapiebat rigorem antiquum, quo pœnitentiæ graviſſimæ, & publicæ imponi quandoque ſolebant. Tertiò quod illos abſolverit.

Oſtendæ Miles quidam antequam navem conſcenderet, confeſſus eſt cuidam Sacerdoti ex Oratorio Berulliano, quod ibidem eſt, habetque Lovanii Seminarium ſuum; ſed dimiſſus is fuit abſque abſolutione, eò quod juxta judicium iſtius Confeſſarii non eſſet debitè contritus. Inaudivit hoc *Guilielmus Peeters* navis iſtius Capitaneus, & iſtâ occaſione confiteri neglexit. Poſtea tamen advocavit *D. Petrum van Weert* Præſidii Oſtendani Capellanum majorem, qui ſe 20. Junii hujus anni ad iſtam navim aliâ navi vectus ſatis procul Oſtendâ hærentem contulit, ejuſque confeſſionem excepit, uti & Militis iſtius abſque abſolutione dimiſſi, & utrumque abſolvit magno, ut ſperare licet, utriuſque bono; nam uterque in mari periit. Ita ſcripto teſtatur Dictus D. *Petrus van Weert* 5. Julii 1677.

Ibidem

Ibidem quatuor alii pridie hebdomadæ ſanctæ hujus anni 1677. conſcenderant navem Capitanei *Van Embden*, graviterque conquerebantur ſe abſque abſolutione eſſe dimiſſos, uſque adeò, ut etiam jurarent, ſe numquam amplius ad Pœnitentiæ Sacramentum acceſſuros. Induxit tamen prædictus D. *Petrus van Weert* Capellanus major ex his duos certâ occaſione oblatâ, ut denuò illi confiterentur, quod fecerunt, illoſque abſolvit, qui paulo poſt cum aliis non abſolutis in mari ſimiliter perierunt. Ita rurſum teſtatur die, & anno iiſdem ſupra *D. Petrus van Weert* Capellanus major Præſidii Oſtendani.

Ibidem menſe Majo elapſo quidam ſcriba *D. Balduini Borm* nomine *Firmont* ad mortem decumbens ex variolis, confeſſus fuit cuidam Sacerdoti ex Oratorio Berulliano nomine *Willemans* (exceſſerat is non ita pridem Lovanio ob concionem valde ſcandaloſam ibidem à ſe habitam) ſed judicavit hic ægrum eſſe incapacem abſolutionis accipiendæ. Ingraveſcente dein magis periculo, urgenteque medico, ut ægro ritè proſpiceretur, adfuit rurſum dictus Sacerdos ex Oratorio nomine *Willemans*, iterumque dixit, ægrum eſſe incapacem accipiendæ abſolutionis, majorem dolorem in Confeſſione ægri requirens, & ſic abſolutionem etiam tunc diſtulit. Tum derelictus æger & in extremo poſitus arreptâ Chriſti Crucifixi imagine vulnera ejuſdem exoſculans dixit: Deus meus, ſi me homines deſerant, tu me numquam derelinques, & ita confeſſione, & Sacramentis Eccleſiæ privatus obiit. Ita ſub Juramento teſtatur die 19. Auguſti hujus anni 1677. Medicus Oſtendanus nomine *Du Roſin*.

Hæc ex illa Flandriæ parte: non perambulabimus reliquum Belgium, ne hiſtoriis innumeris fatigemus Lectorem.

CAPUT XI.

Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de injungendis pœnitentiis à Confeſſariis.

§. I.

Doctrina de injungendis pœnitentiis, quam, ut paſſim traditam in Scholâ Lovanienſium, obtuliſſe dicuntur S. Sedi Doctores Lovanienſes.

PRopoſitiones de injungendis pœnitentiis hoc ordine & numero ſequuntur in exemplari, quod Româ accepimus.

„ 12. Confeſſarius obligatur pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes injungere ſatisfactiones. Qui indulgentius

„ tius agit, & leviſſima quædam opera injungit pro graviſſimis delictis, com-
„ municat peccatis alienis.

„ 13. Iſtiuſmodi ſalutares pœnitentias peccator acceptare & adimplere *(debet.)*

„ 14. Graviorum dilectorum pœnitentiam ante abſolutionem explere, eſt ex
„ variis cauſis ſanctiſſimum : iſtius tamen moris neceſſitatem jam pridem ab-
„ ſtulit materna Eccleſiæ clementia, nec videtur reducenda, niſi ſic Eccleſiæ
„ Romanæ videretur. „

§. 2.

Dilucidantur hæ Propoſitiones.

PRIMO, Mirum ſi Propoſitionem 12. poſuerint tamquam propriam ipſis doctrinam, quâ diſcrepent à vulgo Theologorum, aut tamquam eſſet operæ pretium de ea conſuli S. Sedem. Poterant eodem jure univerſum Concilii Trid. Decretum de Pœnitentia offerre examinandum S. Sedi.

Sed cur mutarunt verba Concilii Trid. Seſſ. 14. cap. 8. ? gravior & accuratior eſt oratio Concilii : „ Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiri-
„ tus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facul-
„ tate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere : ne ſi fortè peccatis
„ conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam ope-
„ ra pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. „

Merebantur non omitti hæc verba ; *quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit* ipſis Sacerdotibus Domini. Hic verò eſt difficultas. De ſpiritu & prudentiâ facilè ſibi quiſque blanditur : invenias etiam, qui, quod ſibi putent ſuggeſtum à ſpiritu & prudentiâ, id regulam quamdam & normam cæteris velint eſſe, quaſi præter ipſos nulli ſint prudentes. Scimus quo ſpiritu & quâ prudentiâ in delectu ſatisfactionum ſalutarium ſe gerant multi per Belgium Sacerdotes Domini, quos Lovanienſis Schola Theologica habuit diſcipulos. Hiſtoriæ ſi exponantur, fabulas dicent : ſed hæ fabulæ tam ſunt multiplices, tam ſinceris teſtibus probatæ, quoad probari ea res poteſt, ut nemo pro fabulis habeat in Belgio, niſi qui ſentiat illarum ignominiam ad ſe, ſuoſque pertinere. Fama ipſa tam conſtans, tamque multorum ore ſonans, non poteſt Romæ eſſe inaudita, aut ſuſpectæ fidei.

SECUNDO : Propoſitio 13. quod attinet ad obligationem implendi pœnitentiam habet quiddam ambigui : quoniam enim ex doctrinâ *Methodi*, qui liber his Doctoribus eſt quidam Canon Confeſſariorum, perſæpe differenda eſt Abſolutio,

Abſolutio, imò differenda eſt regulariter omni pœnitenti, qui peccavit mortaliter donec vitam notabili tempore emendaverit, ut patuit in 2. parte *Speciminis* cap. 5. §. 6. atque interea exercendus pœnitens variis pœnitentiæ operibus ipſi à Sacerdote injungendis, credibile eſt ex mente horum Doctorum, pœnitentem autoritate Confeſſarii obligari ad implendas pœnitentias ante Abſolutionem quoties Abſolutionem ille diſtulit.

Dicere illi ſolent, pia opera, quæ præſcribit Confeſſarius Abſolutionem differens, non præſcribi ut ſatisfactiones, ſed ut medicinas utiles ad veram converſionem. Verum an ſit explicatu facile, quid illis operibus deſit, quo minus ſint re ipsâ ſatisfactiones, judicabit Eruditus Lector.

TERTIO. Quod dicunt Propoſitione 14. neceſſitatem explendi pœnitentias pro gravioribus delictis ante Abſolutionem ſublatam eſſe ab Eccleſiâ, ſupponit fuiſſe olim generalem neceſſitatem ſic explendi illas pœnitentias. De hoc diſpicient, quibus libebit diſputare.

Credamus ita ſentire hos Doctores, ut habet Propoſitio 14. de ſublata neceſſitate pœnitentiarum ante Abſolutionem: mirum eſt ipſos non perſuaſiſſe hanc ſententiam illis, apud quos in magnâ ſunt admiratione, & quos in 2. parte *Speciminis* cap. 5. §. 7. audivimus docentes, ſatisfactionem Abſolutioni præmittendam eſſe ex inſtitutione *Chriſti*; idque ita, ut irrita ſit Abſolutio, ſi ſecus fiat: quos itidem audivimus docentes ibidem §. 8. vim juſtificandi, aut remittendi pœnam æternam convenire ſatisfactionibus præviis ad Abſolutionem: quos denique audivimus affirmantes ibidem §. 9. quod Eccleſia numquam approbaverit ritum illum, quo per Eccleſiam ipſam hodie adminiſtratur Sacramentum pœnitentiæ, ſed toleret invita & coacta.

Quid de Propoſitione illa 14. ſentiat *FRANCISCUS VAN VIANEN* S. T. Doctor, qui Romam legatus à Facultate Theologica Lovanienſi Propoſitionem illam obtulit Sedi Apoſtolicæ, fortaſſe intelliget Lector ex illa Aſſertione, quam Lovanii die 13. Januarii 1676. his verbis propoſuit Theſi 2.

Opera ſatisfactoria olim præcedebant reconciliationem, uti (præter ſexcenta argumenta) invictiſſimè probat vel unus Canon iſque undecimus Concilii Toletani tertii, cujus autoritatem in dubium ſi revoces, BELLARMINO, *& toti Eccleſiæ temerarius cenſeris. Nec ideo minus ad Sacramentum pertinebat ea ſatisfactio; quippe quæ efficax erat ad abolendam pœnam, non tantum temporalem, ſed etiam æternam: & ſanè mirum eſt hodie à multis totam Sacramenti virtutem, quæ ex opere operato vocatur, abſolutioni tribui; cum ea etiam & confeſſioni, & ſatisfactioni conveniat.*

Hîc 1. vides id quod in propoſitione 14. affirmatur verecundiùs & reſtrictè ad ſatisfactiones pro gravioribus delictis, affirmari ſine reſtrictione; *Opera ſatisfactoria olim præcedebant reconciliationem.* Vides 2. ſatisfactionibus Abſolutioni præviis vindicari efficaciam abolendi pœnam æternam. Vide 3. virtutem ex opere operato (mirum ſi non eamdem, de quâ proximè mentio fuit) ſim-

plicitèr vindicari ſatisfactionibus. Vides 4. occaſionem arripi reprehendendi Scholaſticos, qui totam virtutem ex opere operato tribuunt Abſolutioni. Non eſt hoc mirum, quia ut ſuprà obſervavimus, eò tendit doctrina horum Doctorum, quam expoſuimus in 2. parte cap. 5. ut infirmetur Abſolutio Sacerdotis. Sed Autor Theſeos parum videtur attendiſſe in illâ quæſtione ſpeculativâ, nihil ab illis Scholaſticis aſſertum eſſe, quod deroget utilitati reliquarum partium Sacramenti; cum ex mente illorum Abſolutio virtutem hanc ſuam non exerat, niſi juxta modum perfectionis illarum, quibus proinde etiam in illâ ſententiâ dici queat æquivalenter convenire virtus ex opere operato, quo intenti in 2. parte cap. 5. §. 8. diximus, non multos aut nullos hodie eſſe, qui id doceant, quod Theſis affirmat tam multos hodie docere; animadvertentes eò ſpectare Theſim ut extollatur utilitas ſatisfactionum, cui nihil detrahes, aut adjunges, quod ad praxim pertinere queat, utcumque ſenſeris in illâ quæſtione ſpeculativâ Scholaſticorum de eſſentiâ Sacramenti pœnitentiæ.

§. 3.

Oſtenditur, quod Doctrina horum Theologorum in materia Tertiæ Propoſitionis ex quinque Ianſenianis ſit origo Methodi retinendi peccata, quæ iiſdem placet hôc tempore.

Methodus illa, ut verbo dicamus, hæc eſt: differenda eſt Abſolutio omni pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi, imò omni pœnitenti habenti peccatum lethale; ſi mortis articulum exceperis & eventum converſionis cujuſdam miraculoſæ: differendam verò eſſe abſolutionem, donec exuta ſit conſuetudo peccandi: converſionem peccatoris non eſſe veram, quam ſequatur facilis relapſus, &c Vide Lector, quæ dedimus in 2. parte *Speciminis.* cap. 5. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Doctrina horum Theologorum in materia Tertiæ Propoſitionis ex Quinque damnatis hæc eſt: *quod amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt,* dictum hoc Auguſtini intelligendo de delectatione indeliberata & non libera nobis. Etenim numquam non reciprocantur in animâ duæ huiuſmodi delectationes; altera cœleſtis, ſeu gratiæ altera terrena, ſeu concupiſcentiæ: ſi major eſt delectatio cœleſtis, *ſecundùm hanc operemur neceſſe eſt*: ſi major eſt delectatio terrena, *ſecundùm hanc operemur neceſſe eſt.* Hanc eorum doctrinam diligenter expoſitam vide, Lector, in 1. parte *ſpeciminis* capite 3. §. 1. 2. 3.

Ut perſpicias, quæ ſit connexio inter hanc doctrinam de gratiâ, & libertate, & inter illam *Methodum retinendi peccata*, animadverte 1. in animo hominis, dum peccat, prædominari delectationem illam concupiſcentiæ, ſecundum quam

quam *operetur neceſſe eſt*: non eſſe verò rem facilem illos animi fluctus ita ſedari, ut ad ſuam malaciam redeat animus, vel potius ut illis turbidis ventis ſedatis, leniores auræ animum perflent; ſed juſto tempore ad hoc eſſe opus: interea homo ſecundùm illum motum ſeu delectationem concupiſcentiæ *operetur neceſſe eſt*.

Animadverte 2. non poſſe verè converti peccatorem, niſi per divinam gratiam, hoc eſt per delectationem cæleſtem in animo hominis prædominantem, *ſecundùm quam operetur neceſſe eſt*: hanc verò, ſi miraculum abſit, non effici prædominantem citò. Conſtat enim experientiâ, hoc genus delectationes ſupernaturales in ſuo ortu & incremento imitari delectationes naturales: non eſt facilè, ſed juſto opus eſt tempore, ut delectatione vindictæ incitatus animus contra quempiam componatur ita, ut in eo prædominetur naturalis delectatio amicitiæ erga eundem hominem.

Animadverte 3. nefas eſſe impertiri abſolutionem peccatori, niſi ritè converſo.

Ex his verò ſequitur 1. omni pœnitenti reo peccati mortalis; præcipuè tamen conſuetudinario, differendam eſſe abſolutionem, donec ſcilicet liceat confidere delectationem cæleſtem prævaluiſſe adverſus terrenam.

Sequitur 2. oportere exutam eſſe conſuetudinem peccandi, ut liceat abſolvere eum, qui aſſueverit peccare. Etenim conſuetudo peccandi eſt habitus ille, qui ex frequentatis actibus peccati contractus, ſi non eſt reipsâ delectatio illa peccati indeliberata in animo prædominans, certè adjunctam habet delectationem illam, quæ rurſus vel eſt reipsâ facilitas illa & pronitas, quam agnoſcimus in habitibus voluntatis, vel illam parit neceſſariò: atqui prædominante illâ delectatione non eſt verè converſus peccator: quia ſecundùm illam delectationem *operetur neceſſe eſt*, adeoque ſecundùm illam neceſſe eſt, ut peccet.

Similiter, atque ex cauſis iiſdem, animadvertat Lector, in animo hominis verè converſi prædominante delectatione cœleſti, non eſſe facile, ſed juſto opus eſſe tempore, ut contra prævalere incipiat delectatio concupiſcentiæ.

Hinc verò ſequitur 1. citum relapſum poſt abſolutionem eſſe omnino ſignum nobis, pœnitentem non fuiſſe verè converſum.

Sequitur 2. confeſſiones omnes, durante conſuetudine factas, eſſe iterandas, ipſaſque & communiones illis junctas eſſe confitendas, ut ſacrilegia.

Odorem hunc præbuiſſe ſit ſatis. Cui libuerit cætera myſteria doctrinæ pertinentis ad *Methodum retinendi peccata* hoc tempore celebrem conferre cum doctrinâ horum Theologorum in Materiâ tertiæ propoſitionis ex 5. damnatis, haud ægrè perſpiciet connexionem inter hanc, atque illam doctrinam, adeoque *Methodi* ipſius originem.

§. 4.

Oſtenditur, quod Doctrina eadem horum Theologorum in Materiâ tertiæ propoſitionis ex Quinque damnatis ſit origo doctrinæ Macarii Havermans *de lethali cupiditate perſeverante in peccatore donec ſupprimatur à charitate.*

Differenda ſine dubio eſt abſolutio peccatori, in quo perſeverat illa cupiditas. At verò eam neceſſariò perſeverare donec ſupprimatur à charitate paradoxum videri poſſit: ſed paradoxum abſterget Tertia Propoſitio ex quinque Janſenianis, ſi vera putetur. Doctrinam *Macarii Havermans* exponamus. In *Tyrocinio* tract.1.cap.6.§.6.pag.160. ſic docet.

Si autem ante peccati deteſtationem, ac fugam ex gehennæ metu peccator affectu adhæreat peccato, fiatque illa ex ſolo gehennæ metu & non concurrat contrarius Dei amor, qui illam nolleitatem ſupprimat recedendi à peccato, ſi poſſet impunè, tunc illa deteſtatio & fuga peccati erit involuntaria ſecundùm quid, & fiet cum languore, reniſu, repugnantiâ, ac nolleitate recedendi à peccato, ſi fieri poſſet impunè.

Ecce affectus ille, qui eſt lethalis, ſi ſit erga peccatum lethale, non ſupprimitur, niſi concurrat contrarius Dei amor: perſeverat igitur niſi concurrat ille amor: atqui omnis, qui peccavit lethaliter, habuit affectum erga peccatum.

Etſi manifeſtum ſit ex verbis modò relatis, quod loquatur de affectu actuali erga peccatum, ſit tamen hoc manifeſtius ibidem pag.161.

Nec refert, quod homo prævideat, quod per illum etiam remanentem latentem affectum erga peccatum etiam reatum pœnæ, quam timet & fugere conatur, incurret: quia illum affectum pro libitu deponere nequit, neque per quodcumque motivum expellere; ſed tantum per contrarium motivum, ſeu contrarium affectum juſtitiæ. Affectus juſtitiæ ſola eſt caritas huic auctori, ut declarat ibidem pag.167.

Ex his patet, merum eſſe fucum, quem objicit ſummo Pontifici in ſua *Epiſtolâ Apologeticâ* num.41.pag.58.his verbis:

Quando dicit FRANCISCVS SIMONIS, *quod ſecundùm nos dolori adhæreat pertinaciter cupiditas iſta, niſi major eam caritas opprimat, quæ ſola id poteſt, id verum non eſt, ſi loquamur de cupiditate quâdam actuali, ſeu actuali velleitate peccandi, ſi non eſſet gehennæ: ut enim in Tyrocinio meo Tract.1.cap.6.expreſſè docui, cupiditatem illam, ſeu velleitatem, quandoque tantummodo eſſe habitualem.* Conſtructio non eſt bona, ſed tamen intelligitur, quid velit.

Verùm *Macarius* illo cap.6.§.6.pag.168. inſinuavit fortaſſe (non enim affirmavit, multò minus expreſsè docuit) velleitatem illam interdum ſolum eſſe habitualem; ſed immemor ſui, omniſque conſequentiæ.

Videt

Videt perſpicax Lector, dogma ipſum ſponte ſua fluere ex doctrinâ horum Theologorum in materiâ Tertiæ propoſitionis ex quinque Janſenianis ab Eccleſiâ damnatis. *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Teſſera quædam hæc eſt Lovanienſis ſcholæ. Atqui prædominabatur in homine, quando peccabat, delectatio concupiſcentiæ, & prædominari pergit, donec prædominari incipiat delectatio gratiæ: hoc verò non contingit ſubitò, ut intelligitur ex dictis §. ſuperiore. Atqui ſecundùm delectationem concupiſcentiæ *operemur neceſſe eſt*, ſaltem per pravam cupiditatem, quamdiu illa eſt major. Aſt ubi prævalere cœperit delectatio gratiæ, *ſecundum hanc operemur neceſſe eſt* per caritatem; cum ipſa delectatio gratiæ ſit quidam motus caritatis indeliberatus, cui non obſequitur voluntas, niſi per caritatem. Videt ergo Lector quam bellè influant illa ſpeculativa in Theologiam moralem.

CAPUT XII.

Suppletur defectus capitalis Doctorum Lovanienſium S. Sedem informantium de ſua Doctrina.

DEfectus inquam capitalis, ſi integrum eſt exemplum informationis, quod accepimus. Prorſus enim tacuerunt de ſua doctrina in materia de divina gratia, & libertate.

Et tamen in ſecundo libello ſupplici oblato ſuæ Majeſtati, quem ſupra deſcripſimus, declaraverant, ſe velle conſulere S. Sedem *Super articulis de divina prædeſtinatione, & reprobatione, de auxiliis divinæ gratiæ, & libero arbitrio*; cumque in priori libello ſupplici, quem itidem exhibuimus in principio hujus tertiæ Partis, declaraverint, ſe moveri ad inſtituendam legationem Romanam, quia dolerent eſſe *in Belgio complures & grandes controverſias, & contentiones pertinentes ad Doctrinam Theologicam non ſine acerbitate & vehementiori motu aliquorum, ita ut hinc contingeret veritatem Chriſtianam magnopere obſcurari, turbari &c.* liquet manifeſtè ipſos agnoviſſe, contentionem iſtius generis hoc tempore in Belgio eſſe de divina prædeſtinatione, & reprobatione, de auxiliis divinæ gratiæ, & libero arbitrio. Mirum eſt igitur informantes S. Sedem de ſuâ doctrinâ, tam altùm ſiluiſſe de eâ doctrinâ, quam tenent mordicus in hiſce materiis; præcipuè cum profiteantur in eodem libello ſupplici, ſe velle *informare accuratè S. Sedem de doctrinis, quas docent in ſuis ſcholis.*

Certè Catalogus benè magnus propoſitionum contexi poterat ex iis aſſertionibus, quas retulimus in I. Parte *Speciminis* in materia quinque propoſitionum propugnatas à S. Theol. Doctoribus Lovanienſibus præcipui nominis *Franciſco van Vianen, Gerardo van Werm, Andreâ Laurent, Chriſtiano Lupo* & aliis, quæ

quæ eſſent ejuſmodi, ut de iiſdem haud paulò majori jure conſuli poſſet S.Sedes, quam de multis ex iis, quas obtulerunt, ut continentes doctrinam ſuam: conſtat enim harum permultas non eſſe ipſis proprias, neque controverſas in Belgio; cum illæ Aſſertiones quas retulimus in 1. Parte *Speciminis* jam inde ab eo tempore, quo prodiit in lucem *Auguſtinus* CORNELII IANSENII contentiones nobis dederint, & dare pergant, nullis hactenus decretis Apoſtolicis, quæ tam multa ſunt Romæ data, compoſitas, neque facile componendas, quamdiu illis licebit argutari de quæſtione juris & facti, & quiddam excogitare ſenſus quinque propoſitionum, quem ſtatuant eſſe hæreticum, modo earumdem ſenſum Janſenianum defendere ſinantur, ut Catholicum. Vide ea, Lector, quæ dedimus in 2. Parte *Speciminis* cap. 1. §. 5. Porrò quænam illæ ſint Aſſertiones in materia quinque propoſitionum ex quibus dicebamus contexi poſſe Catalogum propoſitionum benè magnum, de quibus conſulenda erat S.Sedes, otioſum ſit hoc loco repetere: digeſtas accuratè habet Pars prima *Speciminis*.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

SPECI-

SPECIMEN DOCTRINÆ THEOLOGICÆ PER BELGIUM MANANTIS EX ACADEMIA LOVANIENSI.

Ab Anno 1644. *uſque ad Annum* 1677.

PARS QVARTA.

OBSERVATIONES UTILES

Legentibus Quartam, Partem Speciminis.

PRimâ, Secundâ, & Tertiâ Parte *ſpeciminis* S. Sedem docuimus ſumma fide, quid doctrinæ Theologicæ tradiderint Doctores,& Academici Lovanienſes ab anno 1644. ad annum 1677. quo inſtituta ab ipſis eſt Legatio ad Apoſtolicam Sedem. At verò Quartâ, parte S.Sedem docere conabimur eâdem fide, quid doctrinæ Theologicæ & quouſque reprobarint iidem uſque ad annum 1677. vel potiùs ipſo anno 1677 quo dictam legationem inſtituerunt necdum finitam hoc anno 1678. quem ingreſſi ſumus. Non minùs ſcilicet conducet ad informationem S. Sedis de doctrina Theologica Lovanienſium exponere, quid illi & quouſque negarint, quam quid affirmarint: ſed hæc ipſa quæ dabimus ut magis influant in animum Lectoris, diſtinctius obſervanda ſunt quædam.

§. I.

Revocatur Lectori in memoriam Scopus Legationis ad Apoſt. Sedem nuper ſuſcepta à Lovanienſibus Doctoribus.

SCopus Legationis intelligitur ex libellis ſupplicibus, quos Regiæ Majeſtati Catholicæ in ſanctiori Concilio Bruxellis obtulerunt, Legationem ipſam adornantes. Libellos deſcripſimus in principio 3. p. *Specim.* Introduct. §. 2. Sed & hic illa demum, quæ præcipuè ad rem faciunt: ſic inchoarunt libellum priorem.

„ Repræſentant humillimè Decanus & alii Facultatis Theologicæ in Univerſitate Lovanienſi, quod magno ipſorum dolore complures *IN BELGIO* „ & grandes ſint controverſiæ & contentiones pertinentes ad doctrinam Theologicam, non ſine acerbitate & vehementiori motu aliquorum: ita ut hinc „ contingat veritatem Chriſtianam valdè obſcurari, turbari, & injurioſè tractari, & quandoquidem profeſſio ſua Repræſentantes obligat ad curandum, ut „ vera doctrina Chriſtiana doceatur pura & ſolida .... eo pede atque omninò „ ſimiliter, ac ipſorum majores id obſervaverunt uſque ad tempus præſens: „ hinc eſt, quod annis præteritis adhibuerint omnes conatus poſſibiles ad occurrendum periculo remiſſionis; quæ nominatim in moralem Theologiam „ cum miſerandâ hujus ſæculi corruptelâ Symbolizantem irrepit. Sed non obſtante omni conatu & ſtudio, expetito adeò rei eventu potiti non ſunt, contra verò rectas ipſorum intentiones plures ſiniſtrè interpretati ſunt ad ipſos „ in populi invidiam & odium pertrahendos, ſemper propenſi in pravam licentiam, magna cum animarum jactura ac populi perturbatione. Quam ob rem „ Repræſentantes ad haſce nubes diſſipandas inducendamque malaciam, imò „ ad ſuo fungendum munere, aptiorem modum non inveniunt, quam ad S. Sedem Apoſtolicam per deputatos à ſe recurrere. „

Hactenùs illi in libello ſupplici. Hoc ergo agunt præcipuè legatione iſta, ut S. Sedem informent de corruptelis Theologiæ moralis in Belgio. In ipſo ſcilicet exordio libelli ſupplicis conteſtantur *dolorem* ſuum *de compluribus IN BELGIO, & grandibus controverſiis, & contentionibus*: ita ut dubitari non poſſit, quin pertineat ad Theologos & Moralem in Belgio Theologiam reliqua comploratio, quàm continet libellus, *de acerbitate, & vehementiori motu aliquorum, de Veritate Chriſtianâ valdè obſcuratâ.*

Quare cum poſt illa profitentur, ſe *ad haſce nubes diſſipandas, inducendamque malaciam, aptiorem modum non invenire, quam ad S Sedem Apoſtolicam per deputatos à ſe recurrere*, dubitari non poteſt, quin loquantur de *diſſipandis nubibus &* *inducenda*

inducenda malacia in Belgio. Et verò quid in mentem veniret Facultati Theologicæ Lovanienſi,quæ legationem hanc inſtituit, hoc eſt, octo Doctoribus, ſuſcipere informandam S.Sedem de doctrina Theologorum exterorum *& remiſſione in Moralem Theologiam irrepente* in Hiſpania, Gallia, Germania, Italia, ipſâque adeo Urbe Roma? Non hoc agitabant conſilii, ſine dubio, quando Collegæ ſuo *Martino Steyart* S.T. Doctori negotium dederunt curſandi toto Belgio & adeundi omnes per Belgium Catholicum ordinarios ſupplicaturum, *ut dignarentur ſuggerere præcipuas quæſtiones, ipſorum diœceſim turbantes ad melius ſtatuendum ſtatum controverſiæ apud S. Sedem,agitandæ.* Synopſim commiſſionis exhibuimus in principio 3.p. *Specim.*§.2.

Ex his denique concludere licet, illas omnes propoſitiones, quas repræſentarunt S. Sedi, ut reprobatas à ſuâ Scholâ, repræſentatas eſſe ab ipſis, tamquam laxitates, & corruptelas Theologiæ Moralis in Belgio. Hoc verò Lector teneat.

§. 2.

Generatim animadvertitur, quam feliciter & quanta fide Lovanienſes Doctores informarint S. Sedem de doctrina morali ſuorum adverſariorum in Belgio: imo quam variè aberraverint à ſuo ſcopo.

PRIMO. Ex propoſitionibus undecim & centum quas repræſentarunt S. Sedi ut corruptelas Theologiæ moralis in Belgio, & quæſtionem continentes unde exſtiterint in Belgio, *contentiones, acerbitates, ſcandala, Reipublicæ perturbationes &c.* perpaucas invenias, quæ ſint in Belgio ullius nominis, non paucas verò,quas nemo in Belgio Theologus tradidit, quod aſſequi licuerit: quaſdam excerpſere ex Theſibus Scholaſticis ſemel alicubi defenſis,quæ ſimul defenſæ,ſimul oblivioni traditæ fuerunt. Alias propoſitiones in Belgio traditas Theſibus libriſve repræſentarunt S. Sedi vel fœdè truncatas, vel inhumanè avulſas à ſuo contextu. Reliquas Propoſitiones accerſiverunt ex Hiſpania, Gallia, Germania,Italia,Sicilia.

SECUNDO. Quantam diligentiam adhibuerint,ut corraderent propoſitiones Theologorum in Belgio malè ſibi olentes,ex eo patet,quod cum Lovanii non invenirent copiam inſtruendæ S.Sedis,accuſationi idoneam,negotium dederint *Martino Steyart* S.T.D. ampliorem materiam conquirendi toto Belgio. Patet denique ex Scopo ipſo legationis, quem expoſuimus §.ſuperiori.Quare cum tam paucas invenerint Propoſitiones Theologorum in Belgio, de quibus expoſtularent apud S. Sedem, mirabitur Lector Theologorum in Belgio, doctrinam moralem tam eſſe caſtam, ut tam linceos oculos in cernendis, &

quærendis nævis tam pauca offenderint. Attamen profectò Theologi iidem parvam gratiam habebunt his Doctoribus, quod propoſitiones exterorum Theologorum tam multas oſtentarint S.Sedi ut corruptelas Theologiæ moralis in Belgio.

TERTIO. Exteris quoque Theologis, injurii fuerunt, quos ſcilicet compulerint eſſe Belgas, & quorum verba mutilando, augendoque doctrinas repræſentarunt S.Sedi, quas illi pro ſuis nolint agnoſcere.

QVARTO. Quoniam verò non eſt obſcurum, hoc illos agere, ut Propoſitiones Theologorum, quas repræſentarunt S. Sedi tamquam reprobatas à ſua Schola, reprobentur quoque ab ipſa S. Sede, mirabitur ſanè lector confidentiam Doctorum Lovanienſium, ubi in numero propoſitionum undecim, & centum in eas Propoſitiones inciderit, quarum doctrinam Theologi & plurimi & graviſſimi Annis abhinc multis, & ubique ſuſtinuerunt nullius offenſione Huc erexere animos hoc tempore, pauculi. hoc eſt, octo, neque magni nominis Doctores, quorum doctrinæ extra Lovanienſem Scholam vix ullum extat ſpecimen.

QVINTO. Eſt verò etiam ſtupore dignum Propoſitiones repræſentari S.Sedi, quas extra Catalogum Propoſitionum invenire ſit nuſpiam. Et tamen ſcire poterant, qui ex his Doctoribus Seniores ſunt, cum Illuſt. Archiepiſcopus Mechilienſis Romam miſiſſet Articulos 38. Lovanii Cenſurâ notatos, ut illos quoque reprobaret S. Congregatio, ſi ita videretur, reſponſum fuiſſe à S. Congregatione datum 7. Julii 1655. ad Illuſt. *Mangellum* Internuntium Apoſtolicum in Belgio, *ſuſpendi cenſuram, donec videantur loca, ex quibus ſunt excerpta Propoſitiones.*

SEXTO. Si verum fateri volent ſeniores ex his Doctoribus, qui inter Cenſores quondam locum habuerunt, non diſſimulabunt articulorum à ſe damnatorum excerptos eſſe non paucos, aut commonſtratos ab Anonymo Auctore infamis damnatique libelli *Theologie Morale des Ieſuites.* Aut nihilò meliore *Gregorio Eſclapez*, cujus impoſturas Inquiſitio Hiſpanica ſuppreſſit. Quid etiam ſubſidii Doctores hoc tempore, habere potuerint ab alio Anonymo famoſi operis *la Morale des Ieſuites* aut à *Ludovico Montaltio* in damnatis Epiſtolis, intelliget lector illorum ſcriptorum peritus.

SEPTIMO. Quoniam etiam Propoſitiones, quas tractare aggredimur, repræſentantur S.Sedi, ut reprobatæ à *Schola Lovanienſi*, nos *Scholam Lovanienſem* intelligemus Doctores Facultatis Theologicæ non ſolum octo hujus temporis (iniquum hoc ſit) ſed nulla reſtrictione temporis ſpectatos, præcipuè cum in libello ſupplici haud obſcurè ſignificent, hos ſe habere doctrinâ ipsâ conſentientes. Erit ergo operę pretium inquirere identidem, quid ſenſerint ipſorum majores de illis doctrinis, quas ut reprobatas à Lovanienſi ſchola repręſentarunt S. Sedi Doctores Lovanienſes. Non tamen id præſtabimus ad Propoſitiones

ſingulas

ſingulas quando non paucæ autoris ſunt nullius, plurimæ verò truncatis variatiſque auctorum verbis ſic exhibitæ, ut eas pro ſuis Auctores non ſint agnituri.

OCTAVO. Quoniam denique in priori libello ſupplici deplorant *magno ipſorum dolore complures in Belgio & grandes eſſe contentiones non ſine acerbitate & vehementiori motu aliquorum* &c. operæ pretium erit identidem adnotare ſpecimina quædam Modeſtiæ horum Doctorum, & Academicorum Lovanienſium in iis doctrinæ materiis, quas nobis ipſi offerunt. Ubi & locum dare oportebit petulantiis poëticis horum Academicorum in Morales Theologos horumque doctrinam, quæ nobis repetentibus memoriam ſuperioris ſæculi, haud abſimiles videntur iis poëtarum & Rhetorum ludis, ad quos Wittenbergæ, novationes ſuas inceptante *Luthero*, ingemiſcebant omnes boni.

PARS QVARTA.

Specimen Doctrinæ Theologicæ ex Academia Lovanienſi per Belgium manantis in materia *morum*, ſuppletis defectibus, ſublatiſque exceſſibus Lovanienſium Doctorum S. Sedem informantium de doctrina ſuorum Adverſariorum in Belgio.

CAPUT I.

De ignorantia, & inadvertentia malitiæ.

§. 1.

Ad doctrinam de ignorantia malitiæ, quam, ut laxitatem Theologorum in Belgio, à Lovanienſi Schola reprobatam, Sanctæ Sedi repreſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO UNICA Ignorantia cenſetur invincibilis, atque ita excuſans à peccato, quando ignoranti nulla ſubit actualis advertentia, vel conſideratio ejus auferendæ.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Rarò talis conſideratio ſubit libertinis obcæcatis, qui, cum ad profundum venerint peccatorum, contemnunt, & neſciunt ipſi, ubi corruunt.*

PRIMO. Caſus propoſitionis hic ſolùm videtur eſſe poſſe, in quo ignoranti nulla ſubit cogitatio, dubitatio, ſuſpicio de malitia: quia ſi aliquam ſaltem dubitationem, aut ſuſpicionem de malitia patiatur, fieri non poteſt, ut non advertat, ſe obligari ad auferendam ignorantiam, priuſquam procedat ad actionem, de cujus malitia dubitatur.

Propoſitionem ergo ſic intelligimus, ac ſi diceretur; *ignorantia cenſetur invincibilis, atque ita excuſans à peccato, quando ignoranti nulla ſubit cogitatio, dubitatio, ſuſpicio de malitia.* Fatendum verò eſt, hanc eſſe commuuem doctrinam Theologorum in Belgio, quod attinet ad excuſationem à peccato, contra Doctores Lovanienſes; uti & conſtat eſſe communem Theologorum in Eccleſia Dei.

SECVNDO. Occaſionem propoſitioni dediſſe poteſt celebris in Belgio Theologus hoc tempore *GVILIELMVS HERINX*, quem nuper ſua virtus & doctrina omni major invidiâ ad Iprenſem in Flandriâ Epiſcopatum evexit. Quartum ab illo, cujus doctrinam de ignorantia, connexamque de libertate, gratiâ, cæteriſque tenere pergunt mordicus in Belgio tam multi. Melior Antiſtes Iprenſis non erubuit communem doctrinam in ſua ſummâ Theol. P. 2. Tract. 2. diſp. 1. num. 29. His verbis. „ Omnium illorum adeſt ignorantia ſeu „ inadvertentia invincibilis, quorum neque ſcrupulus, neque dubitatio, aut inci- „ dentia ulla occurrit; talis enim ignorantia nequit humano modo depelli, nec „ obligationis, de qua ne quidem aliquid incidit, ſcientia haberi.

Quoniam verò Lovanienſes Doctores ad laxitates Belgii oſtendendas libros excutiunt etiam in Hiſpaniâ, Galliâ, Italiâ, Germaniâ ſcriptos, potuit quoque illis occaſionem præbuiſſe *GABRIEL VASQVEZ* 1. 2. diſp. 123. cap. 2. Cujus verba ad propoſitionem ipſam aliquantò magis accedunt; ſed verba ejus omnia teneantur hæc ipſa: „ Illa ignorantia legis cenſenda eſt omnino invincibilis, „ cujus nulla notitia, nec ratio dubitandi in univerſum, aut peculiariter occur- „ rit: ut enim ibi (diſp: 107. cap. 3.) dicebamus, niſi naturaliter nobis occur- „ rat aliqua dubitatio, vel notitia de re aliquâ, non eſt in noſtra poteſtate, de „ illa conſultare, aut illam amplecti, & rejicere &c.

Eſt etiam veroſimile occaſionem propoſitioni dediſſe *Ludovicum Montaltium* carum his Academicis Scriptorem, qui epiſtolâ 4. de hoc genere doctrinæ, exagitandos Theologos ſibi ſumpſit.

TERTIO.

TERTIO. Diſplicere hujuſmodi doctrinam Lovanienſibus Academicis non eſt mirum, ſi conſiderentur illorum dogmata de peccatis ignorantiæ, quæ retulimus in 1. p. *Specim.* toto cap. 6. & in 3. p. cap. 1. quæ an placere debeant præ iis, quæ vulgò docent Theologi, judicium ſit Apoſtolicæ Sedis.

QVARTO. Quod verò in *Adnotatione Marginali* oſtendunt ſe angi, ne, ſi vera ſit propoſitio, à peccatis ferè excuſentur Libertini occœcati, in eo, ut ferè in cæteris, imitantur *Cornelium Janſenium* quiddam ſimile paſſum lib. 2. *de ſtatu Nat. Lapſæ* cap. 6. col. 302. ubi ſic ſcribit: „ & ſanè ſi iſta peccata iſtius invinci- „ bilis ignorantiæ, cum quâ infidelis quiſque naſcitur, vera peccata non ſunt, „ nulla ratio eſt, cur non pleraque eorum peccata, qui divino judicio excæcati „ ſunt, ab omni iniquitate purgemus: nam etiam in illorum aliquibus ita ad „ nonnullas regulas veritatis agnoſcendas omne lumen veritatis extinctum eſt, „ ut quamvis & velint, & conentur obnixiſſimè eas videre, non poſſint.

Neque eò minus videri poſſunt imitati hunc locum Lovanienſes Doctores, quod ex ipſis quidam invincibilis ignorantiæ nomen audire nolint, dicentes omnem eſſe vincibilem: quæſtio Hæc eſt de nomine, ut in 3. p. Specim. cap. 1. § 3. didicimus à *Macario Havermans* interprete horum Doctorũ, imò ex ipſis hiſce Doctoribus ibid. §. 1. & 2. præcipuè pagina 193. ignorantia ſcilicet omnis eſt vincibilis; ſed per gratiam divinam, ſeu vinci poſſet per gratiam, quando hæc daretur; non datur autem, quando illa non vincitur. *Janſenium* imitantes Lovanienſes in hoc ipſo, & in ſuperiori puncto de *libertinis occæcatis* audire pergamus; ibid: enim col. 303. ſic ille pergit:

„ Cum ergo neceſſe ſit ut qui divino judicio excæcatus eſt plus offendat, & „ cadendo vexetur, cur non & ipſorum peccata propter cæcitatem ante vinci- „ bilem, jam invincibilem, excuſemus, ſi ignorantia invincibilis illum natura- „ lis juris excuſat? utraque enim quædam cæcitas eſt, utraque ſolâ humanâ po- „ teſtate invincibilis: utraque divinâ gratiâ, & poteſtate vincibilis &c.

Non fuit ſolicitus *Janſenius* de peccatis excæcatorum, niſi ut concluderet, etiam in non excæcatis ignorantiam juris naturæ non excuſare: quia ut illorum ignorantia vinci potuit non peccando perſonaliter, ut vulgò rem explicant, ſic omnium ignorantia vinci potuit *Adamo* non peccante, & nobis non peccantibus in ipſo: hinc rationem voluntarii accerſit ille peccatis ignorantiæ præeunte *Calvino*, hinc accerſunt hodieque Academici Lovanienſes non pauci, ut vidimus 1. p. c. 6. §. 2. & accerſere coguntur omnes, qui peccatum ignorantiæ agnoſcunt, ſine ulla notitia, dubitatione, aut ſuſpicione malitiæ. Vide quæ dedimus in 3. p. cap. 1. §. 3.

Certè quidem *Franciſcus van Vianen* S.T. Doctor Lovanienſis ab illâ ratione voluntarii parùm abhorret, ut intelligit Lector ex iis quæ dedimus in 1. p. c. 6. §. 1. & 2.

QVINTO. Quam nihil ſpei ſit in loco Proverb. 4. *neſciunt ubi corruunt*, quem

quem in ſua *Adnotatione marginali* oſtentant Lovanienſes Doctores, ediſſerent S. Scripturæ obvii interpretes: nobis non licet his immorari, qui ſtudemus informandæ S. Sedi de doctrinis ipſis.

§. 2.

Ad Doctrinam de inadvertentiâ malitiæ, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PRopositio Prima. Quiſquis ſine ullâ formidine oppoſiti, aut advertentiâ ad ullam malitiam, judicat, operationem non eſſe malam, non peccat operationem illam ponendo; ſive id judicet evidenter, ſive tantùm probabiliter; ſive verè, ſive falsò; ſolidâ, vel non ſolidâ ratione nixus.

Adnotatio Marginalis. *Iuſti & timorati ſolent eſſe ſoliciti pro peccatis occultis, & ignorantiæ; vereri etiam, ne Dei judicio peccata iſta graviora cenſeantur, quam ipſiſmet appareant.*

PRIMO. Sumpta eſt propoſitio ex theſibus cujuſdam profeſſoris obſcuri nominis, cui contigit annis paucis extra ſtrepitum Academicum docere Theologiam moralem; quo in munere, ſaltem bis præſedit actui publico impreſſis Theſibus, quæ ſimul defenſæ ſunt, ſimul oblivioni traditæ; niſi quod *Macarius Havermans* illas ſervarit uſui futuras Doctoribus Lovanienſibus in ſuâ legatione ad Apoſtolicam Sedem: tam erat nobis incognita Propoſitio, ut niſi ille commonſtraſſet, deſperaſſemus de inveniendo ejus Auctore.

SECVNDO. Fatemur id quod ajunt in adnotatione marginali, juſtos & timoratos eſſe ſolicitos de peccatis occultis: horum gratiâ ſedulò examinant conſcientiam, &, ſi quid poſt diligens examen memoriæ non occurrat, dolent tamen generaliter, etiam de iis peccatis, quæ non occurrunt memoriæ. Fatemur itidem, illos ſolere vereri, ne Dei judicio peccata, quæ commiſerunt, videantur graviora, quam ſibi appareant: cogitationes noſtræ, conſenſus, & diſſenſus, quibus fiunt peccata, non ſunt faciles intimè cognoſci: eſt etiam piarum mentium ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt. Cæterum ibi culpam agnoſcere, ubi

conſtat

conſtat numquam fuiſſe vel minimam dubitationem, ſuſpicionem, aut ſcrupulum de malitiâ, illorum eſt Theologorum, qui parati ſunt rationem voluntarii peccatis perſonalibus acceerſere à peccato *Adami*, in quo peccavimus.

Propositio Secunda. Si advertentia ſit ad malitiam tantùm in communi, aut ſemiplena ad mortalem, actus non ad mortale, ſed tantùm ad veniale imputabitur.

PRIMO. Non poſſumus vereri, ne Propoſitionem iſtam Romani Theologi dignam exiſtiment, de qua conſulatur Sedes Apoſtolica à Lovanienſibus Doctoribus eam reprobantibus. Imò quia hi ſtatuerunt de ea conſulendam eſſe Apoſtolicam Sedem, exiſtimamus, vel hinc poſſe apparere, quam parvi pendant Scholaſticos Theologos, qui priorem quidem propoſitionis partem tenent ubique tam multi, poſteriorem verò omnes paſſim; ita ut affirmare non dubitaverit Illuſtriſſimus Antiſtes Iprenſis *Guilielmus Herinx* Sum. Theol. p. 2. Tract. 2. diſp. 7, q. 5. n. 38. *id certum eſſe ex conſenſu OMNIVM DOCTORVM!, & praxi totius Eccleſiæ.* Hoc niſi ignoraverint Lovanienſes Doctores, mirum eſt, quomodo ſint auſi doctrinam illam annumerare *pravæ licentiæ, magna cum animarum jactura* &c. quibus verbis in libello ſupplici exaggerant corruptelam moralis Theologiæ in Belgio.

SECVNDO. Sed & à ſcopo ſuo aberrant iidem Doctores in propoſitione illâ; quippe qui in libello ſupplici declararint, ſe ea proponere velle Sedi Apoſtolicæ, quæ ſunt in Belgio *maximè agitata, & de quibus non ſinè ſcandalo & reipublicæ perturbatione graves exſurrexere contentiones.* Quod attinet ad priorem propoſitionis partem, ſine ſcandalo, aut perturbatione ulla eam Theologi noſtrarum partium, alii docuerunt, alii rejecerunt in Belgio, ut fere alibi. Poſteriorem partem communiter docuerunt, nullo contra ſtrepente.

Propositio Tertia. Debemus examinare, & confiteri id quod in juventute fecimus ignorantes eſſe peccatum? R. non: quia ad peccandum, debemus habere notitiam malitiæ, dum rem committimus, nec ſufficit poſtea intelligere, quod eſſet malum.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Denique ſolent* (juſti & timorati) *delicta juventutis ſuæ coram Deo & ſacerdote deplorare.*

PRIMO. Aſſertio, quam continet, Propoſitio, hæc eſt: *non debemus confiteri ie, quod in juventute fecimus ignorantes eſſe peccatum.* Nos aſſertionem intelligimus de ignorantia invincibili aut inculpabili: neque enim aliter in Belgio illa defenditur, & ſic defenſa adverſarios habet Lovanii, contendentes non ſolùm confitenda eſſe illa peccata, ſed etiam repetendas confeſſiones omnes interea factas, tamquam Sacrilegia. Videat lector quæ dedimus in 2. p. *Specim.* cap. 5. §. 10. Sed & alios habet Lovanii adverſarios contendentes omnem juris naturæ ignorantiam eſſe vincibilem, etſi numquam in vitâ ſubierit in animum aliqua ſaltem dubitatio, aut ſuſpicio de malitiâ &c. Vide dicta in 3. p. *Specim.* cap. 1. §. 3.

SECVNDO. Adjunctam rationem dictæ aſſertionis intelligimus de notitia malitiæ ſaltem per dubitationem aut ſuſpicionem ante ipſam actionem, ita ut *non ſufficiat poſtea intelligere, quod ſit mala.* Quæ verba cum non omiſerint Doctores Lovanienſes in exhibendâ Propoſitione, inſinuarunt, quod *ad peccandum ſufficiat poſtea intelligere, quod actio fuerit mala*; etiamſi id antea non fuerit intellectum.

TERTIO. Fortaſſe diſplicuit Propoſitio Doctoribus, quia ad peccandum requirit notitiam malitiæ, *dum rem committimus.* Sed patet, notitiam, *dum rem committimus*, in propoſitione ſic accipi, ut opponitur notitiæ, quæ ſequitur poſt factum: conſideretur Propoſitionis contextus. Nemo docuit in Belgio, non eſſe reum homicidii, qui intendens vel prævidens occiſionem committendam in ebrietate, ſe inebriavit, etſi illo momento, quo occidit, malitiam homicidii non cognoſcat. Alia quæſtio eſt an formalis malitia homicidii; quam contraxit ſe inebrians ex illâ intentione, vel cum illâ prævisione, creſcat per homicidium actuale in ebrietate commiſſum; quæ quæſtio ad praxim & obligationem confitendi non plus facere videtur, quam illa, qua quæritur, an per actus externos creſcat malitia formalis jam poſita per actus internos. De his in Belgio nullæ *contentiones, aſperitates, ſcandala, perturbationes,* quibus volunt occurrere Lovanienſes Doctores.

QVARTO. Adnotatio Marginalis Doctorum, quam Propoſitioni ſubjecimus, eſt prorſus innocua. Quis dubitat, quin meritò quiſque delicta juventutis ſuæ deploret? nihil id ad rem.

PROPO-

Propositio Quarta Ex eo quod poſſit dari ignorantia invincibilis, & ea excuſet à peccato, Doctores aliquos Academiæ Lovanienſis à peccato excuſare conabimur, quod aliàs ſæpe incurriſſent, cenſurando ſententias ſanæ doctrinæ, ex quibus accipe ſequentem. UT ACTIO QUÆPIAM SIT PECCAMINOSA, OPORTET UT PROCEDAT AB HOMINE, QUI NOSCIT ET PERCIPIT, QUID BONI, MALIVE IN EA SIT, ET ANTEQUAM ID VIDEAT, ET ANIMUM REFLECTAT, ACTIO NEQUE BONA, NEQUE MALA EST.

Adnotatio Marginalis. *Præter inſignem irriſionem, continet propoſitio hæc aſſertionem, VT ACTIO QVÆPIAM &c, juxta quam rurſus nulla actio mala erit, niſi quam agens malam eſſe arbitratur; ne interfectio quidem Apoſtolorum ab his facta, qui arbitrabantur, obſequium ſe præſtare Deo.*

PRIMO. Ponamus veram & ſanam eſſe aſſertionem; *ut actio quæpiam &c.* conſequens erit, peccaſſe contra jus naturæ Doctores Lovanienſes, qui aſſertionem illam anno 1657. notarunt cenſurâ valde atroci, neque plenè ſe excuſabunt, niſi denique in excuſationem influat ignorantia juris naturæ, ut conſideranti patet. Jam verò Autor propoſitionis putavit omnino aſſertionem eſſe veram & ſanam: non ergo irriſit Doctores Lovanienſes, ſed illos piè conatus eſt excuſare à peccato.

SECVNDO in ſimili aſſertione *Stephani Baunii* ſalsè luſerat anno 1656. *Ludovicus Montaltius* in damnato libro litterarum Provincialium Epiſt. 4. nec dubitarunt anno 1657. Doctores Lovanienſes aſſertionem damnare hâc cenſurâ: *eſt contra Communia Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie animarum.*

Nulla eſt aſſertio moralis ex, iis, quæ diſplicent his Academicis, quæ magis vapulavit in Scholis Lovanienſium non ſolum Theologorum, ſed etiam Poëtarum, quam illa, de qua nunc eſt ſermo; *ut actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine qui noſcit, & percipit quid boni, malive in ea ſit &c.*

Nos Aſſertionē intelligimus de notitiâ malitiæ ſaltem per dubitationē,ſuſpicionem , ſcrupulum; hanc notitiam malitiæ vulgò cenſent in Belgio Theologi oportere præviam eſſe ad actionem , ut ſit peccaminoſa formaliter : ubi verò nulla præceſſit hujuſmodi Notitia, ibi cenſent ignorantiam malitiæ eſſe inculpabilem, ac ne quidem potuiſſe occurrere obligationem tollendi ignorantiam juxta dicta §. 1. ad Propoſitionem de ignorantia. Hæc eſt doctrina tanto ſtrepitu accepta ab his Doctoribus,eorumque aſſeclis: non aliter illa defenſa umquam eſt in Belgio: ſi negent, ediſſerant ubi, à quibus &c.

TERTIO. Fortaſſe cenſeas hic quoque Doctores offendi, quod aſſertio ad peccatum formale requirere videatur, aut eo temporis articulo , quo ponitur actio, ſit quædam notitia malitiæ ſaltem per dubitationem aut ſuſpicionem.Sed parum credibile eſt hoc illos potiſſimum angere, qui cenſent, ignorantiam invincibilem juris naturæ non excuſare,vel ſolo modi loquendi ab illis differunt, qui ita cenſent, ut clarè intelligitur ex propoſitionibus ipſis, quibus explicant ſuam doctrinam circa generales regulas morum , & magis diſertè fatetur ipſorum interpres *Macarius Havermans:* vide, Lector, quæ habemus in 3. p. *ſpecim:* toto Cap. 1. ubi §. 3. & hoc intelliges, vincibilem ab illis ignorantiam dici , etſi per omnem vitam nulla fuerit dubitatio aut ſuſpicio de malitia , ac neque in mentem venerit umquam obligatio orandi , aliiſve mediis pellendi ignorantiam.

Cæterum nemo umquam docuit in Belgio , ad imputabilitatem Homicidii E. C. non ſufficere, fuiſſe cognitam ejus malitiam, ipſumque fuiſſe intentum, aut aliquo modo prævisum in poſitione cauſæ, etſi illo articulo temporis , quo patratur homicidium, non cognoſceretur ejus malitia. Vide quæ hoc ipſo §. ad *propoſitionem tertiam* diximus num. 3. hoc tuentur conſtanter Theologi in Belgio contra doctrinam Academicorum Lovanienſium , quod alibi in Eccleſiâ Theologi paſſim omnes, ad imputabilitatem peccati requiri, ut aliquo modo fuerit cognita & malitia actionis , & actio ipſa ſaltem ſecutura ex causâ liberè poſitâ cum iſtâ cognitione ſaltem per dubitationem, ſuſpicionem, ſcrupulum : neque plus vult Aſſertio exoſa Lovanienſibus ; etſi rotundius & ſine ambagibus verborum concepta.

QVARTO. Liceat his ſubnectere inſignis Theologi inter noſtrates *Guilielmi le Maire* judicium de aſſertione, quam tractamus,ejuſque cenſura Lovanienſi : fortaſſe erunt cordati Lectores, quibus illud haud diſplicebit : nos , quibus præcipuè curæ eſt informatio S. Sedis, judicium ſuſpendimus. Sic ille pronuntiat in *ſtatera Saülis exregis* ſect. 2. Cap. 3. §. 5. pag. 157.

„ Articulus inter eoſdem vigeſimus quintus ; *ut actio quapiam ſit peccaminoſa,* „ *oportet ut procedat ab homine , qui noſcit , & percipit quid boni , malive in* „ *ea ſit &c.* digniſſimus eſt cenſurâ primò , ſi inſinuet ad formalem malitiam „ actus non ſufficere dubitationem,aut ſuſpicionem de malitia ; ſecundò,ſi neget

„ gêt poſitionem cauſæ, unde orta eſt inadvertentia ad malitiam, habuiſſe ſpe-
„ cialem malitiam ex eo,quod aliquo modo prævideretur actus ſecuturus ſine
„ advertentia. Si verò intelligatur ſolùm affirmare articulus, in ipſo actu, qui
„ procedit ſine ulla advertentia, aut ſuſpicione malitiæ, non eſſe formalem
„ malitiam propriam,& diſtinctam ab illa priori quæ fuit in ponenda cauſa in-
„ advertentiæ, actuſque cum illa ſecuturi, judicent cordati, quam rationabilis
„ ſit illa cenſura: propoſitio, *eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia,*
„ *& innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie anima-*
„ *rum.* „ Hæc ille,atque de his judicium ſit Eruditi Lectoris.

QVINTO. Intelligitur tandem nihil roboris ineſſe *adnotationi marginali*, quatenus eâ dicitur, conſequens fore ex aſſertione, ut ne quidem mala fuerit interfectio Apoſtolorum ab iis facta, qui arbitrabantur obſequium ſe præſtare Deo. Nimis benigni ſunt hi Doctores erga interfectores Apoſtolorum,uti & erga Crucifixores CHRISTI illorum interpres *Macarius Havermans in Epiſt. Apolog.*num.76.pag.139. qui cenſeant, illos impios nullâ nequidem dubitatione,aut ſuſpicione malitiæ fuiſſe tactos. Arbitrabantur, obſequium ſe præſtare Deo, Dominum Gloriæ non cognoſcentes &c. Sic eſt, ſed per inſignem impietatem claudentes mentis oculos ad conſiderationem illorum ſignorum, ex quibus cognoſcere poterant, & debebant Dominum gloriæ, ejuſque Apoſtolos,& ea ſola conſiderantes,quæ ſuggerebat odium,rabies,crudelitas. Hinc ille *error horrendus,& execrabilis cæcitas,*ut appellat *Auguſtinus* Tract.93.*in Ioannem.* Non eſt hoc nullam notitiam habuiſſe malitiæ, ſed notitiam identidem affulgentem, invitoſque pulſantem ſaltem per dubitationem habuiſſe exoſam, & velaſſe contra conſcientiam, quoad poterant.

§. 3.

Specimen Modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de peccatis ignorantiæ & inadvertentiæ.

ANno 1657. die 4.Maji aſſertionem hanc: *ut actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine qui noſcit & percipit, quid boni, malive in ea ſit &c.* hâc cenſurâ notarunt hi noſtri Doctores, *eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera,etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie animarum.* Notarunt verò aſſertionem, pro ut hæc in Belgio docebatur, ut manifeſtum eſt ex epiſtola ipſius facultatis Theologicæ ad Gandavenſem Epiſcopum,quam cenſuris præfixam edidit Illuſt. *Proſper Fagnanus* in caput *ne innitaris* num.339. pag.101. judicabunt rurſum ſapientes viri,an aſſertio, ut

eam explicuimus in Belgio traditam, mereatur hanc cenſuram: ſi parum fidè explicuiſſe nos cauſentur, poſtulamus convinci prolatis auctoribus, eorumque verbis.

IOANNES SINNICHIVS S.T.Doctor Lovanienſis anno 1662. in ſuo *Saüle exrege* lib. 1. cap.94. § 353. aſſertionem eamdem pronuntiare non dubitat *non parum conſonantem cum illo libertinorum dogmate*, quod ibi oppugnat. Eamdem cap.119. §.151. appellat *articulum laxorum Ethicorum.*

IACOBVS PONTANVS S.T.Doctor Lovanii die 23.Auguſti 1661.Aſſertionem eamdem ad *Pelagianos* relegatam exhibuit Theſi 1.his verbis.

Ignorantia tenebra ſunt VERI NOMINIS PECCATA, ſicut & alia, qua apud AVGVSTINVM pœna vocantur peccatorum: nec ad peccandum requiritur reflexio, aut dubium de malitia; QVÆ FVIT DOCTRINA PELAGIANORVM.

Hic vides, Lector, ad cenſuram Pelagianiſmi viam ſterni quâdam aſſertione, quâ docemur quod ignorantia, & reliquæ pœnæ peccatorum; adeoque & concupiſcentia, & quidem etiam in renatis (Theſis enim eſt univerſalis) ſint *veri nominis peccata*. Hæc, ſi placet, confer cum decreto Concilii Tridentini de peccato originali Seſſione 5.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 5.Septembris 1664. aſſertionem eamdem; *ut actio quapiam ſit peccaminoſa &c.* rejecit ut *adulterinam à veris S. Theologia principiis.*

HROZNATA VAN SAFTINGHEN S.T.P. die 2. & 3. Septembris 1676. Doctoribus ſuccinuit ſic graviter pronuntians Theſi 14.

Ingenuè fateor, me non videre quid obſtet, quo minus hanc aſſertionem quilibet Theologus PROSCRIBAT VT HÆRETICAM; VT ACTIO QVÆQVIAM SIT PECCAMINOSA, OPORTET VT PROCEDAT AB HOMINE, QVI NOSCIT, ET PERSPICIT &c.

MACARIVS HAVERMANS S.T. P. in ſua *Epiſtolâ Apologeticâ* num. 76. pag. 138. de aſſertione eâdem conſulens S.Sedem, præjudicat confidentiſſimè, cenſuras oſtentans Lovanienſium pariter & Pariſienſium quorumdam Doctorum, qui eam condemnaverint *tamquam erroneam, ſcandaloſam, contrariam ſcriptura, & Patribus, adeoque & ſana Theologia*: mox verò his cenſuris ſuum rationis pondus adjungit: *ſi enim illa propoſitio vera foret, nulla peccata ignorantia umquam darentur; quod tamen in ſanâ Theologiâ paradoxum eſt.* Quam id minimè ſit conſequens ex illa propoſitione, intelligitur ex dictis §.ſuperiore. Sed inde converſus *Macarius* ad propoſitionem futilem, quam primo loco de inadvertentia malitiæ Doctores exhibuerunt S.Sedi, cum eam recitaſſet ſummo Pontifici, ſic exclamat: *Quis pius fidelis, & non exhorreſcat, ubi hac audit.? origo hujus dogmatis eſt non incogniti nominis Dogmatiſta Abailardus.* Apparet ſanè immodeſtia; & quidem coram ſummo Pontifice.

Non erit abs re attexere identidem quoddam ſpecimen petulantiæ poëticæ Lova-

Lovanii uſitatæ in Collegio *SS. Trinitatis*, ubi frequens juventus litteris humanioribus imbuitur ab Academicis Magiſtris. Vix ullum ibi Drama ſpectes, niſi feſtivum joculari interludio ad ignominiam Theologorum Moralium. Feſtum ipſum *SS. Trinitatis* honeſtare ſolent patente omnibus locô fixis epigrammatis. Hiſce argumentum hoc ipſo anno præbuit doctrina varia Theologorum Moralium, licentiâ poëticâ ad invidiam detortâ. Pauca de multis ad ignorantiam pertinenribus exempla videamus. Primum locum habeat nova pietas erga Deum:

O Deus, arcani qui pectoris intima luſtras,
Accipe non durâ ſupplicis aure preces.
Peccarem: aſt turpi tadet palleſcere culpâ,
Ipſaque ſe ſontem mens furiata timet,
Te precor aut tollas omnem de pectore moxam,
Cunctorum requies, & medicina Deus;
Aut ſuperinfuſis mentem ſic conde tenebris,
Vt peccans crimen neſciat ipſa ſuum,
Hoc oro: nullum facit ignorantia ſontem,
Nempe novum ſuadet dogma novare preces.

Accipe etiam verè pium in tyrannos, interfectores Apoſtolorum, crucifixores *Chriſti &c.* quibus cenſent hi noſtri omnem malitiæ notitiam, ipſamque adeo dubitationem, ſuſpicionem, ac ſcrupulum defuiſſe.

Quid velut in ſavos te concitat ira tyrannos,
Qui Catharim ſavis impoſuêre rotis?
Quid fremit in Decios noſter furor, atque Nerones,
Chriſtiadas variis qui necuêre modis?
Deſine non meritis jam tandem inceſſere dictis,
Quiſquis Apoſtolicos meſſuit enſe viros;
An Neſcis illos, dum ſic deſaviit enſis,
Orbis rectori ſacrificaſſe ratos?
Cum peccata latent, & patras neſcius illa,
Quidquid agas, nullum crimen id eſſe ſcias.

Miſſa faciamus alia permulta argumenti ejuſdem quibus applauditur Lovanii,

§. 4.

Quantò caſtiora ſint Dogmata Lovanienſium Doctorum in Materia Ignorantiæ.

DE hoc ſtatuet ſapiens Lector, ſi ea legerit, quæ in 1.p.*Specim.* toto cap.6. & in 3.p.toto cap.1.nullis adulterata figmentis Poëtarum dedimus. Libet hoc loco paucis ſpeciminibus ibi neglectis renovare illorum ſaporem: multò pluribus poſſemus.

GERARDVS VAN WERM S.T.D. præcipui nominis Lovanii die 13. Junii 1654.hæc propugnavit Theſi 3.

Ignorantia ...... ETIAM INVINCIBILIS neminem contra jus naturæ agentem ſic excuſat, VT SEMPITERNO IGNE NON ARDEAT.

Huic ſimilis occurrit aſſertio ejuſdem Doctoris denfenſa Lovanii die 21. Martii 1652.Theſi 2.

ITA VT SINT INEXCVSABILES, Licet ex ignorantia juris naturæ tranſgrediantur præceptum.Nam ignorantia iſta neminem ſic excuſat, VT SEMPITERNO IGNE NON ARDEAT; Sed fortaſſe ut mitius ardeat.

Hæc & alia his conſentanea inſerere licebat in 3.p. *Specim.* cap.1. §.1. ubi tractabatur propoſitio quinta de generalibus regulis morum ab his Doctoribus oblata ſummo Pontifici, ut continens doctrinam Lovanienſis Scholæ hæc ipſa ſcilicet; *ad ſummum poſſet ſubinde* (per ignorantiam juris naturæ) *mortalis malitia dilui in venialem.*

Sæpius inſinuavimus ex dictis in 1.p.*Specim.* cap.6.§.2. promptum fore his Doctoribus rationem voluntarii hujuſmodi peccatis ignorantiæ acceerſere à peccato *Adami*, à quo eſt ignorantia: ſed hunc alii nodum fortaſſe malent ſcindere cum *LIBERTO FROMONDO* S.T.D. qui Lovanii die 26. Junii 1647. aſſertionem hanc dedit Theſi 4.

Si operaris cum ignorantia tam antecedente quàm concomitante in ordine ad opus, conſequente tamen in ordine ad voluntatem, actus ille ſimpliciter eſt voluntarius: ſi autem cum ignorantia antecedente & ad voluntatem, & ad opus, SIMPLICITER ERIT INVOLVNTARIVS: ſi tamen ex hac ignorantia in jus naturæ impingas, NON EST QVOD TE A PECCATO EXCVSES.

Vides, Lector, ut non ſe cruciarit hic Doctor de ratione voluntarii conciliandа peccato ignorantiæ: *actus ſimpliciter eſt involuntarius*: & tamen *non eſt quod te à peccato excuſes.* Contra hæc,& alia his ſimilia tam multa toties audita in Lovanienſi Schola nullas invenerunt cenſuras hi Doctores.

Sed hoc loco dignæ ſunt memoratu aſſertiones illæ de conſcientia, quæ aliud agentibus ſeſe offerunt.

GE-

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 30.Maji 1653, hæc propoſuit Theſi 1.

Attamen & hoc verum eſt, quod agere contra conſcientiam ſubinde ſit licitum, ſæpe etiam præceptum. Vt quis peccet agendo contra conſcientiam, requiritur judicium actuale, vel virtuale, non ſufficit habituale. Actio rarò contrahit malitiam ſpecie diverſam ex eo, quod contra conſcientiam ſit: è contra, ex eo quod ſecundùm eam ſit, poteſt peculiarem malitiam trahere.

Ibidem Theſi 2. hæc leges.

Erroneam habens (conſcientiam) *obligatur non agere contra; non tamen dici poteſt peccare hoc ipſo, quo non facit, de quo dubitat, an hic & nunc à ſe faciendum non ſit, vel quod judicat eſſe faciendum.*

His, quæ videri poſſunt paradoxa, vide, Lector, an ſolutionem queas expedire ex iis, quæ ſequuntur ibidem Theſi 3.

Sunt, qui generaliter docent, actionem, quæ eſt ſecundùm (conſcientiam) *erroneam invincibiliter, hoc ipſo à formali culpâ eſſe immunem. Nos putamus non omnem errorem, qui more loquendi ipſorum invincibilis dicitur, à formali culpâ excuſare. Et cum PELAGIVS admiſerit, hominem prævigilare debere, ne ignoret, ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentiâ ſuâ, quod adhibitâ diligentiâ ſcire debuiſſet,* nec *hoc ſuffecerit Magiſtro noſtro Magno AVGVSTINO, PELAGIO & ſequacibus cum eodem (non enim quærimus doctiorem, quia invenire timemus præſumptuoſiorem) reſpondemus ex cap. 17. de nat. & grat. quod aliud ſit non curaſſe ſcire, quæ negligentia peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari; aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo, quid fieri velit.*

Etiam lucis aliquid accedet ex iis quæ dedit idem Doctor *Gerardus van Werm* Lovanii die 24. Martii 1670. Theſi 3. his verbis.

Vt judicium ultimò practicum ſit prudens, debet eſſe moraliter certum . . . . ideoque cum ſententiâ probabili debet concurrere alia Regula ſaltem moraliter certa .... neque per iſtas Regulas omnimodam propterea à peccato immunitatem ſpondemus: ſed hoc ſolùm præcavemus, ne peccans in modo procedendi contra proprium lumen & judicium agat; à qua culpa etſi per Regulam moraliter certam agens liberetur, non ideo tamen immunis erit à culpa læſæ iſtius legis, cui fortè ſententia, quam ſectatur, vel motivum, quod attendit, & habet pro firmo, adverſatur.

§. 5.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de ignorantiâ & inadvertentiâ Malitiæ, ut reprobatam à Schola Lovanienſi, obtulerunt S. Sedi Doctores Lovanienſes.

IACOBVS PONTANVS S. T. Doctor Lovanii die 6. Novembris 1659. hæc propugnavit Theſi 1.

Ad hoc, ut quis incurrat peccatum mortale, requiritur plena & perfecta cogitatio, ſeu expreſſa advertentia malitiæ, vel periculi ejus, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio, ſeu ſcrupulus peccati; unde à peccato excuſatur, qui aliquo die non jejunat, nihil omnino cogitans vel dubitans de jejunio in tali die: ſimiliter excuſatur, qui celebrat contractum uſurarium, nullo modo dubitans, vel advertens uſurarium eſſe.

Habetne quiddam minus hæc Aſſertio, quam illa; *ut actio quapiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine, qui noſcit & percipit, quid boni malive in ea ſit, & antequam id videat, & animum reflectat, actio neque bona eſt, neque mala?* imo hoc plus habet, quòd expreſsè, & ſpecificè comprehendat caſum juris naturæ, & tamen Doctor, idem IACOBVS PONTANVS haud ita pridem, hoc eſt die 4. Maji 1657. unà cum ſuis Collegis Doctoribus Facultatis Theologicæ Lovanienſis damnaverat hanc aſſertionem poſteriorem ſolemniſſimâ cenſurâ: *eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie animarum.* Aſſertionem eamdem Doctor idem Lovanii die 23. Auguſti 1661. palam exhibuit, ut *Doctrinam Pelagianorum:* verba theſeos deſcripſimus ſupra §. 3.

Quod ergo die 4. Maji 1657. erat *contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia &c.* hoc idem die 6. Novembris 1659. *Non erat contra communia Chriſtianæ Theologiæ Principia:* atque illud idem rurſus die 23. Auguſti 1661. erat contra communia Chriſtianæ Theologiæ Principia, utpote doctrina Pelagianorum; & quidem hæc ſingula approbante eodem Doctore.

Imò verò quoniam juxta ſtatuta Academiæ Lovanienſis non poſſunt à Doctoribus admitti propugnandæ propoſitiones, quas Facultas Theologica concorditer improbat; niſi contempſerit hanc Legem Doctor ille, concludere licet propoſitionem, *ut actio quapiam ſit peccaminoſa &c.* non eſſe concorditer improbatam à Theologicâ Facultate Lovanienſi, contra quam declaratur ipsâ ſubſcriptione cenſuris factâ. Minùs etiam foret mirandum, quando parum benevolo animi affectu erga certas perſonas potius, quam erga doctrinam, cenſuræ eſſent latæ, incautos cenſores identidem impingere in Cenſuras ſuas.

Hæc

Hæc ſemel exprimenda fuerunt, ut non hic ſolùm, ſed & in decurſu ſuum uſum habeant apud memorem Lectorem. Caſus enim huic ſimiles redibunt non pauci. Nos filum perſequamur.

THOMAS LEONARDI S.T.D. Lovanii die 12. Martii 1665. Aſſertionem de ignorantia hanc dedit Theſi 3.

Ignorantia convenienter dividitur in antecedentem, ſubſequentem, & concomitantem: prima cauſat involuntarium ſimpliciter, adeoque totaliter à peccato excuſat; licet foret in iis, quæ ſunt juris naturalis.

Clarius, nervoſiuſque ſe explicuit Doctor idem *THOMAS LEONARDI* lib. 2. de hominis inſtit. cap. 7. ubi & agnoſcit ignorantiam invincibilem juris naturæ, & totis viribus pugnat contra Janſenianum Dogma de peccatis hujuſmodi ignorantiæ. Libemus quædam.

Exiſtimo ſententiam hanc nullum habere fundamentum in D. HIERON. aut AVGVSTINO, vel Concilio Palæſtino, & eſſe in ſe falſam, & ad nihil aliud idoneam, quàm ad generandum multas anxietates, & perplexitates in timoratis conſcientiis ..... Primò quia neceſſariò peccabis, utramvis partem contradictionis elegeris, quando ex invincibili errore putas aliquid eſſe præceptum quod revera repugnat legi naturæ ..... ſecundò ingens orietur perplexitas animorum: cum enim ſint plurimi contractus, & innumerabiles Caſus, in quibus controvertitur inter Doctores an in iis reperiatur aliquid contra legem naturæ, vel non, & utrimque ſint probabiles opiniones, ſequitur quod conformans ſe probabili opinioni, vel etiam probabiliori dictanti id licere, caſu quo juxta legem naturæ non liceat, peccet coram Deo, etiamſi adhibuerit omnem diligentiam ...... unde ſequeretur, quod in pertinentibus ad legem naturæ homines ſemper tenerentur ſequi partem tutiorem, etiamſi oppoſita longè eſſet probabilior .... QVAM AVTEM HÆC ABSVRDA SINT, PATET CONSIDERANTI.

Poſt multa cum retuliſſet opinionem negantium dari invincibilem ignorantiam juris naturæ, non acquieſcens illorum rationi *at hoc*, inquit, *non obſtante contrarium docet S. THOMAS, quod ſcilicet lex naturæ, quoad ſecundaria ſaltem præcepta, quandoque deleri poſſit è cordibus hominum, & invincibiliter ignorari.*

IACOBVS PONTANVS S.T.D. his dedit conſentanea Lovanii die 20. Junii 1657. Theſi 4.

Voluntas concordans rationi, ſeu conſcientiæ vincibiliter erroneæ, ſemper eſt mala: concordans verò conſcientiæ invincibiliter erroneæ, tantùm abeſt, ut ſemper ſit mala, ut etiam bona, & laudabilis eſſe poſſit, quamvis etiam verſetur circa objectum per ſe malum.

GVILIELMVS AB ANGELIS S.T.D. magnus quondam Janſenianæ factionis Antagoniſta Lovanii die 17. Auguſti 1646. Theſi 1.

Ad peccatum ex parte deliberationis requiritur cogitatio vel ſuſpicio malitiæ, vel periculi ipſius malitiæ, ſeu in genere, ſeu in ſpecie conſideratæ, actu vel virtute perſeverans; niſi potuerit, & debuerit ad malitiam advertere, & non fecerit. Hic ſcililet ille

 eſt

eſt caſus quem explicuimus §. 2. ad propoſitionem 4. num. 4. quo intellectus ſuborienti identidem luci oculos claudit, ea ſola gaudens conſiderare, quæ ſuadent magis placentia.

IOANNES SCHINCKELIVS S. T. Doctor Pontificiæ auctoritatis & ipſe cum vixit, aſſertor egregius adverſus Janſenianos, Lovanii die 29. Octobris 1640. Theſi 2.

MORTALE NVMQVAM SINE PERFECTA MALI MORALIS COGNITIONE COMMITTITVR, cujus defectu voluntas poteſt circa objectum grave peccare venialiter, vel omnino non peccare.

Hæc quoque Aſſertio nihil habet, quo minùs diſpliciat Lovanienſibus Cenſoribus, quam illa; *ut actio quædam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine qui noſcit, & percipit quid boni, malive in ea ſit &c.* De qua illi cenſuerunt tam ſeverè; imò habet plus aliquid; quatenus ad peccatum mortale requirit perfectam mali moralis cognitionem.

IOANNES WIGGERVS S.T.D. Lovanienſis 1.2.q.6.a.8.

Secunda diviſio ignorantiæ, juxta quam alia ſtatuitur eſſe juris, alia facti. Vtraque autem aliquando poteſt eſſe vincibilis, aliquando invincibilis. Nomine juris intellige tam jus naturale quam poſitivum .... ignorantia quæ eſt antecedens .... efficit, ut actus nullo modo ſit volitus .... & conſequenter opus ſequens excuſatur à culpâ.

GVILIELMVS MERCERVS S.T. Doctor Lovanienſis in ſupplem. *S. Thomæ* q.8.a.5. dub.2.

Cum Dei offenſio per ignorantiam invincibilem excuſetur, poteſt materiale illud peccatum permitti ad vitanda hæc mala, quæ aliter vitari nequeunt .... tenendum eſt, ignorantiam invincibilem contingere quoque in his, quæ ſunt juris naturalis, licet rarius, etiam apud viros doctos, qui diſputant, an quædam ſint jure naturæ licita nec poſſunt certò definire alteram partem, & multò magis apud indoctos.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S.T. Doctor Lovanienſis anno 1623. ſic docuit in 1.2.diſp.38. § de invincibili ignorantia,

Quæritur primò utrùm id, quod ex ea ſit, omnino ſit involuntarium. Reſpondeo eſſe. Ibidem infra ſic legimus: *dico quartò: ſunt multæ concluſiones juris naturæ obſcuriores, de quibus, ſaltem inter infideles poteſt etiam tota vita eſſe ignorantia invincibilis .... dico ſaltem inter infideles: quia inter Chriſtianos, qui facilè de his inſtruuntur, non æquè contingit ignorantiam eſſe invincibilem, quamvis aliquando contingat.*

Eſtne operæ pretium altius aſcendere ad Majores Doctorum Lovanienſium, qui hoc tempore profitentur ſe inſiſtere illorum veſtigiis: jam pridem id præſtitit *Guilielmus le Maire* in ſua *ſtatera Saülis exregis* ſect. 2. cap. 3. optamus vel unum proferri Lovanienſem Doctorem, qui ante Novationes *Michaëlis Baji* docuerit vel impreſſo libro, vel propugnata Theſi, vel alio ſcripto,

aut

aut nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturæ, aut ignorantiam illam non excuſare à peccato. Multò minus proferetur, qui vel inſinuarit ad rationem peccati non pertinere voluntarium, aut rationem voluntarii peccatis perſonalibus conciliari poſſe à peccato *Adami*, aut denique ad rationem peccati non requiri præviam notitiam, dubitationem, ſuſpicionem malitiæ, & ſaltem notitiam obligationis ad pellendam ignorantiam; cujuſmodi opiniones Academicorum Lovanienſium hoc tempore audimus tam multas.

A Novationibus *MICHAELIS BAII* quoſdam eſſe inventos inter Majores horum Doctorum, qui de ignorantia docuerint quædam ipſis placentia, minus eſt mirum. De his audiendus hoc loco eſt Reverendiſſimus Dominus *Ioannes Strijen* Middelburgenſis in Belgio Epiſcopus & S. Theologiæ Doctor Lovanienſis, in egregia de Lovanienſibus Novatoribus epiſtola ad Archiepiſcopum Mechlinienſem, ex qua delibamus hæc pauca.

„ Poſt mortem meorum Præceptorum *Ruardi Tapperi*, & *Iudoci Tiletani*, & „ ſeceſſum ex hâc Academiâ ad Epiſcopalem reſidentiam *Martini Rithovii* „ Iprenſis, & *Cuneri* Leowardienſis Antiſtitum, ut Africa ſemper aliquid mon-„ ſtri, ita hæc Facultas novæ doctrinæ aliquid gignit; adeo ut liberas opiniones „ affligat prætextu fictæ hæreſeos. Horum autem *Michaëlis Baii*, & *Ioannis à Lovanio* (ſeu *Heſſelii*) diſcipuli ſunt, quicumque nunc temporis Lovanii, & in „ recentiore Univerſitate Duacenſi, Theologi nominantur. Hæc ille Doctor „ Epiſcopus die 19. Februarii 1588.

Nos verò concludamus, Lovanienſes Doctores hoc tempore non *curare, ut doctrina Chriſtiana doceatur pura & ſolida* .... *eo pede, atque omnino ſimiliter ac ipſorum Majores id obſervaverunt uſque ad tempus præſens*, ut profitentur in libello ſupplici: imò doctrinam Lovanienſium Doctorum, ut reprobatam à Lovanienſi Scholâ, oblatam eſſe S. Sedi à Doctoribus Lovanienſibus.

CAPVT II.

De Probabilitate.

§. 1.

Ad doctrinam de probabilitate, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio à Lovanienſi Schola reprobatam Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Vt ſententiam ſequi poſſis, non eſt opus certò, aut evidenter; ſed ſufficit probabiliter noſſe, eſſe probabilem. Probabilis autem dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti.

Hanc propoſitionem appellare licet centonem: eſt enim conſuta ex duobus pannis diverſæ texturæ. Prior pars ad verbum ſumpta eſt ex quibuſdam Theſibus Antverpiæ defenſis: poſterior ex Theologia morali *Antonii de Eſcobar* itidem ad verbum.

PRIMO. Pars pior propoſitionis, *ut ſententiam ſequi poſſit, non eſt opus certò aut evidenter; ſed ſufficit probabiliter noſſe eſſe probabilem*, ſumpta eſt ex illis theſibus, de quibus mentio fuit cap.1.§.2.num.1.quarum in Belgio nulla eſt auctoritas, ſed abſoluta oblivio. Eſt verò alieniſſimum à vero, doctrinam, quam continet illa pars propoſitionis, ex iis unam eſſe, quæ in Belgio pepererunt *grandes controverſias & contentiones, non ſine acerbitate, & vehementiori motu* &c. *non ſine ſcandalo, & reipublicæ perturbatione*, de hujuſmodi enim doctrinis profeſſi ſunt in libellis ſupplicibus Regi oblatis, ſe velle conſulere S. Sedem.

Ne quidem extra Belgium doctrina illa plauſum tulit umquam: uſque adeo ut *Antonius Terillus* in doctiſſimo Tractatu de *conſcientia probabili* quæſt. 21.n.1. „ non dubitet ſic affirmare: unus, aut alter expreſsè tenet probabilitatem ſo- „ lùm probabilem de honeſtate partis minus tutæ ſufficere, ut illa licitè in „ praxim reducatur...... reliqui omnes..... aut ſupponunt, aut expreſsè tra- „ dunt, probabilitatem de honeſtate operis debere eſſe certam, ut operantem „ excuſet". His non obſtantibus putarunt Lovanienſes Doctores doctrinam illam repræſentandam eſſe S.Sedi, ut corruptelam Theologiæ moralis, & quidem in Belgio.

SECVNDO.

SECUNDO. Propoſitionis pars poſterior; *probabilis ſententia dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti*, non bonâ fide proponitur, ut laxitas Theologorum in Belgio: nominentur qui contenti in Belgio fuerunt illa definitione: nobis ſunt inauditi. Sed nimirum definitionem illam in Hiſpania dederat parum ſerupuloſè *Antonius de Eſcobar*, exam. 3. de conſcient. cap. 3. n. 17. hoc ſatis fuit his Doctoribus, ut eam annumerarent corruptelis Theologiæ moralis in Belgio. Licuerit *Ludovico Montaltio* in probroſis epiſtolis de illa definitione exagitare *Eſcobarium*, quod fecit epiſtolâ 5. decretum illi erat hoc genus auctorum veſtigare orbe toto, & infami ſcriptione deformare. Aliud agebant Lovanienſes Doctores, ut declararunt in ſuis libellis Regi Catholico oblatis.

TERTIO. Ne quidem extra Belgium communis eſt probabilitatis definitio tam ſuccincta: habentne quem nominent ejus Autorem præter *Eſcobarium*?

QUARTO. Credibile eſt his Doctoribus in definitione illa diſplicuiſſe, quod ipſorum oraculo IOANNI SINNICHIO S.T Doctori Lovanienſi *Saülis exregis* lib. 1. cap. 94. num. 352. pag. 357. diſplicuit in definitione *Thomæ Tamburini* opinionem probabilem definientis lib. 1. in dec. cap. 3. §. 3. *aſſenſum intellectus de aliqua re, qui nitatur ratione, vel autoritate alicujus momenti; modo pro parte oppoſitâ nihil appareat convincens.* Ex hac definitione ſic infert *Sinnichius*.

Iuxta hunc igitur Autorem .... ad probabilitatem ſufficit ratio, vel autoritas alicujus momenti, hoc eſt alicujus ponderis, quantumlibet exilis, modo pro parte oppoſita nihil appareat convincens, hoc eſt, nihil appareat ita peremptorium, ut nullâ ſolutione poſſit eludi; nedum elidi.

Hæc ille ut populo imponat Tamburino ab probabilitatem ſufficère rationem quantumlibet exilem. Cordatis viris *ratio alicujus momenti* idem eſt ac *ratio alicujus firmitatis*, ſeu *aliqua ratio firma.* Conſtat quoque non eſſe idem, *pro oppoſita parte nihil apparere convincens, & nihil apparere tam peremptorium, ut non poſſit eludi.* Eluſiones non obſunt, quo minus aliquid ſit convincens: de his plura *Guil. le Maire* in *Statera Saülis exregis* ſect. 1. cap. 2. §. 2.

PROPOSITIO SECUNDA. Potes ſequi opinionem practicam probabilem circa honeſtatem objecti, relictâ quoque probabiliore, & tutiore, quamvis tuâ, etiam in materia juris naturalis.

PRIMO. Fatendum eſt eſſe communem & in Belgio, & ubique extra Belgium doctrinam, licere ſequi verè probabilem opinionem, etſi minus probabilem, minuſque tutam, etiam in materiâ juris naturæ; ut mirum ſit noſtros Doctores ad exprimendam doctrinam uſos potiſſimùm fuiſſe verbis miſellarum

Theſium

Theſium Antverpienſium, de quibus jam ſæpius eſt mentio ; quaſi deeſſent Theſes Academicæ Lovanienſes magno numero, & celeberrimi libri Lovanienſium Doctorum *Ioannis Malderi* Antverpienſis Epiſcopi, *Gulielmi Merceri*, *Ioannis Wiggeri*, *Thomæ Leonardi*. Sed de his infra.

SECVNDO. Credibile eſt, præcipuè vel unicè diſplicuiſſe his Doctoribus, quod habet Propoſitionis pars poſtrema ; licere ſequi probabilem opinionem *etiam in materiâ juris naturalis*, in quâ cenſent, ne quidem excuſare ignorantiam invincibilem malitiæ, ſive ut loqui mallent ex illis quidam, ignorantiam vincibilem, ſed omnis expertem dubitationis, ſuſpicionis, ſcrupuli, & nunc, & per omnem vitam præteritam.

PROPOSITIO TERTIA. Idque licet exiſtimes probabilius, vel probabiliter opineris, non eſſe licitum ſequi ſententiam minùs probabilem, dummodo & probabile cenſeas licitum idem eſſe, vel ad aliorum in hoc ſententiam te conformes.

PRIMO. Hic rurſum aberrant à ſuo ſcopo Doctores : extra unas theſes illas Antverpienſes, quas dicere licet uno die lectas eſſe, propoſitionem in Belgio nemo vidit, ac ne audivit quidem. Beneficio *Macarii Havermans* in ſuâ *epiſtola Apologeticâ*, factum eſt, ut ſciamus, ſaltem in illis Theſibus eam extare : tantùm abeſt, ut illa excitarit *controverſias, contentiones, acerbitates, ſcandala*, *perturbationes*, ad quæ in Belgio ſedanda Romam profecti ſunt hi Doctores, ut profitentur in libello ſupplici.

SECVNDO. Futilis eſt aſſertio quam continet Propoſitio, atque ad praxim prorſus inutilis ; adeoque indigna eſt, de qua conſulatur S. Sedes à Lovanienſibus Doctoribus inſtitutâ legatione Romanâ. Etenim caſum ponit impoſſibilem, ut nimirum in praxi ipſa ad aliorum ſententiam te conformes, judicando ſcilicet, licere tibi ſequi ſententiam probabilem, ſimulque opineris, non licere ſequi ſententiam probabilem.

PROPOSITIO QUARTA. Non ſolùm contra propriam opinionem poteſt Confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui adhæret opinioni probabili, ſed & debet, confeſſione poſitâ ; & quidem probabilius ſemper ſub mortali.

PRIMO.

PRIMO. Suppoſito quod liceat Confeſſario id facere, minùs eſt mirandum, quod dicatur ad hoc obligari, & quidem graviter Confeſſione poſitâ. Atqui quod id liceat Confeſſario tam eſt communis ſententia non ſolùm in Belgio, ſed ubique terrarum, ut *Antonius Terillus* accuratiſſimus Tractator doctrinæ de conſcientia quæſt. 23. n. 38. de illa ſententia non dubitaverit affirmare in hæc verba: *in hac conveniunt omnes tam recentiores (ſi pauculos modernos excipias) quàm Antiqui. Non opus eſt elenchum texere, quia rem teſtatiſſimam loquor, eamque notoriè veram.* Loquens verò etiam de obligatione Emin. Card. de Lugo de pœnit. diſp. 22. ſect. 2. n.39. ſic pronuntiat: *tertia ſententia Communis jam & vera eſt, utrumque Confeſſarium*(proprium & delegatum)*poſſe & debere ſemper ſequi opinionem probabilem pœnitentis.* Quare mirum eſt Lovanienſes Doctores inſtitutâ legatione Romanâ ad obviandum laxitatibus Theologorum in Belgio, putaſſe de illa ſententia docendum eſſe ſummum Pontificem; & quidem repræſentatis verbis inopiſſimarum Theſium, de quibus jam ſæpius: quaſi Romæ ignoti eſſent libri omnis generis, quibus illa à pluribus ſæculis eſt tradita. Eamdem communem eſſe etiam in Lovanienſi Schola, quam hodie pauci quidam Doctores totam eſſe contractam autumant ad ſuum numerum, diſpiciemus poſt pauca.

PROPOSITIO QUINTA. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet, lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis, aut Epiſcopalis:

ADNOTATIO MARGINALIS. *Quaſi in cæteris, v.g. Euchariſtiæ, periculum irreverentiæ non ſufficiat, ne ſententiam probabilem minùs tutam citra neceſſitatem ſequamur.*

PRIMO. Parum benevola eſt Doctorum *Adnotatio Marginalis.* Ex eo, quod in Sacramentis conficiendis non liceat ſequi opinionem minùs tutam, intulerat Autor Propoſitionis id non licere in collatione Baptiſmi, & Ordinis, quæ duo Sacramenta patet nominari exempli gratiâ. At noſtri Doctores illationem ſic accipiunt, ac ſi inſinuatum eſſet, id licere in reliquis Sacramentis. Benignitas fuit eadem *Macarii Havermans* in Epiſtola Apologetica n 99.pag.176.

 SECUNDO.

SECUNDO. Non eſt prætereunda ad eamdem *Propoſitionem quintam* Adnotatio *Macarii Havermani* in *Epiſtola Apologetica* n.99. pag.177. his verbis:

Doctrinam hanc paradoxam omnino neceſſariò omnes adverſarii tenere debent, ut ſervent alia ſua moralis Theologiæ dogmata, & imprimis famoſum illud de ſufficientia Attritionis merè ſervilis cum Sacramento pœnitentiæ ad juſtificationem: illa enim ad ſummum tantùm eſt materia probabilis, ſed minùs tuta Sacramenti pœnitentiæ.

Demus huic Profeſſori id, de quo ipſo eſt certiſſimus, attritionem caritatis Theologicæ expertem, ſolùm eſſe materiam probabilem Sacramenti pœnitentiæ; Hoc poſito affirmat ille, eum, qui cenſet probabiliter, quod attritio illa ſufficiat ad valorem, vel effectum Sacramenti, debere itidem docere, quod in conficiendo Sacramento liceat uti ſententiâ probabili minùs tutâ. Nequaquam iſtud ſequitur, ut conſideranti patebit: non eo minùs ſufficeret illa attritio, etiamſi non liceret illâ uti regulariter. His futilitatibus non eſt immorandum.

PROPOSITIO SEXTA. Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

PRIMO. Ediſſerant Doctores, quorum in Belgio Theologorum ſit iſta Propoſitio; *propoſitionem* non invenerunt in toto Belgio: Theologum igitur Autorem propoſitionis accerſiverunt ex Italia, & quidem Mediolano *Martinum Bonacinam* S. Theologiæ, & juris utriuſque Doctorem, cujus ad verbum eſt illa propoſitio tomo 2. diſp. 2 *de peccatis* q. 4. puncto 9. n. 13. pag. 100. col. 2. in fine. Niſi quod intermiſcuerit Autor citationem *clavis Regiæ*, *Aragonii*, *Salonii*, *Salas*, & aliorum.

SECUNDO. Quod ad Belgii Theologos attinet, nemo doctrinam illam docuit, quod quidem aſſequi nobis licuerit: multò minùs illa in Belgio peperit *contentiones, perturbationes, Scandala*: imo certum eſt Belgii Theologos quæſtionem illam tractantes ſcriptis libris, qui quidem nobis ad manum ſunt, contrariam prorſus doctrinam tenuiſſe; *Guilielmum Herinx* Iprenſem Epiſcopum Sum. Theol. edit. 2. p. 2. tract. 2. diſp. 4. q. 3. n. 96. *Franciſcum bona ſpei* in tract. de actib. hum. diſp. 6. dub. 11. *Eligium Baſſaum* tomo 2. verbo *Iudex*, *Leonardum Leſſium de Iuſt. & jure* lib. 2. cap. 29. dub. 5. *Martinum Breſſerum* lib. 3. *de conſcientia* cap. 14. n. 140. *Ægidium Koninck* de Sacram. tomo 2. diſp. 34. dub. 10. n. 91. *Ludovicum de Schildere* tract. 2. *de conſcient.* cap. 5. n. 77. plures adire non vacat, de ſuis Collegis Doctoribus viderint Lovanienſes Doctores.

Propositio septima. Generatim, dum probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non excedatur, confici aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

Annotatio Marginalis. *Hinc aliqui probabilitatum multiplicitatem reputant magnum hujus ſæculi beneficium.*

PRIMO. En alteram, Lector, Theologorum Belgii Laxitatem, undè ortæ *contentiones, acerbitates, ſcandala, &c.* ut profitentur in libello ſupplici Doctores. Quis autem eſt ille Belga Theologus autor Propoſitionis? *Thomas Tamburinus* Siculus Caltaniſettenſis lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. n. 3. ubi Propoſitionem illam leges ad verbum. Fortaſſe igitur Dubitabant Lovanienſes Doctores an Romæ eſſet notus liber *Tamburini* in Decalogum, aut doctrina libro contenta, de quâ ipſis viſum eſt docere S. Sedem; cum deeſſet materia idonea in Belgio, de qua expoſtulatum irent, etiam poſt conatus omnes ſui Collegæ *Martini Steyart*, qui ipſorum nomine curſitavit toto Belgio Ordinarios fatigans, ut ea præberent quæſtionum capita, quibus turbarentur ipſorum Diœceſes: Synopſim commiſſionis datæ illi Doctori ſupra exhibuimus.

SECVNDO. Quod in *Adnotatione marginali* dicunt, *aliquos probabilitatum multiplicitatem reputare magnum hujus ſæculi beneficium*, neſcimus quinam ſint illi *aliqui* ſaltem in Belgio: neque enim dubitare ſinunt libelli ſupplices ipſorum, quin ſugillatos velint Theologos in Belgio. Sed videlicet Illuſtriſſimus Præſul *Ioannes Caramuel* verbis relatis à *Mac. Havermans* in *Ep. Apolog.* n. 70. p. 121. ſcripſit alicubi hæc: *Eccleſia Cathol. felicior debet dici, quod exuberet Sanctiſſimis, & doctiſſimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones: quia damnarentur plurimi, quos ſententia probabilitas ſalvat*: hoc ſatis erat his Doctoribus, ut adnotarent *aliquos probabilitatum multiplicitatem reputare magnum hujus ſæculi beneficium.* Quam ſit laudandum, vel reprehendendum illud dictum *Caramuelis*, nihil ad nos: hoc certum eſt, *Sanctiſſimos & doctiſſimos viros S. Auguſtinum, S. Hieronymum*, alioſque Patres: *Sanctiſſimos* item & *doctiſſimos viros S. Thomam, S. Bonaventuram, S. Antoninum, S. Carolum Borromæum, S. Franciſcum Saleſium*, alioſque Theologos *Sanctiſſimos & doctiſſimos* nobis ſuggeſſiſſe multas benignas opiniones, quarum probabilitatem nos quidem credimus Eccleſiæ fuiſſe utiliorem, quam illa dogmata de ignorantiâ invincibili juris naturæ non excuſante à peccato, aliaque nihilo beniora, quæ introduxerunt *Bajus & Ianſenius*, & promoverunt Lovanienſes Doctores & Academici uſque ad hoc hoc tempus.

PROPOSITIO OCTAVA. Etiam in materia fidei licitum eſt ſequi ſententiam probabilem minus tutam.

PRIMO. Inficiamur incunctanter, hanc eſſe doctrinam, quæ excitarit in Belgio *contentiones, perturbationes, ſcandala*, aut omnino eſſe doctrinam alicujus nominis in Belgio. Propoſitionem Doctores accepiſſe videntur ex quibuſdam Theſibus Antverpiæ defenſis anno 1674. ubi tamen ad verbum eadem non habetur: ſic enim ibi aſſeritur: *licitum eſt ſequi ſententiam æque probabilem, & minùs tutam; idque tam in materia fidei, quam morum.* Propoſitionem Doctores exhibuerunt univerſalem omittendo particulam *æquè*, hac formâ; *in materiâ fidei licitum eſt ſequi ſententiam probabilem minùs tutam*: libenter intelligemus ubinam verbis totidem expreſſam invenerint.

PROPOSITIO NONA. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

PRIMO. Habet hic Lector Theologorum Belgii laxitatem accerſitam ex Hiſpaniâ. Auctorem Propoſitionis in Belgio neque invenerunt ipſi, neque nos invenimus, illam igitur excerptam ex *ſelectu diſputat: IOANNIS SANCHEZ* d. 19. n. 7. Sub finem, ubi ad verbum illa invenitur, obtulerunt ſummo Pontifici.

SECVNDO. Caſus Propoſitionis hic poteſt cogitari. Homini infideli de myſteriis noſtræ fidei tenuiter inſtructo incipiunt eadem apparere utcumque credibiliora. Ibi verò aſſerunt quidam Theologi, non continuò illum obligari ut eliciat aſſenſum fidei, ſed licere illi ſpatium ſumere ad indagandum ulterius veritatem, donec obtineat cognitionem credibilitatis perfectiorem, quam certò obtinebit, ſi opportunitas inveſtigandi veritatem non deſit. An, & quam cenſuram mereatur hæc doctrina, nihil ad nos, illi viderint, qui cenſent hoc tempore ſatis eſſe ſi ſummæ auctoritatis definitiones Pontificias in materiâ fidei excipiant *venerabundo ſilentio*; multò magis illi, qui definitionibus iiſdem palam audent obſtrepere: non ſunt vulgo ignoti.

§. 2.

§. 2.

Quid Cauſæ fuerit cur Lovanienſes Doctores apud S. Sedem nihil de hac propoſitione; quod eſt ſpeculativè probabile, eſt practicè certum.

HAbes, Lector, ſuperiori §. Propoſitiones omnes, quas ut reprobatas à ſua Schola obtulerunt S.Sedi Lovanienſes Doctores in materiâ probabilitatis. Nobis verò ſtupore digna res videtur, quod omiſerint propoſitionem quamdam, quâ nulla eſt in Lovanienſi Scholâ reprobatior, nulla quæ vapulat æquè in diſputationibus quotidianis: Propoſitionem exprimunt his verbis: *quod eſt ſpeculativè probabile, eſt practicè certum*: hanc verò in ſuis Theſibus Doctores, hanc nuſquam non Academici Lovanienſes, ſummi, infimique, ut labem Theologiæ moralis teterrimam deteſtantur jam pridem tanto ſtrepitu, ut toto Belgio nihil ſit decantatius, aut magis vulgatum.

Quid verò cauſæ dicemus eſſe, quod de propoſitione illa tacuerint Doctores apud S.Sedem in Legatione tam celebri? non habemus exploratum: ſed fortaſſe haud immeritò ſuſpicetur quiſpiam, non potuiſſe inveniri Auctorem Belgam, ac ne Hiſpanum quidem, aut Gallum, Italumve, aut Germanum, qui propoſitionem tradiderit verbis totidem, propoſitionem verò ipſam fabricatam eſſe Lovanii ab ipſiſmet Academicis eâ formâ verborum, quæ videbatur ipſis maximè opportuna ad excitandam invidiam communi doctrinæ de probabilitate.

Etenim cum per ſe pateat etiam mediocriter eruditis propoſitionem; *quod eſt ſpeculativè probabile, eſt practicè certum*, habere poſſe peſſimos quoſdam ſenſus, quos nemo Theologus approbet, aut approbavit umquam, ſtudiosè ſibi cavent hi noſtri, ne contra eam declamantes, ſenſum ipſum determinent, quo determinato vel appareret nullius Auctoris doctrinam eſſe, contra quam declamant, vel doctrinam eſſe communem; *licet ſequi ſententiam probabilem de honeſtate actionis*. Quoniam tamen Propoſitio ſic accipi poteſt, ut *ſpeculativè probabile & practicè certum*, reſpiciant diverſa; uti, ſi *ſpeculativè probabili* reſpiciat valorem baptiſmi, in apuâ roſaceâ, & *practicè certum* honeſtatem, ſeu licitum uſum talis baptiſmi, nihil determinantes hi noſtri; ſed reipsâ exoſam habentes communem doctrinam de licito uſu ſententiæ probabilis etiam in materia juris naturæ, ut liberius indulgere liceat cenſuris, & tragicis exclamationibus, propoſitionem deteſtantur iis verbis conceptam, quæ ſunt præcipuè obnoxia invidiæ.

Mirus fuit ſtrepitus contra propoſitionem illam concitatus Lovanii die

5. Junii anno 1677. amplis quibuſdam Theſibus Theologicis, vel ſi mavis, Juridico-Theologicis. Mos eſt in Lovanienſi Academiâ, ut ſtudioſi Juriſprudentiæ jam jam promovendi ad gradum Licentiæ, ut vocant, poſtremo ac ſolemni actu ſpecimen præbeant ſuæ peritiæ, propugnando ſuccinctas quaſdam Theſes in aliquem juris Civilis aut Canonici locum. Ad hunc actum ſe parabat quidam *Cornelius Zegerus Zeghers*: hanc nacti occaſionem *ZEGERVS VAN ESPEN* juris utriuſque Doctor minimè veteranus, & dicti *Cornelii Zegeri Zeghers* conſanguineus, ſimulque *GVMMARVS HVYGHENS* S.T. Doctor, alterius Doctoris convictor in Collegio Pontificio, elaborarunt amplas Theſes paginis omnino decē non tam juridicas, quàm Theologicas. Titulus Theſium hic erat: *Repetitio ad Regulam; IN DVBIIS SEMITA TVTIOR EST ELIGENDA, probatam à Summis Pontificibus Clemente III. in Cap. 12. π de homicid. & Innocentio III. in cap. 5. π de Clerico excom. Miniſtr. everſivam hujus Pſeudo-maximæ; QVIDQVID EST SPECVLATIVE PROBABILE, EST PRACTICE CERTVM, quam defendendam ſuſcipit* CORNELIVS ZEGERVS ZEGHERS *Antverpienſis die 5. Iunii* 1677. Auctores verò Theſium fuiſſe duos illos Doctores nemo dubitat Lovanii, neque, ut videtur, ipſi diffitentur.

Porrò ne in illis quidem Theſibus determinatur Propoſitionis ſenſus, niſi quod ex toto contextu ſatis appareat, non aliter eam accipi, quam ſi dictum eſſet, *licere ſequi ſententiam probabilem*. Ut verò evertatur doctrina de licito uſu probabilis ſententiæ, fundamentum ſuæ *Methodo remittendi & retinendi peccata* locaſſe eumdem *Gummarum Huyghens* obſervavimus in 2. p. *Specim.* cap. 5. §. 1. aliud fundamentum hoc locatur Theſi 3.

Quid aliud peccatum, niſi dictum factum Concupitum contra legem æternam? oportet igitur actionibus noſtris, regulæ loco præfigere legem æternam; unde nequaquam ſufficit, ſi probabilitas ſola conſideretur: probabilitas enim neque lex æterna eſt, neque legi æternæ magis commenſurata, quam ſors. Aliud Theſi 4.

Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis eſt: ſi ergo ignorantia, quomodò non probabilitas damnabilis erit, ſi ei ſe quis in praxi conformet?

At verò Theſi 14. ut in ſequentibus Theſibus ex doctrina Propoſitionis deducant abſurdiſſima quæque, huic aſſociant aliam doctrinam de probabilitate opinionis hoc ipſo, quo eſt Doctoris unius. Tum verò Theſi 16. exclamant; *hæc ubi admiſeris, Deus bone! quam monſtroſi partus tam monſtroſâ matre!* Hæc amplificant copioſè. Atque hæc quidem hi Doctores, & Academici in ſuo Regno, ſeu Lovanii: Romæ enim, ut vidimus de Propoſitione illa altùm tacuerunt.

§. 3.

§. 3.

Specimen Modeſtiæ Doctorum, & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de probabilitate.

HUnc locum abſolvere nobis poſſit *IOANNES SINNICHIVS* S.T. Doctor Lovanienſis in ſuo *Saüle exrege*, quem dicere poſſis quamdam Apothecam liberrimarum cenſurarum & maledictorum in materia probabilitatum. Ex *Saüle exrege* Lovanienſes Academici illa ferè transferunt in quotidianas Theſes, quibus Morales Theologi probabilitatum Patroni traducuntur ut *Laxones, Palpones, Iudæi Phariſæi*, aliiſque modis lacerantur ad offenſionem bonorum omnium. Res eſt Lovanii, alibique in Belgio tam quotidiana, tamque teſtata, ut neque Romæ poſſit eſſe inaudita. Libabimus tamen ſpecimina quædam pauca. Sed antè omnia de Lovanienſi hac licentia elucente in *Saüle exrege IOANNIS SINNICHII* S.T.D. videri poteſt celebris Romæ ſcriptor *MARTINVS DE ESPARZA* in *Appendice ad quæſtionem de licito uſu opinionis probabilis* ab art. 14. pag. 14. ubi graviſſimis verbis illam exponit & deteſtatur.

Sed verò, quæ vir ille egregius obiter tetigit ex Synopſi cap. 95. *Saülis exregis* paulo plenius deſcribenda videntur; ſic enim Theologis moralibus ibi inſultat *Ioannes Sinnichius*.

Neoterici Laxitatum Præcones imitantur priſcos Iudaici populi palpones, de quibus ad eumdem populum Dominus exclamat: POPVLE MEVS, QVI TE BEATVM DICVNT, IPSI TE DECIPIVNT, ET VIAM GRESSVVM DISSIPANT. Vtrique ſunt olei venditores, quatenus falſa vel ignorata laudando præcipitant animas in ruinam, quibus vana gaudia conciliant, aliquam ab eis mercedem, ſive ciborum, ſive pecuniæ, ſive honoris, ſive alicujus commodi temporalis expectantes.

Hæc ille in Synopſi cap. 95. multis eadem dilatans, in decurſu capitis perſtringens *benignos probabilitatum Aſſertores, probabilitatum artifices, Laxioris Ethices procuratores non modo accedentes ad veterum libertinorum ſententiam, ſed eorumdem quoque reſumentes jactantiam*, & iiſdem ea applicans, quibus *S. Baſilius* invectus eſt in hæreſiarcham *Ennomium*.

Ex Synopſi cap. 96. ejuſdem *Saülis exregis* libemus hæc.

Novella probabilitatum perſuaſio, mera eſt ignorantiarum palliatio: nec ſecurat opinionis probabilitas, quem non excuſat ignorantiæ cæcitas. Fruſtraneè ad ignorantiæ aſylum recurritur, cum juris præſertim innati ſanctio temeratur &c.

Ex Synopſi capitis 97. hæc.

Quamvis humanarum opinionum dictamina nihil aliud ſint, quam ignorationum ſymptomata, cavent tamen probabilitatum præcones ſua ſenſa vocare ignorationes; ſed blandiori nomine opinationes ...... Cur verba ſapientium aſſimilentur ſtimulis, & verba

palpo-

palponum PVLVILLIS ET CERVICALIBVS ...... *è tribus humanæ mentis fœtibus intelligentia, credentia, opinantia, Primus per ſe ipſum conſideratus ſine vitio eſt ſemper; nonnumquam, tertius numquam.*

Ex Synopſi capitis 98. hæc.

Cohibendi ſunt laxitatum buccinatores, non modo ne fallant, ſed ne & ipſi pereant, & alios perdant. CHRISTVS *dicendo,* SI CÆCVS CÆCO DVCATVM PRÆSTET, AMBO IN FOVEAM CADVNT, *non ſolum terruit cæcum ducentem, ſed & cæcum ſequentem ...... Probabilitatum Patroni cæci ſunt, quia opinantes, ac per hoc hallucinantes, & ſimul cæcorum Duces, quia hallucinationum ſuarum ſequacibus ſecuritatem falsò ſpondentes, perſuaſione ſua accedunt præſumptionem, extinguunt orationem .... cum ignorantia cæcitas non modò pœna ſit peccati, ſed ſubinde etiam peccatum, verendum omnino eſt ne probabilitatum præcones ac ſectatores indidem accuſentur unde ſe defendi arbitrantur.*

Hæc tibi, Lector, nudæ Synopſes quorumdam Capitum *Saülis exregis* exhibent, quæ ſi capitibus totis diffuſa huc transferrre placuerit; magna libri pars erit deſcribenda. Quàm hæc grata acciderint Lovanienſibus, oſtendunt quotidianæ Theſes eadem imitantes. Quaſdam videamus.

IACOBVS PONTANVS S.T.D. Lovanii die 12. Januarii 1665. hæc nobis dedit Theſi 2. ad imitationem *Saulis exregis.*

POPVLE MEVS QVI TE BEATVM DICVNT, IPSI TE DECIPIVNT...... quidni & Laxones, qui in quolibet indifferenter jure ſecundùm probabilitatem operantes tutos & ſecuros dicunt, cum in jure naturæ probabilitas tutos non faciat.

FRANCISCVS VAN-VIANEN S.T. Doctor Lovanii die 28 Junii 1670. hæc dedit Sinnichianâ Theſi 2.

ERVDITORVM INSIPIENTIVM : quales non ſunt populum Dei beatum dicentes, & per latas probabilitatum vias greſſum ipſorum diſſipantes: multum enim abeſt, quod eos ſinceré doceant; cum eos potius altis ignorantiæ tenebris involvant.

GERARDVS VAN WERM S. T. Doctor Lovanii die 27. Octobris 1670. Theſi 3.

In ambage, & variarum opinionum conflictu licitum eſſe ac ſecurum indiſcriminatim utramlibet ſequi (quamvis falſam) modò probabilis appareat, non modò non credimus: verùm etiam eos, qui hæc effata prædicant, PHARISÆIS *legem Dei propter humanas traditiones evacuantibus non abſimiles judicamus.*

Hæc ille Doctor nixus Dogmate de ignorantia invincibili juris naturæ non excuſante toties à ſe defenſo: vide, Lector, 1. p. *Specim.* cap. 6. §. 1. & in hac 4. parte *Specim.* cap. 1. §. 4.

LAMBERTVS VINCENT S.T.D. Lovanii die 28. Septemb. 1673. Sinnichianam Cantionem hanc propoſuit Theſi 2.

HABENT, SED NON SECVNDVM SCIENTIAM. Sunt & hiſce temporibus

MVLTI

MVLTI IVDÆIS IN HOC SIMILES, quibus annumeramus eos, qui ad facilitandam animarum ſalutem, excogitarunt has, aut ſimiles Pſeudo-maximas: licet promiſcuè ſequi quamlibet ſententiam probabilem.

IOANNES RECHT S.T.D. Lovanii die 29. Januarii 1672. Theſi 1.

Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis. Hominibus placentia prædicantes, ut faciunt novelli quidam laxitatum buccinatores, qui popello Decalogi præcepta relaxant, Scripturam adulterantes.

GVMMARVS HVYGHENS S.T.D. & *ZEGERVS VAN ESPEN* J.V.D. Lovanii die 5. Junii 1677. Theſi 5.

Hanc doctrinam ipſamet veritas probat ſubſequenti ſententia; SI CÆCVS CÆCO DVCATVM PRÆSTAT, AMBO IN FOVEAM CADVNT. Dicebatur hoc de Doctoribus, qui eo tempore erant præ omni hominum genere in lege Dei, ac Synagogæ peritiſſimi: quia dicebatur de legis-peritis gentis Iudaicæ, in quâ ſola notus Deus, & quidem de primariis in ipſa metropoli reſidentibus. Si proinde rationes, ob quas vera ipſis videbantur, quæ à parte rei contra legem naturæ docebant, non excuſaverunt ipſos: ſi etiam ipſorum auctoritas non excuſavit ſequaces; quomodo nunc laxitatum Patroni excuſabuntur ob ſuas ratiunculas? quomodo ſequaces ob illorum auctoritatem?

LAVRENTIVS NEESEN, vel ejus Collega S.T.P. Mechliniæ in Seminario Archiepiſcopali die 31. Januarii 1675. Theſi 1.

A prævaricatione præceptorum novæ legis non magis Chriſtianos excuſant ſuorum Doctorum ſententiæ probabiles, quàm IVDÆOS aut GENTILES à prævaricatione legis Moſaicæ, aut naturæ PHARISÆORVM & PHILOSOPHORVM placita, & traditiones.

Tædioſum ſit referre hujus generis plura, quæ ſuperſunt innumera. Fortaſſe Lector recreabitur luſu Poëtarum, quos ſuprà diximus hoc anno fuiſſe facundos Lovanii in Collegio *SS. Trinitatis.* Excuſam typis habemus magnam copiam: libemus pauca; ac primùm quidem accipe Carmen lepidum ad memoriam Emin. Cardinalis *BONA.*

Quid Bona conquereris? bona non eſt illa querela
Dum quæcumque lubent, cuncta licere doles.
Credo equidem ſcalis peteres ſi culmen Olympi;
His ſurſum tractis ſolus in axe fores.
Plaudere debueras quod ad ardua regna Tonantis
Tam facilem pandant dogmata laxa viam.
Excelsâ ſed mente tumens tu deſpicis omnes:
Cura tibi propria eſt, non aliena ſalus.
Non bona Chriſticolis proponis dogmata: plebem
Multa pati, Monachis non patienda, jubes.

Accipe alterum ad venerationem *ALEXANDRI VII* Pontificis Romani.

Sanctè Pater, quid agis? quid fulmen dextra triſulcum
Evibrat? an damnas dogmata tuta, Pater?
Nonne probabilitas reddebat tuta? licere
Plurima ceſſabunt, quæ licuere prius?
Ante, Dei quamvis numquam inflammarer amore,
Tutus eram: duro nunc data colla jugo.
Clauditur intereà domus ante patentis olympi,
Pluribus hâc clavi, quâ reſeranda fuit.
O malè tergeminâ frontem redimite tiarâ,
Ad ſtyga qui pandis, ſtringis ad aſtra viam.

Hæc, & alia permulta in doctrinam probabilitatum parum intellectam, aut licentiâ poëticâ depravatam plauſum ferunt Lovanii.

§. 4.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de probabilitate, tamquam reprobatam à Scholâ Lovanienſi, repræſentarunt S. Sedi Lovanienſes Doctores.

APparet ex §. ſuperiori Lovanienſes Doctores & Academicos non ſe declaraſſe hoſtes probabilitatum nullo diſcrimine; ſed ſolùm vel præcipuè in materiâ juris naturæ. IOANNES quidem SINNICHIVS *Saülis exregis* lib. 1. cap.96. §.358.pag.364.col.1. ſic paucis pronuntiat: *ubi enim hæc* (ignorantia) *excuſat à culpa, etiam probabilitas opinionis excuſat.* Mox infert probabilitatem non excuſare in materia juris naturæ; quia ibi non excuſet ignorantia. Hic igitur ea ſola referemus, quibus vel diſertè Lovanienſes Doctores defenderunt licere ſequi opinionem probabilem in materia juris naturæ, vel generaliter, aut nullâ diſtinctione affirmarunt, licere ſequi opinionem probabilem; & quidem etiam minùs probabilem, minuſque tutam, & contra opinionem propriam; ut ſtatuat Lector, an hi octo Doctores, qui Legationem hanc inſtituerunt, ſatis magno ſint numero, ut doctrina illa credi poſſit aliena aût reprobata à Scholâ Theologicâ Lovanienſi. Audiemus verò illos quoque Doctores, quos conſtat alibi reprobaſſe doctrinam; ut Lector ſtatuat, an ſeriò videantur reprobaſſe.

Primus audiatur IOANNES ipſe SINNICHIVS, & quidem in ſuo *Saüle exrege*, in quo probabilitatibus bellum indixit uſque eò, ut affirmarit lib. 1. cap. 97. pag.370. *Humanarum opinionum dictamina nihil aliud eſſe, quam ignorantiarum Symptomata*, & numquam eſſe ſine vitio. In eodem *Saüle exrege* lib.1. cap.67.§.260. pag.227.col.2. excuſat *Ioannem XXII.* qui & putaverit æternam Beatitudinem differri uſque ad extremum judicium, & tamen ſolemniter canonizaverit tres Sanctos: excuſat verò his verbis: *Neque*

Neque enim repugnat quempiam proferre ſententiam, aut exercere actum externum poteſtatis clavium, contra opinionem propriam, quam animo fovet: prout communiter Theologi tradunt in materia confeſſionis Sacramentalis, quatenùs aſſerunt Confeſſarium poſſe, vel etiam teneri abſolvere pœnitentem, contra propriam opinionem; quando ille ritè diſpoſitus eſt, & confeſſus juxta probabilem contrariam opinionem.

Nota 1. in hoc modo excuſandi *IOANNEM XXII.* ſupponi quod Canonizare Sanctum, ſit decernere illi cultum, ut jam fruenti æternâ gloriâ. Uti ergo exponeret ſe periculo peccandi contra jus naturæ ſaltem materialiter qui coleret Sanctum ut jam fruentem æternâ gloriâ, quem judicaret ipſe non frui æternâ gloriâ, ſequens in hoc ſententiam aliorum judicantium illum frui æternâ gloriâ, ſic & Pontifex eo modo decernendo cultum iſtum: ſecutus eſt igitur ſententiam probabilem aliorum contra propriam in materia juris naturæ: cum ergo Pontificem excuſet *Sinnichius*, cenſuit licere ſequi opinionem probabilem aliorum contra propriam in materia juris naturæ. Nota 2. non de nihilo referri doctrinam Theologorum nullo diſcrimine juris naturæ, aut poſitivi affirmantium obligari Confeſſarium ſequi ſententiam probabilem pœnitentis contra propriam: refertur enim ad excuſandum *Ioannem XXII.* approbat igitur *Sinnichius* illam doctrinam, ſed his ampliorem lucem affundunt, quæ ſequuntur: ſic enim Pontificem excuſare pergit.

De ADRIANO VI. Summo Pontifice fertur, quod diſpenſaverit in matrimonio rato, contra ſuam opinionem quâ exiſtimavit non poſſe Pontificem in ejuſmodi matrimonio diſpenſare. „ Adrianus VI. *inquit Dominicus Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4.* „ Vir tum juris utriuſque peritiſſimus, tum & rei Theologicæ non infimè doctus, cum ab illo hujuſmodi diſpenſatio fuiſſet poſtulata, oblataque fautrix „ ſententia *Cajetani*, demiratus eſt virum Theologum hoc ſibi in animum inducere potuiſſe. Et ideo improbis precibus ſuccumbens reſpondit ſe dare „ quod poſſet, ſed tamen credere ſe nihil poſſe. „ *Credibile profectò eſt eumdem Pontificem conſimiliter reſponſurum fuiſſe, ſi importunis precibus ab ipſo fuiſſet poſtulatum, ut contra propriam opinionem committeret ſimplici Presbytero miniſterium Sacramenti Confirmationis. Neque enim pejoris conditionis cenſeri debent Summi Pontifices, quàm cæteri homines, quibus ſubinde licitum eſt in praxi procedere ſecundùm probabilem ſententiam, ei etiam opinioni adverſam, quam ſpeculativè reputant veriorem. Ad hunc ergo modum potuit Ioannes XXII. Canonizare Sanctos contra propriam ſuam opinionem, ſequendo in praxi probabilem aliorum opinionem.*

Nota 3. ſuppoſito quod Summo Pontifici non ſit data poteſtas diſpenſandi in matrimonio rato, eſſe ipſi illicitum ex naturâ rei attentare hujuſmodi diſpenſationem: partim quia ſeclusâ omni aliâ lege poſitivâ, evidens eſt hoc ipſi non licere, partim quia hujuſmodi diſpenſatione invalidâ, occaſionem præberet multis peccatis contra legem naturæ: ſimiliter ſuppoſito quod Summo Pontifici ſit data poteſtas illas diſpenſandi, facilè intelligitur, eſſe ipſi licitum

ex naturâ rei diſpenſare. Patet igitur opinionem probabilem affirmantem vel negantem hoc licere Summo Pontifici, verſari in materiâ juris naturæ. *Adrianus* igitur *VI.* diſpenſans in matrimonio rato ſequendo probabilem ſententiam *Cajetani* contra propriam. ſecutus eſt probabilem ſententiam contra propriam in materiâ juris naturæ. Atqui *Sinnichius* id ſuſtinet rectè ab illo factum.

Minùs ergo mirum eſt Doctorem eumdem *Ioannem Sinnichium* apud *Guilielmum le Maire* in *ſtatera Saülis exregis* ſect. 2. cap. 2. §. 3. pag. 137. Duobus annis antequàm in lucem ederet *Saulem exregem* propugnaſſe hanc Theſim.

Cum conſcientia probabili licitè operamur. Vnde inter opiniones non eſt ſemper neceſſarium ſequi probabiliorem, vel magis tutam: ſed ſatis eſt ſequi opinionem verè, tametſi minùs, probabilem, RELICTA ETIAM PROPRIA PROBABILIORI ET TVTIORI.

GERARDVS VAN WERM S. T. Doctor ille invincibilis ignorantiæ non excuſantis à culpâ vindex tam ſeverus, ut patuit in 1. p. *Specim.* cap. 6. §. 1. & in hac p. 4. §. proximè ſuperiori, idemque unus ex illis quorum auctoritate inſtituta eſt præſens Legatio, hæc propugnavit Lovanii die 9. Maji 1654. Theſi 3.

Per ſe loquendo ſemper licitum eſt ſequi probabilem relictâ probabiliori: non verò practice dubiam. Si poſt diligens examen dubites an lex ſit lata, pro te tamquam poſſeſſore libertatis tuæ potes reſolvere.

Doctor idem Lovanii die 5. Novembris 1661. Theſi 3.

Sæpè contingere poteſt ut teneamur nos judicio probabili conformare, etiam prætermiſſo probabiliori: nam ut communiter tenetur, injuſtè detrectares ſubditus obedire ſuperiori, quia valde probabiliter opinaretur ſe non poſſe. Communis hæc doctrina quam vocat, procedit etiam in materia juris naturæ, ut Conſtat.

IOANNES RECHT S. T. D. præſentis Legationis & ipſe Auctor Lovanii die 16. Januarii 1659. Theſi 3.

Quandò ex utrâque parte ſunt opiniones probabiles, quarum una eſt probabilior, & altera minùs probabilis, ſatis communiter poſſum in actionibus moralibus ſequi minùs probabilem, modò verè & abſolutè probabilis ſit, relictâ probabiliori: non tantùm quando minùs probabilis tutior eſt, vel quando ab operante habetur, uti probabilior; ſed etiam quando eſt minus tuta, & habetur ab operante tamquàm minùs probabilis.

IACOBVS PONTANVS S. T. Doctor, quem itidem audivimus p. 1. *Specim.* cap. 6. §. 1. propugnatorem ignorantiæ invincibilis non excuſantis à peccato contra legem naturæ, Lovanii die 2. Decembris 1650. hæc nobis dedit Theſi 3.

Prudenter agis ſequendo ſententiam probabilem, etiam relictâ probabiliori & tutiori, niſi charitas obſtet aut Iuſtitia. Optima & infallibilis voluntatis noſtræ regula eſt,

lex

lex æterna. Voluntati divinæ ſemper debet voluntas noſtra conformari in volito formali, non ita in materiali.

Doctor idem Lovanii die 6. Novembris 1659. Theſi 3.

Hinc tamen ne inferas; ergo peccas ſequendo ſententiam probabilem. Quin imò quando ab utrâque parte ſunt probabiles, etiam quarum una probabilior eſt alterâ, quamlibet ſine peccato poteris ſequi; non tamen ſemper. Sed quid ſi minùs probabilis ſit minus tuta? ſubinde minùs tutam tunc poſſumus ſequi; & aliquando etiam tenemur.

Vides, ut null hic diſtinctio Juris naturalis & poſitivi. Quod dicatur, *non tamen ſemper id licere,* nemo eſt Theologorum qui id affirmet ſemper licere.

LIBERTUS FROMONDUS S. T. Doctor ille vario certamine pro *Auguſtino Janſenii* ſuſcepto celebris, Lovani die 10. Septembris 1652. Theſi 3.

Conſcientia probabilis........ regulariter licet ſecundùm eam operari, ſive ſit probabilior, ſive non, ſive tutior, ſive non: tenemur interdum ſequi opinionem probabilem relictâ probabiliori & tutiori...... Conſulere aliquando poſſumus, ut quis operetur juxta ſententiam probabilem, licet nos ipſi eam falſam judicemus.

Doctor idem Lovanii die 10. Junii 1653.

Quæ (conſcientia) *ſive vincibiliter, ſive invincibiliter erret, obligationem etiam poſitivam inducit ad faciendum, quod dictat eſſe præceptum: ita ut ne quidem per abſolutam Dei potentiam licitum ſit contra eam agere; tametſi quid intrinſecè malum dictet eſſe præceptum. POTEST ESSE RECTA DISCORDANS A SENTENTIA PROBABILIORI ET TUTIORI.*

Doctor idem Lovanii die 6. Martii 1642. Theſi 4.

Probabilem verò, & minùs tutam relictâ tutiori & probabiliori per ſe loquendo licet, & ſubinde oportet ſequi.

Minùs mirum his ſimilia eidem Doctori placuiſſe, nondum guſtato *Auguſtino Cornelii Janſenii,* Lovanii die 16. Januarii 1637.

In actionibus moralibus juxta opinionem probabilem ambulare (eſto hæc ſit minùs tuta) contemptá etiam ſcienter probabiliori, regulæ prudentiæ non repugnat.

Nullum apicem omiſit, qui diſplicere poſſet his noſtris Doctoribus hoc tempore in expreſſione aſſertionis de licito uſu ſententiæ probabilis. Atque hæc ille ignorantiæ invincibilis non excuſantis, uti & cæteræ doctrinæ Janſenianæ poſtea aſſertor tam ſtrenuus.

THOMAS LEONARDI S.T. Doctor Lovanienſis lib. 2. de hominis inſtitutione cap. 7. quod opus in lucem edidit Anno 1661. Janſeniano Dogmati de ignorantiâ invincibili juris naturæ non excuſante à peccato opponens ſeſe argumentatur ab abſurdo his verbis.

Ingens orietur perplexitas animorum: cum enim ſint plurimi contractus, & innumerabiles caſus, in quibus controvertitur inter Doctores an in iis reperiatur aliquid contra Legem naturæ vel non, & utrimque ſint probabiles opiniones, ſequitur, quod conformans ſe probabili opinioni, vel etiam probabiliori dictanti id licere, caſu quo juxta legem naturæ

non liceat, peccet coram Deo, etiamſi adhibuerit omnem diligentiam .... undè ſequeretur, quod in pertinentibus ad Legem naturæ homines ſemper tenerentur ſequi partem tutiorem, etiamſi oppoſita longè eſſet probabilior........ QUAM AUTEM HÆC ABSURDA SINT, PATET CONSIDERANTI. Cum enim non magis poſſit homini nocere error circa mores, quàm circa fidem, quam conſtat non minùs eſſe neceſſariam ad ſalutem, quàm ſint virtutes morales; cumque conſtet, quod circa articulum fidei, qui nondum eſt ab Eccleſiâ declaratus, tamquàm de neceſſitate credendus, nihil noceat ſaluti fidelium hoc vel illud tenere, indignum eſt aſſerere, quod error circa mores aut præcepta moralia cuipiam nocere poſſit, quamdiu Eccleſia nihil determinavit, & probati Autores ſtant pro unâ, & alterâ parte.

Diſpiciat eruditus Lector quàm procul diſtare hæc videantur à *Propoſitione octava*, aut *nona* de probabili opinione in materia fidei, de quibus §. 1. hujus Capitis.

His Conſentanea dederunt S.T. Doctores Lovanienſes, *IOANNES MALDERUS* Antverpienſium Epiſcopus 1. 2. diſp. 86. *IOANNES WIGGERUS* 1. 2. q. 19. a. 6. *GUILIELMUS AB ANGELIS* die 3. Februarii 1640. Theſi 3. *GUILIELMUS MERCERUS* die 9. Novembris 1630. Theſi 5. *ADRIANUS* ipſe Papa VI. Doctor olim Lovanienſis Quodlib. 2. puncto 1. nullo diſcrimine juris naturæ aut poſitivi ſic pronuntiavit.

Si credo Doctoribus aſſerentibus mihi aliquid licere, etſi emergat in me ratio probans non licere, quam ſolvere neſcio; ſi dictis eorum contra rationem fidem habeo, licitè ago contra illam apparentiam, ut contra ſcrupulum. Quid etiam Pontifex ſenſerit de uſu probabilis opinionis alienæ contra propriam, illo nos facto docuit, quod exponentem ſupra audivimus *Ioannem Sinnichium* Lovanienſem Doctorem.

Non prætereamus locum notabilem *Adriani* Quodlib. 1. a. 3. ad 3. principale argumentum Alphab. 2. litt. H. pag 15. col. 2. ubi ſic legitur.

Ex his credo probabiliter dicendum quod ſincero affectu ſalutem animæ ſuæ quærens, ſi conſilio Magiſtri, vel egregii illius Doctoris HUGONIS DE S. VICTORE propter ſcandalum vitandum non veræ uxori debitum reddiderit, excuſatur à peccato; etiamſi eorum opinio ſit erronea. Caſus de quo loquitur, eſt, cum quis ſciens matrimonium ſuum eſſe irritum, compellitur per ſententiam Judicis reddere debitum. Mox verò (ſpecimen priſcæ modeſtiæ Lovanienſis hoc habeant hi noſtri) *Ubi autem*, inquit, *opinio MAGISTRI, ET HUGONIS DE S. VICTORE reprobata ſit (ſi reprobata eſt) Majoribus meis diſcutiendum relinquo. Mihi ſatis eſt, ſi dubitando inveſtigandi occaſionem dederim, ut ſub menſâ dominorum, ſi Deus largiri dignetur, micas edere poſſim.* Interea *Adrianus* judicavit probabiliter dicendum, excuſari eum poſſe, conſilio *Magiſtri*, vel *Hugonis* debitum reddiderit, uxori, quam ſcit non eſſe veram uxorem.

Quoniam verò apparet valde diſplicere his noſtris *propoſitionem quartam*, quâ dicitur,

dicitur, Confeſſarium obligari, ut ſe conformet probabili opinioni Pœnitentis: multis enim eam deteſtatur *MACARIVS HAVERMANS* in *Epiſt. Apologeticâ* n 107. pag. 183. & ſeq. Videamus quàm ſit aliena hæc Doctrina à Lovanienſi Scholâ.

LIBERTVS FROMONDVS S. T. Doctor Lovanii die 10. Septemb. 1652. Hæc dedit Theſi 3.

Confeſſarius contra opinionem propriam etſi probabiliorem ac tutiorem, tenetur Pœnitentem abſolvere, ſecundùm probabilem ipſius.

Doctor idem Lovanii die 14. Maii 1653.

Tenetur Confeſſarius ſub mortali abſolvere Pœnitentem, qui minùs probabilem & minùs tutam ſententiam ſequitur, modò verè probabilis ſit; & quamvis Confeſſarius eam falſam judicet, ex eâque ſequatur notabile damnum proximi.

ANDREAS LAVRENT S. T. Doctor unus ex illis qui legationem Romanam hoc tempore decrevererunt, hæc propugnavit Lovanii die 3. Auguſti 1654.

Si Probabilitas cadat ſupra actionem, relictâ probabiliori. probabile ſequi ſemper potes, ſæpe debes .... miniſtrans Sacramentum ex opinione probabili relictâ probabiliore & tutiore non peccat contra reverentiam Sacramento debitam.

GVILIELMVS TASSELON in actu pro Laurea Doctorali Lovanii die 14. Novembris 1639.

Conſcientia . . . . . non obligatur ſequi ſemper opinionem probabiliorem, & tutiorem, ſed hâc relictâ poteſt amplecti minùs probabilem & minùs tutam, etiam in adminiſtratione Sacramentorum? Omnino. nec tantùm in neceſſitate, quando magis probabilis, magiſque tuta ſervari non poteſt, ſed etiam extra neceſſitatem; ſaltem in his quæ ſe tenent ex parte ejus, cui confertur ſacramentum.

IOANNES SINNICHIVS, ut vidimus hoc ipſo § excuſans *Ioannem XXII* uſus eſt Theologorum Auctoritate *communiter* docentium, *Confeſſarium poſſe, vel etiam teneri abſolvere Pœnitentem contra propriam opinionem, quando ille ritè diſpoſitus eſt, & confeſſus juxta probabilem contrariam opinionem.*

GERARDVS VAN WERM S. T. Doctor Lovanienſis unus ex illis, quorum auctoritate inſtituta eſt præſens Legatio Romana Lovanii die 26. Octobris 1652. aſſertionem hanc dedit Theſi 3.

Tenetur Confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui minùs probabilem, & minùs tutam ſententiam ſequitur, modò illa verè ſit probabilis, & quamvis eam Confeſſarius judicet eſſe falſam, ex eaque ſequatur proximi detrimentum.

Doctor idem Lovanii die 29. Auguſti 1652. Theſi 3.

Confeſſarius TENETVR SVB MORTALI abſolvere Pœnitentem qui probabilem, ſed minùs tutam ſententiam ſequitur, quamvis eam Confeſſarius falſam judicet, ex eâque ſequatur notabile proximi damnum.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus, S.T. Doctor Lovanienſis 1.2. diſp. 86. hæc dedit.

Dico

Dico Quintò. Confeſſarius tenetur abſolvere Pœnitentem habentem opinionem probabilem, ſecundùm quam ab eo opere proponit non abſtinere, quod ſecundùm probabiliorem Confeſſarius tenet eſſe illicitum.

ANDREAS LAVRENT S.T. Doctor unus ex illis, quorum auctoritate adornata eſt præſens legatio ad Sedem Apoſtolicam, Lovanii die 17. Auguſti 1652. hæc ſuſcepit propugnanda theſi 3.

Tenetur ((confeſſarius) *abſolvere Pœnitentem, qui minùs probabilem, & minùs tutam ſententiam ſequitur, modo ſit verè probabilis.*

GVILIELMVS MERCERVS S. T. Doctor Lovanienſis in 3. p. q. 8. *ſupplem.* a. 5. dub. 3.

Si pœnitens adhæreat opinioni probabili, & contrariam probabiliorem Confeſſor judicet, debet Confeſſor eum abſolvere. Ratio eſt: quia cum pœnitens operetur ex opinione probabili, eſt benè diſpoſitus, & integrè confeſſus: ergo &c.

IOANNES WIGGERS S. T. Doctor Lovanienſis 1. 2. q. 19 a. 6.

Audivit ſacerdos confeſſionem alicujus, qui non vult omittere V. G. aliquod genus contractuum, quod ex probabili ſententiâ tenet eſſe licitum, quamvis oppoſitum ſit probabilius, cui parti ſacerdos adhæret: in eo tamen caſu non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur eum abſolvere. Ratio eſt, quia hic pœnitens non habet impedimentum abſolutionis, cum ſine peccato poßit illud genus contractuum frequentare inhærendo ſententiæ probabili, quæ dicit eſſe licitum: quando autem quis audivit Confeßionem, tunc ex officio obligatur pœnitentem non impeditum abſolvere.

Quoniam denique Lovanienſibus Doctoribus haud immeritò diſplicuit quorumdam doctrina, qui cenſuerunt etiam in materia fidei licere ſequi opinionem probabilem minùs tutam, non eſſet hîc abs re oſtendere, fuiſſe id jam pridem familiare Lovanienſibus Doctoribus: ſed rem ipſam per ſe Eruditus Lector facilè conficiet ex iis quæ dedimus in 2. p. *Specim.* toto cap. 1.

Quoniam etiam haud immeritò diſplicet generalis Regula, quâ probabile dicatur quidquid vel uni Doctori viſum eſt, de hoc audiamus Lovanienſes Doctores.

CHRITIANVS BEVSECVM S. T. D. Lovanii die 1. Martii 1640. hæc propugnavit.

Probabile eſt quidquid vel ab uno famoſo Doctore ex profeſſo docetur, modò paßim tamquam improbabile ab aliis non rejiciatur.

ANDREAS LAVRENT S. T. Doctor unus ex illis, quorum nomine hoc tempore expoſtulatur apud S. Sedem, Lovanii die 29. Julii 1654. hæc dedit Theſi 3.

Liber eſt à peccato, qui ſequitur opinionem unius Doctoris abſque eo, quod eam expendat & poſtea reperit falſam. Inter opiniones probabiles una non eſt ſecurior & tutior alterâ; nulla eſt opinio ſpeculativè probabilis, quam in praxi toto amplecti non poßit.

Addamus praxim ſequendi opiniones merè probabilis etiam in materiâ juris

juris naturæ vigere in Academiâ Lovanienſi. Exemplo ſit emptio cenſus perſonalis, quæ ut alibi terrarum, ſic & in iſtâ Academiâ exercetur ſine ſcrupulo à ſummis, infimiſque, ubi & emptores obtinent à Rectore Academiæ, uti & à Conſervatore Privilegiorum, ut per Academiæ miniſtros executio fiat contra moroſos debitores redituum perſonalium. Atqui conſtat emptionem illorum cenſuum merè probabiliter licitam eſſe ex jure naturæ: licet enim à multis licita judicetur iis locis, ubi Bulla *Pii V.* de cenſibus non eſt in uſu, reprobatur tamen à pluribus, uſque adeo ut *Navarrus* cap. 17. n. 79. dicat in hâc opinione fuiſſe *Hoſtienſem*, *I. Andream*, *Angaran. Anton. Cardinalem*, *Panormitan*, *Ananiam & FERE OMNES*; Cenſius verò de cenſibus quæſt. 34. pro opinione reprobante illos cenſus referat tres Rotæ deciſiones.

Conſtat etiam Doctores & Profeſſores Lovanienſes approbaſſe certos Montes Pietatis in quibus Mutuatarii coguntur poſt annum ſolvere ſortem, & ultra hanc *quindecim in centum*: hoc eſſe licitum ſubſcripto ſuo nomine ſignarunt anno 1626. Lovanienſes Doctores *Guilielmus Fabricius*, *Ioannes Schinckelius*, *Ioannes Wiggers*: ac deinde anno 1627. *Guilielmus Mercerus*, *Chriſtianus Beuſecum*, *Cornelius Ianſenius*, *Michaël Paludanus*, *Henricus Paridanus*. Atque ex horum judicio Montes illi procedunt in Belgio hactenùs: hanc verò juſtitiam, ut ſummùm, eſſe merè probabilem & per ſe patet, & conſtat ex acri contradictione plurium, de qua liquet ex ipſa conſultatione Epiſcoporum & Doctorum in illa controverſia.

Ex his putamus liquere, Doctores Lovanienſes hoc tempore repræſentaſſe S. Sedi doctrinam Lovanienſium Doctorum de Probabilitate, tamquam reprobatam à Scholâ Lovanienſi.

CAPUT III.

De Caritate.

§. 1.

Ad doctrinam de præcepto Caritatis, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio à Lovanienſi Scholâ reprobatam ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. An peccaret mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vitâ eliceret? condemnare non audemus.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Ita nunc docent, ex quo ab* ALEXANDRO VII. *cenſuratum eſt, ne ſemel quidem in vitâ Deum eſſe diligendum ex præcepto caritatis.*

PRIMO. Doctrina ſtatuentium non peccaturum mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vitâ eliceret, non eſt doctrina Theologorum in Belgio: hactenus non invenimus, qui eam in Belgio docuerit: ac ne Doctores quidem invenerunt; qui verba Propoſitionis excerpſerunt ex quibuſdam Theſibus Antverpiæ defenſis anno 1674. quibus, ut patet, non affirmatur, non peccaturum mortaliter, ſed ſuſpenditur judicium.

SECUNDO. Hoc verò ſufficiebat *Macario Havermans in epiſtolâ Apologeticâ ad Innocentium XI.* n.89.pag.157.ut accuſationem formaret his verbis:

Jam ita extenuant illud præceptum, ut aſſerere audeant, non mortaliter delinquere contra primum ac maximum dilectionis præceptum, qui ſemel volatico caritatis actu in vitâ diutius protractâ Deum ſuper omnia diligit. Hujus verò accuſationis non aliud affert fundamentum, quam hoc pag. 158. *in Theſibus Antverpiæ defenſis anno 1674. condemnare non audent mortalis peccati, qui tantùm ſemel in vita actum dilectionis Dei eliceret.*

Tantumdem *Macario* eſt *condemnare non audere*, ac *aſſerere.* Fuerunt verò Auctores illarum Theſium modeſtiores quam ipſe. Sciebant Summum Pontificem *Alexandrum VII.* non fuiſſe ignarum hujus doctrinæ, quæ eſt aliquorum Theologorum, & tamen die 24. Septembris 1665. non voluiſſe eam condemnare, cum ſatis haberet illam notare, qua doceretur *hominem nullo umquam vitæ tempore teneri elicere actum caritatis ex vi præcepti divini*, & de prioris doctrinæ cenſurâ ſaltem ultra deliberandum eſſe ſtatuerit. Poſt hæc interpres Lovanienſium Doctorum minùs moroſus ad cenſuras, Theſim Antverpienſem non audentium condemnare, doctrinam ſic excepit ibidem pag. 158.

Quis pius fidelis, & talia audiens, non ingemiſcat? quis non tamquam impium, & primo maximoque mandato contrarium dogma hoc damnet? „. Non præcipit (*ait S.* „ *AUGUSTINUS*) Scriptura niſi caritatem,& non culpat niſi cupiditatem &c. "

Auctores Theſium illud dogma nec defenderunt, nec defendent, ut putamus: damnabunt verò libenter, cum præiverit Summus Pontifex. Suſtinebunt etiam cum *S. Auguſtino*, S. Scripturam nihil præcipere, niſi caritatem ſaltem latè ſumptam pro amore *Juſtitiæ, & amore boni*: etenim ut *Auguſt.* ait lib. 8. de Trinit. cap. 10. *Quid eſt dilectio, & charitas, quam tantoperè S. Scriptura laudat, & prædicat, niſi amor boni?* Innumera dedit alia hujus generis: ſed non hoc agimus.

TERTIO. Non intelligimus qua caritate Lovanienſes Doctores poſuerint

adnota-

adnotationem marginalem his verbis: *ita nunc docent*, *ex quo ab ALEXANDRO VII. cenſuratum eſt*, *ne ſemel quidem in vita diligendum eſſe Deum ex præcepto charitatis.* 1. Quinam illi ſunt, de quibus dicitur, *ita nunc docent*? certè Summus Pontifex, & Romani Theologi hæc ſic accipient, tamquam dictum eſſet, Theologos in Belgio, quos hi Doctores pro ſuis habent adverſariis, ſic docere: optamus verò ut vel unum ex illis nominent, qui ita docuerit; imò ut præter Auctorem theſium, ex quibus ſumpta eſt propoſitio, unum nominent qui declaraverit ſaltem ſe non audere condemnare doctrinam illam. 3. Alieniſſimum eſt à veritate, & caritate, quòd inſinuant in ſua *Adnotatione* illos eoſdem Theologos antè decretum *Alexandri VII.* condemnantis 45. propoſitiones, ſolitos fuiſſe docere, ne ſemel quidem in vitâ diligendum eſſe Deum ex præcepto charitatis: quòd ipſum inverecundiùs illis Theologis attribuit *Macarius Havermans* in *Epiſtola* n. 89. pag. 157. petimus verò ut ediſſerant quis illorum in Belgio, ubi, quando, quibus verbis id docuerit. Non præſtabunt.

Propositio secunda. Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum Caritatis.

Adnotatio Marginalis. ad 1. & 2. Propoſitionem. *Quæſtio eſt an hoc ſit diligere Deum ex toto corde, totâ mente, totâ animâ, totis viribus.*

PRIMO. Propoſitionem Doctores acceſſiverunt ex Hiſpania, ſumpſeruntque ab *Antonio de Eſcobar* Tract. 5. Exam. 4. c. 1. quam repræſentarent S. Sedi pro laxitate Theologorum in Belgio. Quamquam credibile eſt compendio eſſe uſos, & conſuluiſſe notiſſimum ſibi librum *Ludovici Montaltii*, qui epiſtola decima de propoſitione illa *Eſcobarii* ſatis diſtinctè meminit, ſi tamen eſt *Eſcobarii*, qui iſto loco alienam refert doctrinam.

SECUNDO. Neque *Eſcobar*, neque doctrina illa ſolicitos habet Theologos in Belgio. De præcepto caritatis hoc docent communiſſimè, quòd paſſim alibi Theologi, præceptum affirmativum caritatis non obligare pro ſemper, quod exiſtimant Lovanienſes Doctores; obligare tamen ad amandum Deum ſæpius in vitâ, tempora obligationis illius non poſſe deſignari accuratè, homines deditos exercitiis pietatis in Deum non debere anxios hic eſſe. Hæc aliaque circa præceptum illud ferè ánimadvertit inſignis in Belgio Theologus *Guilielmus Ilerinx* Iprenſis Antiſtes ſum. Theol. p. 3. dub. 11. q. 5. n. 55. & ſeq.

TERTIO. Doctores in *Adnotatione Marginali* quærunt *an hoc ſit diligere Deum*

ex toto corde, ex totâ mente &c? Perſuaſum eſt Belgii Theologis, quos inſimulatos volunt, id quod perſuaſum eſt cæteris, non eſſe neceſſe amari Deum per omnia vitæ momenta, ut dicatur amari ex toto corde &c. Doctores Lovanienſes ſecus exiſtimant: Suadendum ut conſequenter doceant, non amari Deum ex toto corde, niſi durante per totam vitam amore perfectiſſimo. De perplexa obligatione caritatis, quam prædicant hi noſtri, vide, Lector, quæ dedimus in in 3. p. Specim. cap. 2. §. 5.

Propositio Tertia. Tunc ſolùm obligat (*præceptum caritatis*) quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.

Adnotatio Marginalis. *Quæſtio eſt, an ſolis peccatoribus, non autem juſtis datum ſit hoc præceptum.*

PRIMO. Apparet profectò Magiſtrum *Martinum Steijart* Lovanienſem Doctorem parùm feliciter obiviſſe munus ſibi impoſitum à Doctoribus Collegis exquirendi à Belgii Ordinariis quæſtiones turbantes illorum Diœceſes; quando toties occurrunt Propoſitiones acceſſitæ ex Hiſpaniâ, Italiâ &c. Præſentis quidem Propoſitionis optamus citari Auctorem Belgam ex iis, quos in libello ſupplici Doctores expoſtulant ſibi adverſatos in reformatione Theologiæ Moralis. Propoſitionem reipſa accerſiviſſe videntur ex Sicilia, & ſumpſiſſe ex *Thomæ Tamburini* libro 2 in decal. cap. 3. §. 2. n. 2. Ubi verbis ipſis ſatis ſimilis invenitur. Sed revera *Tamburinum* aliud non docuiſſe, quam præceptum Charitatis non obligare pro aliquo tempore determinato, niſi quando debet juſtificari peccator extra opportunitatem Sacramenti, pridem luculente oſtendit *Guilielmus le Maire* in *ſtatera Saülis exregis* ſect. 1. cap. 5. ſit vero de hoc ut volent Doctores. Doctrinam illam in Belgio improbant Theologi unanimi conſenſu.

SECUNDO. Quoniam ſuppoſitâ veritate doctrinæ, quàm continet Propoſitio, non datur reipſa ſpeciale præceptum caritatis diſtinctum à præcepto contritionis, liquet eum, qui teneret doctrinam, reipſa admiſſurum propoſitionem primam ex 45. damnatis ab *Alexandro VII.* Mirum igitur Doctores illam obtuliſſe S. Sedi ut Laxitatem Theologorum in Belgio, cum non obſcurè fateantur in adnotatione marginali deſiiſſe eam doceri in Belgio poſt decretum illud *Alexandri VII.* Non bona fide inſinuantes illam prius docere ſolitam, ut ſupra monuimus.

§. 2.

§. 2.

Ad doctrinam de operum in Deum Relatione, quam ut Laxitatem Theologorum in Belgio à Lovanienſi Scholæ reprobatam repræſentarunt Sanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Voluntas ſine peccato poteſt in creatura quieſcere, eam ulteriùs non referendo; ſed eâ moderatè & referibiliter fruendo.

PRIMO. Quiſquis eſt Auctor hujus propoſitionis, ille circumſpectione eſt uſus: 1. Quia illam *quietem in creaturâ* oſtendit ſe intelligere non poſitivam, quâ ſolâ quiſcere licet in ultimo fine, ſed negativam, *eam ulterius non referendo* ſaltem hic & nunc. 2. Quia præcipit ut fruitio creaturæ ſit moderata. 3. Quia & præcipit ut fruitio eadem ſit ſpecialiter referibilis in ultimum finem; adeòque ut proveniat ex intentione alicujus finis honeſti, & ſubordinati ultimo fini; undè & apparet Auctorem Propoſitionis non admittere actiones indifferentes in individuo.

SECVNDO. Non contenti Lovanienſes Doctores, ut actio quævis referatur in aliquem finem honeſtum, ne ſit peccatum, volunt ut poſitivè referatur in finem ultimum per charitatem Theologicam: hoc verò quia non præſcribit Propoſitio, eam retulerunt inter illas, quibus in libello ſupplici queruntur in Belgio *obſcurari & turbari veritatem Chriſtianam, excitari ſcandala &c.*

TERTIO. Non eſt mirandum, quòd ipſis, ne peccetur, non ſufficiat illa referibilitas, ſeu intentio cujuſcumqne honeſtatis: nam & *Michaeli Bajo lib. de virt. impior. cap.* 4. uſque adeò illa non ſatisfecit, ut hoc nomine reprehenderit *Sanctum Thomam* his verbis.

Neque etiam D THOMAS in ſua diſputatione id prætendit (ut patet 2.2.q.23.a.7.) ſed ex eo putat eſſe virtutes, quia ad verum aliquod bonum particulare referuntur, quòd ad bonum univerſale ſit referibile ...... ubi imprimis mirandum occurrit quòd D. THOMAS hanc proximi finis ad univerſale bonum referibilitatem ad rationem virtutis ſufficere exiſtimet.

QVARTO. Conſideret ſapiens Lector, an non majori jure diſplicere debeat hæc Propoſitio; *omnia opera infidelium ſunt peccata &c.* (hanc reipsâ admittunt hi noſtri in ſenſu ab Aſſertore *Bajo* intento, ut oſtenſum eſt in 2. parte *Specim.* cap. 3. §. 4.) quàm hæc; *voluntas ſine peccato poteſt in creatura quieſcere, eam ulterius*

non referendo; ſed eâ moderatè, & referibiliter fruendo. Propoſitio intellecta, ut intelligi meretur, & à nobis explicata eſt, negari non poteſt, niſi admittatur illa ſuperior à ſummis Pontificibus damnata: locus eſt cavillationi, in voculis *quieſcere* & *fruendo*. Sed has particula *moderatè*, & altera *referibiliter* ſumpta ex *D. Thomâ*, ſic temperant, ut non videatur cordato viro ſcrupulus relictus.

Propositio secunda. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem abſque neceſſitate ob ſolam voluptatem non eſt peccatum modò non obſit valetudini; quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

PRIMO. Hanc rurſus Laxitatem Belgii accerſiverunt ex Hiſpaniâ, vel potius accerſitam ex Hiſpaniâ acceperunt à *Ludovico Montaltio* Epiſtola 9. vel ab Auctore libri Gallici, cui titulus *La morale de Ieſuites*, tom. 1. p. 1. cap. 1. a. 4. pag. 64. qui eam attribuunt *Eſcobario*, apud quem in noſtro codice ea invenitur tract. 2. exam. 2. cap. 8. n. 34. pag. 250.

SECUNDO. Neque tamen exiſtimet Lector in hoc verti ſcrupulum noſtrorum Doctorum: peccari cenſent eo ipſo, quo actio quæpiam non refertur in finem ultimum per caritatem: adeòque vix placabiliores invenias erga Thomiſtas; quibus ut actio non ſit mala ſufficit eam referri in finem utcumque honeſtum, quàm erga Scotiſtas, qui cenſent ne qnidem hoc ipſum eſſe opus.

Propositio tertia. Gula eſt peccatum ex genere ſuo veniale, etiamſi abſque utilitate ſe quis cibo & potu uſque ad vomitum ingurgitet.

PRIMO. Attende Lector felicitatem *Antonii de Eſcobar*, in cujus præcipuè ſcriptis luſerint *Ludovicus Montaltius*, & Auctor Libri *La morale des Ieſuites*, cari ſcriptores his Academicis: credibile eſt hac occaſione celebrari Romæ hoc tempore non paucas *Eſcobarii* Propoſitiones. Certè & hanc Propoſitionem ſuppeditavit uterque: ille quidem Epiſt. 9. hic verò tom. 1. Artic. *de gula* pag. 65. ſatis verò erat his noſtris Propoſitionem videri *Eſcobarii*, ut pro Laxitate Theologorum in Belgio eam venderent Romæ.

SECUNDO. Invenitur revera apud *Eſcobarium* illa Propoſitio tract. 2. exam. 2. cap. 5. n. 23. pag. 243. edit. Lugdun. anni 1644. ſed notandum eſt. 1. Quòd eam continuò ſequatur reſtrictio; niſi gravia valetudini incommoda ſequantur. Notandum 2. quòd in Propoſitione, gula accipiatur ut ſejuncta ab ebrietate,

tate,quòd ex contextu liquet. Notandum 3.quòd dicitur in Propoſitione, *ex genere ſuo*,idem eſſe ex mente Auctoris, quòd *Regulariter*: ſic enim ſe explicuit in Edit.Lugd.1652.lib.4.ſect.1.cap.11.n.110.

TERTIO. Doctores Lovanienſes anno 1657. die 4. Maji Doctrinam illam *Eſcobarii* cenſurâ notantes conceperunt his verbis: *non eſt niſi veniale, etiam abſque utilitate ſe cibo & potu uſque ad vomitum ingurgitare; niſi ex hujuſmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur*: placuit ipſis omittere particulam, *ex genere ſuo*, ſive, *regulariter*. Tum verò cenſuram doctrinæ hanc inflixerunt.

Scandaloſa eſt, & falſa in ſua generalitate, ac Laxans habenas potatoribus, ad ſe liberaliter ingurgitandum & inebriandum. Ad hanc cenſuram ſic adnotavit *Gulielmus le Maire in ſtatera Saülis exregis* Sect.1.cap.19. „ Hoc ut diſcerent homines,non „ erat opus judicio magnorum Theologorum: nam & idiotis id notum eſt & „ pueris: neque *Eſcobar* illa aſſeruit *in ſua generalitate*: poſt pauca enim pro- „ nuntiat ſimpliciter quòd *ſeſe ſcienter inebriare uſque ad uſus rationis privationem*, „ mortale ſit. „

QUARTO. Quoniam Doctores Lovanienſes in ſuo Catalogo repræſentato S.Sedi præſentem Propoſitionem retulerunt ad titulum, *de operum in Deum relatione*, videri poteſt,hoc ipſis potiſſimum diſplicere in Propoſitione, quòd illa comeſtio & potus uſque ad ſatietatem dicatur eſſe ex ſuo genere veniale peccatum, cum tamen fiat ob ſolam voluptatem, neque referatur in Deum per caritatem. Alibi quoque defectum illum relationis in Deum haud obſcurè ſignificant hi noſtri eſſe peccatum mortale, ut vidimus in 3.*Specim*.cap.2. §.2.etſi identidem id velint diſſimulatum,ut & vidimus ibidem.

Propositio quarta. Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ, ac defectu veniali.

Adnotatio marginalis. Ad 1.2 3.4. Propoſitiones. *Difficultas eſt quomodo hæc conſiſtant cum caſtiſsima illa doctrina S.Auguſtini* de moribus Eccl. Cathol. cap 21. item initio lib 1.de doctrina Chriſtiana, & lib.10.Confeſſ. cap.31.

PRIMO. Auctor doctrinæ hujus perhibetur à *SINNICHIO Saülis exregis* lib.1. cap.111. §.421.& 429. *Ioannes Sancius* diſp.23.n.25. operæ pretium eſſet addi Propoſitioni verba *Almaini*, quæ ibidem valdè laudat Sanchez vocans *aurea verba*: hæc ſcilicet aliis juncta: *ſed frequenter eſt exceſſus in tali actu.*

Ideo

Ideò D. AVGVSTINVS, & alii dixerunt, quod erat veniale peccatum propter vehementem affectionem & exceſſum. Optamus exhiberi nobis Theologum in Belgio, cui placuerit doctrina non adhibito hoc ſale.

SECVNDO. Non credat Lector, tam angi hos Doctores in eo, quòd opus conjugii ob voluptatem dicatur vacare culpâ, quam quòd innoxium dicatur illud opus non relatum in Deum per caritatem, neque motivum incontinentiæ vitandæ, neque prolis generandæ illis ſufficit ut non peccetur. Quamqnam de motivo generandæ prolis invenias identidem diſſimulatiùs loquentes, ut mox videbimus.

TERTIO. De doctrinâ ipsâ Theologis in Belgio id ſatis communiter videtur, quod Illuſtriſſimo Iprenſium Epiſcopo *Guilielmo Herinx* ſum. Theol. p. 4. diſp. 7. de matrim. q. 5. n. 29. ſic pronuntianti.

,, Eſt difficile id ex ratione efficaciter improbare. Patres quoque videri poſ- ,, ſunt potiſſimum culpare intemperantiam, ſeu immoderatum appetitum volu- ,, ptatis ..... vel explicari poſſunt de eo, quod ordinarium eſt; quia nimirum ,, moraliter impoſſibile eſt, illam (voluptatem) quærere, & moderationem te- ,, nere; ut nimirum ad minùs practicè tenenda ſit communis doctrina.,, Quam & abſolute tenet hic Theologus ob Auctoritatem, & alii in Belgio ſatis itidem communiter.

§. 3.

Diſpiciendum proponitur ſapienti Lectori an magis placere debeat Doctrina Lovanienſium Doctorum de uſu Conjugii.

CUm nimis diſerta ſit ſententia *Auguſtini* libro de Bono Conjugali cap. 6. & alibi;

Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, ſic identidem ſe gerunt hi noſtri, ac ſi & ipſi culpa omni abſolverent conjugalem concubitum hoc ipſo quo ſit generandi gratia. *IOANNES* quidem *SINNICHIVS* S. T. Doctor Lovanienſis in *Saüle exrege* lib. 1. in Synopſi capitis 113. pag. 491. ſic ſtatuit: *duobus ſolis modis conjuges inculpatè coëunt, cauſa nimirum prolis procreandæ, & debiti conjugalis reddendi.* His ſimilia offerunt Theſes Academicæ non paucæ: quibus ſe conformavit *LAVRENTIVS NEESEN* S. T. P. in Gymnaſio Archiepiſcopali Mechliniæ Theol. Mor. de Sacram. tract. 8. q. 3. dub. 13. pag. 850. his verbis.

Dico primo eſſe Doctrinam Sacræ Scripturæ, & SS. Patribus planè conformem, quod licet ſit unicus tantum finis bonus, ob quem matrimonium iniri poſſit; nempe generatio prolis; duos tamen eſſe fines ob quos actus Matrimonialis ſine peccato exerceri poteſt licitè; nempe causâ prolis, & causâ reddendi debiti conjugalis.

Sic

Sic loquuntur hi noſtri: interea conſtat, quid ſentiant, cum illis fixa ſtet ſententia: *omnis actio rationalis creaturæ aut vitioſa eſt cupiditas, aut laudabilis charitas.* Neceſſitatem caritatis erga Deum, ut non peccetur in actu conjugali generandæ prolis gratiâ exercito, timidè inſinuarunt Doctores informantes S. Sedem de doctrina ſuæ Scholæ his verbis:

Circa Luxuriam ſpecialiter docet .... actum Conjugii, ut omni defectu veniali careat, exerceri debere vel generandæ prolis gratiâ, quæ deinde Chriſto regeneretur, vel ut debito conjugalis juſtitiæ ſatisfiat.

Hic vides motivo generandæ prolis adhærere quiddam obſcuræ mentionis de motivo caritatis; at vero motivo ſatisfaciendi debito conjugalis Juſtitiæ præteritam mentionem Caritatis in Deum.

Nihil diſſimulavit *FRANCISCVS VAN VIANEN* S.T.D. Lovanii die 15. Julii 1667. aſſertionem proponens his verbis conceptam Theſi 2.

VIRI SIMILITER COHABITANTES; debitum conjugale reddentes, SECVNDVM SCIENTIAM; diſcretè, & ex amore Dei. SI ALITER FIAT, PECCATVM EST; nec ſufficit quod fiat ex amore procreandi prolem; ſed altiori opus eſt fine, ut apertiſſimè docet S. AVGVSTINVS .... unde non ſcio quo vano prætextu quidam nuperrimè exclamavit: ecce juxta AVGVSTINVM opus conjugale fit ex amore Dei, quando fit ex amore procreandi prolem, qui eſt finis honeſtans copulam conjugalem! fundans ſe in quodam loco AVGVSTINI lib. 4. contra *IVLIAN. cap. 3. cum tamen D. AVGVSTINVS nihil minus ibi doceat.*

Accipe Lector *Auguſtini* locum illum lib. 4. contra *Iulian.* cap. 3.

,, Amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per ,, *IESVM CHRISTVM* cum ſpiritu Sancto. Per hunc amorem creatoris bene ,, quiſque utitur etiam creaturis ...... hoc ergo amore opus eſt, ut bonum beatificum ſit, & pudicitia conjugalis, ut ſit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, ſed in voluntate propagationis. Si autem vicerit, & propter ſeipſam, non propter filios propagandos fieri aliquid extorſerit, & voluntas veniale peccatum ſit propter nuptias Chriſtianas.

Nihil verò libentius audias prædicantes Lovanienſes Doctores, quam actum conjugalem non excuſari à culpa per motivum vitandæ incontinentiæ. De hoc habemus aſſertiones defenſas Lovanii die 9. Martii 1669. die 4. Novembris 1676. die 10. Junii 1664. die 23. Auguſti 1661. die 26. Auguſti 1664. die 17. Julii 1654. &c. tum verò & confundit *Ioannes Sinnichius* in ſuo *Saüle exrege* lib. 1. cap. 111. §. 422. motivum vitandæ incontinentiæ & motivum ſolius delectationis. Hoc illi idoneum erat ad exagitandum *Tamburinum.*

Sed quid ad locum Apoſtoli 1. Cor. 7? Audi *ANDREAM LAVRENT* S.T.D. qui Lovanii die 15. Maji 1659. hæc dedit Theſi 2.

PROPTER INCONTINENTIAM VESTRAM. Permittitur igitur actus Conjugalis ſolius vitandæ fornicationis gratia; SED TAMQUAM MINUS MALUM AD VITANDUM MAIUS. De *Auguſtini* mente ad locum iſtum Apoſtoli Sanctiora quædam nobis dedit Iprenſis Antiſtes *Guiliel. Herinx* ſum. Theol. p. 4. d. 7. q. 5. n. 26.

Laudes Conjugalis pudicitiæ prædicatas ab *Auguſtino* lib. 3. contra *Julian.* cap. 21. *nec menſtruatis, nec gravidis utentis fœminis, nec ejus ætatis, quá certum eſt eas jam concipere non valere,* ſtudiosè collectas à *Sinnichio* lib. 1. *Saulis exregis* cap. 111. aliquantò crudius gaudet proponere *LAURENTIUS NEESEN* S. T. Profeſſor Lovanienſis Theologiæ ſtudioſus in paucis. Theol. mor. *de ſacram.* tract. 8. q. 3. dub. 13. ſic ſtatuit.

Petes an ergo ſenes aut ſteriles, aut quorum alter talis eſt, non poſſint petere debitum à ſuâ conjuge ſine peccato? R. neg. eo quod ceſſet in illis finis matrimonii, qui eſt ſpes prolis propagandæ; adeoque Eccleſia non approbat poſitivè matrimonia ſenum aut ſterilium, tanquam licita; ſed permittit tamquam minora mala, ad evitanda majora.

Judicet etiam ſapiens Lector de his, quæ ibidem dedit Profeſſor ille pag. 850. col. 2. his verbis.

Dices; delectatio carnalis ſine qua actus ille numquam exercetur, ſemper eſt culpabilis: ergo & actus ille, cui eſt adjuncta. Reſp. negando antecedens: eſto enim illa, in quantum eſt effrænis, repugnet rectæ rationi, non tamen eſt culpabilis, quando non eſt voluntaria: neque enim conjuges coguntur in illam conſentire. Sed ſicuti reſpublica, dum quandoque ob juſtas cauſas permittit Lupanaria, minimè cenſetur illis conſentire, ſed permiſſivè ſeſe tantùm ad illa habere, ita quoque dicendum eſt, conjuges non peccare, qui ejuſmodi libidinem in actu Matrimoniali admittunt, dum in eam non conſentiunt; ſed eam potius ex juſta cauſa pati, aut permittere.

Nota 1. peccaret Conjux, ſi quoquomodo conſentiret in illam delectationem, etiam cauſa generationis: culpabilis eſſet delectatio illa, ſi eſſet voluntaria. Nota 2. non magis ipſi licet conſentire in illam delectationem, quam liceat reip. conſentire in peccata carnis, quæ fiunt in lupanaribus, ſed uti huic liceat ad ea peccata ſe habere permiſſivè, ſic & conjugi ad illam delectationem.

Atque hanc quidem doctrinam univerſam Lovanienſium de uſu Conjugi libuit proponere ſapienti Lectori, ut diſpiciat, an placere debeat præ iis, quæ §. ſuperiori in fine diximus in Belgio placere ſatis communiter.

§. 4.

§. 4.

Specimen Modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti Materia de Caritate erga Deum.

MICHAEL BAIVS lib. *de virtutibus Impiorum* cap. 3. & 4. non eſt veritus *S. Thomæ*, & Scholaſticis ejus Sectatoribus impingere *Stoiciſmum*, quatenus docuerunt ad rationem veræ virtutis, multoque magis ad non peccandum, non requiri actionis humanæ relationem in Deum per caritatem. Habuit ille in hoc imitatores, quos habuit ſectatores Doctrinæ ſuæ de neceſſitate charitatis perpetuæ.

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D. Lov. die 23. Maji 1653. hæc dabat The. 3. *Mirandum quod adhuc hodie NON TANTVM PHILOSOPHI, ſed nominati etiam Theologi doceant, nullatenus peccare eos qui bonum morale operantur præcisè propter naturalem honeſtatem, ſine relatione ad Deum, ac jactitare audeant, quod id ex ipſo AVGVSTINO convincant.*

MACARIVS HAVERMANS S.T.P. Antverpiæ anno 1674. in ſuo tyrocinio tract. 2. cap. 5. 2. pag. 405.

STOICISMVM RESVSCITANT, qui docent actum virtutis illum exercere, qui bonum morale operatur præcisè propter naturalem honeſtatem ſine relatione ad Deum: mirandumque valde, non tantum Philoſophos, ſed & nominatos Theologos hodie docere, taliter operantes non peccare.

Confidenter ſuo more Profeſſor idem Antverpiæ die 8. Martii 1677. theſi 21. *Deduco ex dictis ESSE TRADITIONES, dari obligationem omnia ſua opera referendi in Deum tamquam finem ultimum &c.*

FRANCISCVS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 2. Auguſti 1664. Theſi 1. *FICVS PROTVLIT GROSSOS SVOS. Groſſi ſunt non tantum opera Iudæorum, ſed etiam Chriſtianorum, quæ fiunt ſine gratia; ſed ex intentione Iudaica, ut metu pœnarum &c.*

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 9. Januarii 1664. Theſi 3. *Qui non amore Iuſtitiæ* (ſonat hic noſtris Theologicam Caritatem) *ſed timore præcepta ſervant, hi filii AGAR ſunt, non SARÆ, adeoque ejiciendi, nec hæredes futuri ſupernæ Ieruſalem, quæ mater filiorum eſt, non ſervorum.* Non alia eſt ratio de cæteris motivis diverſis à motivo Caritatis.

Nihilo modeſtiùs Doctor idem Lovanii die 16. Martii 1667. *Vnde quicumque negant hominem ſæpius in decurſu vitæ teneri ad eliciendum actum expreſſum dilectionis Dei. Item qui pœnitentiam ſalutarem abſque interventu omnis charitatis actualis agi poſſe aſſerunt non merentur vel nomen Chriſtianorum, vel nomen filiorum novi Teſtamenti habere, ſed potius cum vulgo Iudæorum olim, filiorum & ſervorum Teſtamenti veteris.*

Specimina modeſtiæ in præſenti materia plura occurrerunt in 2. p. *Specim.* cap.3.§.2. ubi Lovanienſe dogma de præcepto omnia referendi in Deum per Caritatem *HROZNATA VAN SAFTINGHEN* S.T. P.cenſuit ab *Auguſtino* traditum, *ut rem in Eccleſiâ Dei certam, NVLLO NISI HÆRETICO CONTRADICENTE*: *At verò GERARDVS VAN WERM* S.T.Doctor *tenendum dogma ut inconcuſſum ex Apoſtolo Auguſtinianum.*

Hic deſcribenda eſſet bona pars *Moralis Diabolicæ ÆGIDII GABRIELIS* S.T.Profoſſoris, qui in ipſo exordio doctrinis à ſe referendis præfigit cenſuram ex Epiſtola *Iacobi* cap.3. *non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica*: tum verò ſe accingit ad exponendum doctrinas ſeu veras, ſeu ſictas ad contumeliam Theologorum Moralium hujus temporis *de amore in ordinato*, qualis ipſi eſt omnis ille,qui eſt expers caritatis Theologicæ.

Tædium Lectori Levent Poëtæ Lovanienſes qui anno 1677.huc pertinentia typis mandarunt complura: unum,alterumve promamus.

Quiſquis ades,voces has noveris eſſe Beati;
Dextra gerit palmam, tempora Laurus obit.
O me felicem!.quintus prope fluxerat annus,
Elicitus cum non actus amoris erat.
Lux erat una ſuper: mors tollit ad aſtra repentè,
Tempore non poteram commodiore mori.
O bene! nam vita ſi curſus forte fuiſſet
Longior, in pœnas eſſet omiſſus amor.
Addita ſi vita ſolùm lux una fuiſſet,
Nunc Phlegethontæo-forſan in igne forem.

En Alterum.

Sunt alia nobis, queis crimina fallimus, artes;
Eſt tamen hoc magna dexteritatis opus.
Eſt opus in partes mens ſit verſatilis omnes,
Vt flexu ſcelerum fallere tela queat.
Dicitur hac Methodus nobis directio mentis,
Quam bene ſi noſti, quid tibi crimen erit?
Sis raptor, mendax, deceptor, percute, cade,
Mente bonum finem concipe, ſanctus eris.
At peccare tamen propter peccata caveto,
Abſolvi nullo mens valet iſta modo.

Sic Lovanii Luditur impunè.

§.5. *De-*

§. 5.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de Caritate erga Deum, tamquam reprobatam à Lovanienſi Schola Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

De Præcepto Caritatis.

IACOBVS PONTANVS S.T. Doctor Lovanii die 17. Aprilis 1652. aſſertionem hanc propugnavit Theſi 4.

Præceptum affirmativum de diligendo Deo ſupra omnia per ſe obligat in mortis articulo, & aliquoties in vita. NON EST TAMEN IMPROBABILE EXTRA MORTIS ARTICVLVM IN VITA NVMQVAM OBLIGARE. Nullum eſt præceptum primo inſtanti uſus rationis, vel etiam multo tempore poſt Deum ſupra omnia amandi.

IOANNES MOLANVS S.T. Doctor Lovanienſis Theol. pract. Tract. 3. cap. 16. num. 7.

Toto corde diligit, qui diligit ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, ſive QVICVMQVE EST SINE CRIMINE.

CORNELIVS IANSENIVS Gandavenſium Epiſcopus S. T. Doctor Lovanienſis quam diverſa ſapuit ab Iprenſium Epiſcopo ejuſdem nominis! ille enim in *Concord. Evang.* cap. 81. illas præcepti particulas, *ex toto corde*, explicuit his verbis.

Sic ergo non impletur hoc præceptum in affectu: impletur autem in habitu, & externa operatione; cum homo in omni operatione ſuâ retinet habitualem dilectionem; quod tunc fit, cum nihil vult, aut facit dilectioni Dei contrarium. Quod autem totalitas illa, de quâ in præcepto, ſecundò modo (jam explicato) accipi debeat, patet ex infinitis ſcripturis &c.

ANONYMVS S.T. Doctor Lovanii die 21. Februarii 1619. Theſi 1.

Præceptum hoc obligare hominem ratione propria honeſtatis ſtatim poſt rationis uſum, non placet: TEMPVS ENIM ISTVD, PRÆTER MORTIS ARTICVLVM NON FACILE DESIGNES. Ratione tamen alterius operis ſæpè obligat, quod ſcilicet ſine actuali Dei amore præſtari nequit.

Hæc, ut videtur, aliquantò plus ſibi volunt, quàm illa Profeſſoris Antverpenſis ad doctrinam de unico amoris actu tergiverſatio; *condemnare non audemus*, quæ diſplicebat his noſtris Doctoribus in Propoſitione prima de caritate erga Deum, ut vidimus §. 1. hujus capitis.

De præcepto Caritatis audiantur quoque *Roſemondus & Briardus*.

GODSCALCVS ROSEMONDVS S.T. Doctor Lovanienſis in ſuo *Confeſſionali* cap. 12. *de amore Dei* art. 8. pag. 229. col. 1. ſic docuit.

Præceptum hoc de dilectione Dei & proximi .... quia affirmativum eſt, licet ſemper currat, & obliget homines etiam cujuſcumque ſtatus ratione utentes, non tamen pro ſemper, ſicuti nec præceptum de contritione habenda.

IOANNES BRIARDVS S.T. Doctor Lovanienſis Quodlib. 1. puncto. 1. prop. 6. de opinione *Alexandri* Alenſis & aliorum docentium indeterminatam obligationem caritatis eſſe determinatam ab Eccleſia ad diem Dominicum, ſic pronuntiat: *ſed hac opinio nec veritatem attingit, & multis peccatoribus laqueum injicit.*

Poſſent hîc locum vindicare ſibi aſſertiones illæ omnes publicis Theſibus Lovanii Propoſitæ, quibus ſuſtinuerunt Lovanienſes Doctores grave præceptum contritionis non urgere ſtatim à peccato commiſſo, quæ Doctrina ſpecialem habet affinitatem cum præſenti materia, ut patet: ad manum ſunt permultæ; ſed ad alia properamus.

De Relatione operum in Deum.

PAtet ex dictis §. 2. *ad Propoſitionem primam* de relatione operum in Deum, non alio titulo diſplicere potuiſſe his Doctoribus Propoſitionem illam, niſi quod eâ affirmetur licere actionem quampiam non referre in Deum tamquam finem ultimum. Patet igitur majori jure debere iiſdem diſplicere Doctrinam Theologorum aſſerentium dari actiones humanas indifferentes in individuo: cum hi contendant licere actionem quampiam non ſolum non referre in Deum, ſed neque referre ad aliquem finem honeſtum ultimo fini ſubordinatum: de hac doctrina audiendi nobis ſunt Doctores Lovanienſes.

GERARDVS VAN WERM S.T. Doctor ex illis unus, qui Legationem hoc tempore inſtituerunt ad Sedem Apoſtolicam, Lovanii die 3. Septembris 1636. in ſuo ſolenni actu pro Laurea Doctorali hæc propugnavit Theſi 3.

Actio libera aut bona eſt, aut mala, AVT INDIFFERENS. Admittimus actiones moraliter bonas, etiam in peccatoribus & infidelibus merè naturaliter operantibus: INDIFFERENTS ETIAM IN INDIVIDVO. Anno 1636. hic Doctor needum Legerat *Auguſtinum Cornelii Ianſenii.*

Aſſertionem huic ſimilem dederunt Lovanienſes Doctores *GVILIELMVS AB ANGELIS* Lovanii die 8. Auguſti 1640. Theſi 1. *CHRISTIANVS BEVSECVM* die 12. Decembris 1639. Theſi 1.

Obligationem omnia opera referendi in Deum per caritatem, paſſim ignorarunt Lovanienſes Doctores, ſi *Bajum* excipias, & *Bajo* devotos.

IOANNES MALDERVS Antverpienſium Epiſcopus S. T. Doctor Lovanienſis 2.2. q. 10. a.4. contra Bajanum errorem *omnia opera infidelium ſunt peccata &c.* multis decertat.

Quoniam verò hi noſtri ut cenſuram declinent articuli Bajani, *omnia opera infidelium ſunt peccata &c.* parùm ſoliciti de ſenſu ab aſſertore intento, aiunt

etiam

etiam infidelibus antè perfectam fidem lucere interdum quiddam divinæ Lucis, atque hoc juvante operari quiddam identidem boni, adeoque ex Dei amore, curioſè ibidem pag.133. col. 2. animadvertit *Malderus*, cogitationem illam fuiſſe *IOANNIS CALVINI*. Audiamus *Malderum*.

CALVINVS lib.2.Inſtit.cap.3.ferè ejuſdem eſt ſententiæ : dicit enim infideles viribus naturæ nihil boni operis umquam feciſſe.......... ubi SI CAMILLOS, FABRICIOS, REGVLOS, FABIOS, aut SCIPIONES ei opponas.......... dicit nos meminiſſe debere, inter illam naturæ corruptionem eſſe nonnullum gratiæ Dei locum, non quæ illam purget, ſed quæ intus cohibeat : itaque quidquid in gentilibus illis moraliter boni operis forte repertum fuerit, non ad naturæ reliquias; ſed ad divinæ gratiæ novum pertinere præſidium. Hanc *Malderi* obſervationem de doctrina *Calvini* adnotatam oportebat in 2.p.*ſpecim.*cap.3.§.4. in obſervat.præamb.

GVILIELMVS MERCERVS S. T. Doctor Lovanienſis in ſupplem. q.4. probans non obligari peccatorem ad Contritionem ſtatim à peccato, ſic loquitur.

Conditio præceptorum affirmativorum eſt; ut ſolum obligent pro loco & tempore........ confirmatur : quia contritio non eſt ſine actu dilectionis Dei : hic autem non eſt ſtatim à peccato præceptus. Ibid. ſub finem refert ſententiam affirmantium nimiam dilationem eſſe ad 4. vel 5. Annos.

RVARDVS TAPPERVS S.T. Doctor Lovanienſis, ejuſdemque Academiæ Cancellarius Celeberrimus ad articulum 11.facultatis Theologicæ Lovanienſis contra errores *Lutheri* habet non pauca æque valentia contra errores *Michaelis Baii*, de quo etiamnum juvene veriſſimè ominatus eſt ille Doctor, ut explicat. Emin. Cardinalis *Pallavicinus* in Hiſt.Conc.Trid. lib.15 cap.7. Libemus quædam è multis, quibus declarat non peccari illico, ſi quod opus non referatur in Deum. Pagina 107.col. 2. ſic ſcribit.

Sine fide eſt impoſſibile placere Deo.. .... ſunt tamen oprea quædam naturæ, quæ nec placent, ut ſimpliciter juſta......... nec peccata ſunt, ut in eum offendant.......... tametſi igitur nullus ſit homo, qui non ſit vel bonus, vel malus, dignus vita æterna, vel reus ſupplicii, ſunt tamen opera quædam media, quæ nec fructus ſunt bonæ arboris, nec malæ Pluribus hæc dilatat etiam pag. 108 ubi col.1.hæc leguntur.

In opere verò quod faciunt Ethnici ſecundum luminis naturalis directionem, nec veritas deeſt, nec benevolentia, quamvis fidei notitia deſit, & divinæ charitatis affectus. In hanc ſententiam differit copioſè, ac denique pag. 110. col. 1. in fine ſic leges.

Quod autem hæc fuerit ſententia S. AVGVSTINI omne opus propter Deum, fieri debere, formaliter, vel virtualiter ita ut ex Dei tamquam finis ultimi conſideratione proficiſcatur, latè probat GREGORIVS Ariminenſis in primo, & ſecundo ſentent......... cujus argumentis bene reſpondet. Mox ipſe operosè adſtipulatur *Cajetano* ſimulque *S. Thomæ.*

IOANNES WIGGERVS S.T. Doctor Lovanienſis quæſt. 98. n. 13. ſic docet.

Modus charitatis non cadit quoque ſub præcepto cujuſlibet legis .... ſenſus itaque concluſionis eſt, quod ut præceptum aliquod cujuſvis legis impleatur, non ſit neceſſe ipſum opus fieri ex affectu illo Charitatis..... undè quando præcipitur ut parentes honoremus, non præcipitur, inquit, *D. THOMAS, ut honorentur ex Charitate......... addit enim quòd cum ſint duo præcepta affirmativa, poſſint obligare pro diverſis temporibus; ideòque poſſit quis honorare parentes, & non tranſgredi præceptum de omiſſione modi charitatis, id eſt, & non peccare omittendo pro tunc modum Charitatis quia poteſt pro tunc non obligare præceptum Charitatis.*

Ne quidem *GVILIELMVS ESTIVS* S. T. Doctor Lovanienſis *Baii* diſcipulus ſatis fuit docilis ad dogma hodiè celebre de malitia omnis actionis, quæ in Deum non refertur. Etenim in 3. diſt. 36. §. 3. ſic docuit.

Neque tantum amore Iuſtitiæ, ſed & Dei dilectione, atque ad hoc ut Deo placatur, opera legis facienda ſunt: NON ITA TAMEN, VT QVOTIESCVMQVE NON EO PACTO FIVNT, PECCETVR: ſed quia eo tendere & conari debet Chriſtianus. Mitigat hoc ipſum poſt pauca: *ſed hoc loco notandum eſt, non hæc ita præcipi, quaſi vel omnis omnino homo, vel is ſaltem qui Dei cognitionem jam accepit, hoc agere, atque eò niti debeat, ut in omnibus ſemper expreſſam Dei cognitionem gerat &c.* Denique Concludit, *ad hunc ergo modum Deo ſervit Chriſtianus, dum non tantum opera ſua, ſed & operum vacationes, atque quietem, & quidquid non per ſe malum ab homine vel agendo, vel omittendo fieri poteſt, refert ad gloriam Dei, vel actu, VEL HABITV.*

His accedat aſſertio à *LIBERTO FROMONDO* S.T. D. Lovanii Propoſita die 12. Decembris 1640. Theſi 4.

Non tenetur peccator ſub mortali primâ data opportunitate ſe expiare: non poteſt tamen diu differre. Sed an ſuppoſitâ Sacramentorum inſtitutione teneatur aliquando perfectè conteri? NON; NE QVIDEM IN ARTICVLO MORTIS.

Quoniam etiam de obligatione fidei, & ſpei ea ſolent connexè affirmari, quæ de obligatione Caritatis, audienda eſt aſſertio, quàm *GERARDVS VAN WERM* S.T.D. propugnavit Lovanii die 3. Octobris 1657. Theſi 3.

Datur quoque præceptum poſitivum fidei, cujus obligatio reſpectu adulti, qui convertitur, pro tunc datur, cum circa fidem inſtruitur, in infantibus verò baptizatis, ubi primùm ad rationis uſum pervenerint, eſt obligatio diſcendi myſteria fidei, & circa illa actum fidei exercendi. EXTRA HOS CASVS NON PVTAMVS PRÆCEPTVM FIDEI PER SE, ET DIRECTE OBLIGARE.

De Gula.

PRopoſitiones duas de gulâ Doctores in ſuo Catalogo ſubjecerunt titulo *de relatione operum in Deum*: nos illorum veſtigia ſequimur. Præcipui momenti videtur hæc eſſe: *gula eſt peccatum ex genere ſuo veniale, etiamſi abſque utilitate*

utilitate ſe quis cibo & potu uſque ad vomitum ingurgitet. Lovanienſes Doctores audiamus.

IOANNES SINNICHIVS S. T. D. Lovanii die 15. Novembris 1652. Theſi 2.

Gula ..... eſt vitium capitale, per ſe autem tantum veniale.

GERARDVS VAN WERM S.T. Doctor ex illis unus, qui hanc Legationem adornarunt ad Sedem Apoſtolicam, Lovanii die 4. Maji 1652. aſſertionem hanc dedit Theſi 2.

Sobrietati opponitur Gula, quæ rectè ſic definitur. Vitium quo exceditur modus rationis in appetitione, & delectatione cibi & potus. Rectè numeratur inter vitia capitalia. Non eſt tamen omnium vitiorum graviſſimum. PER SE EST VENIALE, per accidens tamen ſæpius mortale. ut ſi quis extra neceſſitatem veſcatur carnibus humanis. Non cenſemus tamen condemnandum peccati, qui id faceret extremâ cogente neceſſitate.

IOANNES WIGGERS S. T. Doctor Lovanienſis 2.2. tract. de temperantia cap. 2.dub.2.num.8.

Gula in ſe conſiderata, ut eſt inordinata appetitio, & ſumptio cibi vel potus, eſt dumtaxat peccatum veniale. Ita docet D.THOMAS qui cit.art.2. & tenent Doctores communiter........Gula tamen eſt peccatum mortale, ſi quis in ejuſmodi delectatione finem conſtituat ultimum .... poteſt autem id fieri tripliciter. Explicat hos tres modos, quos etiam auctiores diſertè expreſſit *Eſcobar* Auctor propoſitionis exoſæ his Doctoribus: quæ certè non debuit ex eo potiſſimum diſplicere, quia neque caſum exceperit ingurgitationis uſque ad vomitum, quem certum eſt noluiſſe excipi Doctores Lovanienſes, quos citavimus: quam etiam ſapiens eſſet Regula, qua ſtatueretur gulam eſſe peccatum, ſi uſque ad vomitum proceſſerit, viderint hi noſtri.

GODSCALCVS ROSEMONDVS S. T. Doctor Lovanienſis aliam Regulam ſtatuit in ſuo *Confeſſionali* c 4.p.1.pag.39.his verbis.

Difficilè eſt ſemper agnoſcere quando in exceſſu cibi, & potus conſiſtat mortale, & veniale peccatum...... ſi quis ita inordinatè appetit & quærit delectationem in cibo & potu, ut ibi conſtituat finem, & ventrem ſuum Deum faciat, ita quod avertatur ab ultimo fine, & adeò deditus eſt commeſſationibus, quod paratus eſt infringere jejunia Eccleſiæ, vel facere contra aliquod alιud præceptum Dei vel Eccleſiæ, ut aſſequatur hujuſmodi delectationes, tunc peccat mortaliter. Si verò inordinatè appetit, quærit, & ſumit, vel habet delectationem cibi, aut potus, non tamen quod propter hoc paratus ſit facere contra præceptum Dei, vel Eccleſiæ, tunc erit veniale.

Poſt hæc idem Doctor ad ebrietatem lethalem requirit totalem privationem uſus rationis, vel ſi ad æquales hauſtus compotatio facta ſit, notabilie gravamen ſui & aliorum, incurſionem variarum infirmitatum &c.

Auctarii loco accedat aſſertio quam de ebrietate Lovanii dedit *Gerardus van Werm* S.T.D. die 13. Januarii 1663. Theſi 4.

Probabile nihilominus eſt, quod quis pro ſalute corporis recuperandâ, ſi non adſit aliud remedium, uſque ad ebrietatem bibere poſſit, modo ex illa non timeatur aliud malum.

IOANNES ipſe *SINNICHIVS* S.T. Doctor Lovanii die 17. Februarii 1659. aſſertionem hanc probavit Theſi 3.

Ebrietas eſt ex genere ſuo peccatum mortale: an illud incurrat, qui ex præſcripto medici potum ſumit abundantiorem uſque ad privationem uſus rationis? non putamus.

De Luxuriâ.

TItulo *de relatione operum in Deum* Lovanienſes Doctores ſubjecêre propoſitionem de uſu conjugii. Quoniam verò, ut vidimus in 2. p. *Specim.* cap. 6. pro doctrinâ ſuæ Scholæ repræſentarunt S. Sedi propoſitionem, qua aſſeritur, *actum conjugii ut omni defectu veniali careat, exerceri debere vel generandæ prolis gratiâ, quæ deinde Chriſto regeneretur, vel ut debito conjugalis Iuſtitiæ ſatisfiat,* audiendi hoc loco ſunt Lovanienſes Doctores primi nominis.

IOANNES DRIEDO S.T.D. Lovanienſis lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 3. p. 1. memb. 2. pag. 125. col. 2. ſic docet.

Dum autem eâdem libidine ſtimulante uti voluerint (conjuges) *cauſa vel propaginis, vel vitandæ fornicationis, malo benè utuntur: quia opus licitum, quod non ſit ſine voluptate, non faciunt propter voluptatem.*

LIBERTVS FROMONDVS S.T.D. Lovanienſis in 1. Cor. 7. V. 6.

Durum enim videtur quod ſteriles, aut provectæ ætatis numquam ſine peccato veniali poſſint petere debitum. Sed ſi AVGVSTINVS attentè legatur, fortè non docet contrarium: quia ubicumque docet tantùm licitum eſſe petere ex intentione generandæ prolis, ſupponit peti cauſâ ſaturandæ libidinis, quod omnes docent eſſe veniale, nec videtur reflexiſſe ad illum caſum, quo quis petit ad vitandam propriam fornicationem, quando alio modo eam difficulter vincere poteſt.

IOANNES WIGGERS S.T. Doctor Lovanienſis in *Supplem.* q. 41. cap. 1. dub. 6. tertiam cauſam ineundi matrimonii his verbis tradidit.

Tertia cauſa, quæ poſt primi parentis lapſum ad alias acceſſit, eſt, ut qui ſibi ſuæ imbecillitatis conſcius eſt, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur.

IOANNES BEETS S.T. Doctor Lovanienſis in Decal. præcep. 6. expoſit. 2. cap. 1.

De tempore impregnationis dicit PETRVS, quod aut ſine periculo abortus poteſt debitum, à gravidâ exigi, vel reddi, aut non. Si poteſt, debet reddi, & ſine peccato mortali poteſt exigi: QVIA VSVS MATRIMONII LICITVS NON TANTVM EST IN OFFICIVM, SED ETIAM IN REMEDIVM. Patet poſtrema verba ampliorem continere aſſertionem, quam priora.

MICHAEL PALVDANVS S.T. Doctor Lovanii die 29. Julii 1642. Theſi 1.

Inſtitutum

Inſtitutum autem eſt matrimonium ante lapſum hominum, primò ac per ſe ob honeſtam humani generis multiplicationem. Poſt lapſum ceſſit in remedium concupiſcentiæ. En finem matrimonii poſt lapſum.

CHRISTIANVS BEVSECVM S.T.D. Lovanii die 4. Auguſti 1643. Theſi 1.

Matrimonium inſtitutum eſt ante lapſum principaliter, ac per ſe ob honeſtam humani generis multiplicationem : poſt lapſum ceſſit quoque LEGITIME in remedium concupiſcentiæ. His ſimiles Theſes occurrerunt die 16. Julii 1647. die 8. Junii 1648. die 3. Octobris 1648. *&c.*

GERARDVS VAN WERM S.T. Doctor unus ex Auctoribus præſentis Legationis ad Sedem Apoſtolicam, Lovanii die 23. Junii 1653. Aſſertionem ſic expreſſam dedit Theſi 2.

Nec tamen ſenes aut ſteriles ſecundò, aut tertiò, aut pluries matrimonium contrahentes peccati condemnamus , quando ad novas nuptias vitandæ fornicationis causâ tranſeunt. Totidem verbis hanc aſſertionem dedit idem Doctor die 8. Novemb. 1652. At verò die 1, Decembris 1636. hanc.

A Deo primitùs inſtitutum eſt in officium naturæ : poſt peccatum verò naturæ lumine dictante in concupiſcentiæ remedium ſimul ceſſit. Totidem ferè verbis hæc dedit die 4. Novembris 1637.

LIBERTVS FROMONDVS S. T. D. Lovanii die 8. Novembris 1638. aſſertionem dedit luculentam Theſi 1.

Dubium autem eſt, cujus finis intentio ſit neceſſaria , ut licitè aliquis matrimonium contrahat...... ſi merè negativè non intendat generationem, imò juſtâ ex causâ optet non ſequi, dummodo poſitivâ actione, aut rei debitæ omiſſione non impediat, & aſſumat matrimonium in remedium concupiſcentiæ, non videtur peccare. Quid ſi contrahat non habito reſpectu ad generationem , vel remedium concupiſcentiæ ? condemnare difficile eſt, modo alium-finem honeſtum habeat.

GVILIELMVS MERCERVS S. T. D. Lovanii die 12. Februarii 1639. Theſi 4.

Petere verò debitum nullum omnino eſt peccatum, etiamſi petatur præcisè, ut incontinentiæ periculum in ſeipſo vitetur.

Hæc ſufficere putamus in materiâ Caritatis, & relationis operum in Deum, ut collata cum propoſitionibus, quas repræſentarunt S. Sedi , ut reprobatas à ſuâ Scholâ; itemque cum aliis, quas repræſentarunt, ut continentes doctrinam ſuæ Scholæ, appareat Sapienti Lectori, aut ignoraſſe hos Doctores doctrinam Lovanienſium Doctorum præcipui nominis, aut putaſſe appellationem Scholæ Lovanienſis in ſe ſolos cadere, qui hanc Legationem adornarunt, puſillum ſanè numerum Doctorum octo ex quibus ipſi ſunt, qui non rarò alia omnia in Scholâ tradiderunt, quàm Romæ præ ſe ferant, ut ex dictis conſtat.

CAPVT IV.

De Dilectione Proximi.

§. I.

Ad doctrinam de Dilectione proximi, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PRopositio Prima. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.

Propositio Secunda. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

PRIMO. Fatendum eſt occaſione hujus doctrinæ aliquoties propoſitæ Scholaſticis theſibus cum Lovanii, tum Antverpiæ aliquid turbationis extitiſſe; ſed Lovanienſibus Academicis miro zelo ſeſe opponentibus illi doctrinæ tamquam inauditæ hactenus. Hujus rei Specimen non eſt longè repetendum: *MACARIVS HAVERMANS* S. T. Profeſſor in ſua *Epiſtolâ Apologeticâ* ad *INNOCENTIVM* XI. num. 90. pag. 160. cum retuliſſet aſſertionem ex quibuſdam theſibus expreſſam his verbis: *extat ſpecialis lex exhibendi proximo quadam officia, & propulſandi ab eodem quadam mala in certis circumſtantiis: lex tamen illa caritatis non obligat, ut proximum ſpeciali amore interno amemus*, ſic exclamare non dubitavit.

Obſtupeſcunt, obſtupeſcunt, SANCTISSIME PATER, fideles Belga hoc novorum Doctorum DOGMA INAVDITVM, & excandeſcunt, ſic omnem veram inter homines amicitiam tolli. Amplificat hanc exclamationem: ubi cum *dogma* vocet *inauditum*, quâ ſit Commiſeratione dignus, intelligit eruditus Lector, imò & tyro quilibet Theologiæ Moralis, qui modò aliquid deguſtarit ex Tractatibus Theologorum, quos hi noſtri dedignantur.

SECVNDO. Dubitari poteſt an Lovanienſes Doctores & Academici ſatis intellexerint ſtatum controverſiæ inter Theologos de ſpeciali præcepto amoris interni erga proximum. Controverſia commodè intelligitur ex illâ aſſertione, ad quam audivimus modò exclamentem *Macarium Havermans*: ſic habebat illa: *extat ſpecialis lex exhibendi proximo quadam officia &c. lex tamen illa*

illa non obligat, ut proximum SPECIALI AMORE *interno amemus.* Huic ſimiles ſunt aſſertiones, quas in hâc materiâ Theologi quidam Doctoribus exoſi defenderunt in Belgio. Porro hanc aſſertionem totam debent admittere hi noſtri Doctores, & ipſe *Macarius*: admittuntque reipſa: quod ſic oſtenditur.

1. Specialem legem exhibendi proximo quædam officia nemo negat: patet verò ut quis hanc legem impleat, debere eum Proximo velle quædam officia, adeoque velle quædam bona: cumque velle bonum Proximo, ſit amare proximum, patet hanc legem non poſſe impleri ſine aliquo amore. Sed hic non eſt amor ille *Specialis*, de quo, an detur præceptum, diſputant Theologi.

2. Theologi negantes legem illam obligare, ut proximum ſpeciali amore interno amemus, omnino præſcindunt ex quo alio motivo debeant exhiberi illa officia, de quibus datur lex ſpecialis: inter illos *Franciſcus Suarez*, & alii cenſent non dari actus indifferentes in individuo, ſed eſſe obligationem intendendi ſemper honeſtum finem. Etiam *Michaeli Bajo* & his noſtris Doctoribus, etſi cenſeant nos obligari ut actiones omnes in Deum referamus per caritatem erga Deum, manet integrum docere nos non obligari lege caritatis, ut proximum amemus illo ſpeciali amore interno, de quo altercantur Theologi.

3. Imò verò cenſent reipsâ hi noſtri, nos non obligari lege caritatis erga proximum, ut hunc amemus illo ſpeciali amore interno: neque enim negabunt nos ſatisfacere præcepto caritatis erga proximum, ſi pauperi ſtipem erogemus ex puriſſimo Dei amore, ita ut nullus alius amor interveniat præter hunc, & præter eam voluntatem, quæ ex hoc naſcitur, qua pauperi volumus dare ſtipem.

. Propositio tertia. Vix in ſæcularibus etiam in regibus invenitur ſuperfluum ſtatui.

Propositio quarta. Et ita vix aliquis tenetur ad eleëmoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatus.

PRIMO. Hic rurſus occurrit Laxitas Belgica petita ex Hiſpaniâ: de qua in Belgio lis nulla, multò minùs *contentiones*, *acerbitates*, *ſcandala*, de quibus queruntur in libello ſupplici. Propoſitio utraque excerpta eſt ex *Gabrielis Vaſquez* opuſculo *de eleëmoſyna*: viam commonſtrante *Montaltio in Epiſtolâ* 12. prior quidem ex cap. 4. n. 14. poſterior verò ex capite 1. dub. 3. n. 27. Argutè verò connexuerunt utramque Propoſitionem, ut poſterior inchoata à particulis, *& ita* videatur eſſe tradita à ſuo auctore ut conſequentia quædam ex priore, cùm tamen prior inveniatur in fine opuſculi, poſterior in principio. Cave-

sunt

runt quoque ne *Propoſitio ſecunda* offerretur S. Sedi ornata Auctoritate *Cajetani*: ſic enim illa in opuſculo *Gabrielis Vaſquez* expreſſa legitur: *& ita vix aliquis tenetur aut ſecundùm opinionem* CAIETANI, *aut ſecundùm noſtram, ad elëemoſynam, quando tantùm tenetur ex ſuperfluo ſtatus.*

SECVNDO. Malâ fide Propoſitiones illas excerpſere Doctores ex opuſculo *Vaſquez*. Cum enim vulgò ſit perſuaſum non eſſe obligationem faciendi elëemoſynam de illis quæ ſunt merè ſuperflua naturæ, niſi in extremâ proximi neceſſitate, pronum eſt judicari, Auctorem Propoſitionum in eâ ſententiâ fuiſſe, ut vix umquam facienda ſit elëemoſyna, niſi in extremâ proximi neceſſitate adeòque ſimpliciter vix umquam, cum neceſſitas extrema ſit valdè rara.

Hanc invidiam *Gabrieli Vaſquez* inſidiosè affictam à Doctoribus, aperta fronte concitavit illorum interpres *Macarius Havermans in Epiſt. Apologet.* n. 91. pag. 162. his verbis.

Nota eſt Paradoxa R.P. GABRIELIS VASQVES *doctrina, quâ aſſerit, vix poſſe inter ſæculares reperiri, qui ſuperflua habeant. Cum autem conſtans illius togæ Doctorum doctrina ſit, nonniſi in extremâ neceſſitate pauperibus eſſe ſuccurrendum de bonis neceſſariis ad vitam, vel ſtatum, & extrema neceſſitas rariſſimè occurrat, ſit conſequens & rariſſimè occurrere obligationem præcepti elëemoſynæ.* Poſt pauca ſubdit exclamationes ſibi familiares.

Vide, Lector, impoſturam. Aſſeruit *Vaſquez* loco citato in ſæcularibus vix inveniri ſuperfluum ſtatui; intelligens ſuperfluum ſtatui non tantum præſenti, ſed etiam futuro, quem quis *licitè poteſt acquirere, & dignè conquirere*, ut declarat ibidem cap. 1. n. 26. ſecutus *Cajetanum*, & *Navarrum*. Hic verò *Macarius* ſubſumit, conſtantem illius togæ Doctorum doctrinam eſſe, nonniſi in extrema neceſſitate pauperibus eſſe ſuccurrendum de bonis neceſſariis ad vitam vel ſtatum. Mittamus ineptam disjunctionem; *de bonis neceſſariis ad vitam vel ſtatum*: non docent illi ex lege caritatis erga perſonam laborantem extremâ neceſſitate, ſuccurrendum ei eſſe de bonis neceſſariis ad vitam. Sed neque docent extra extremam neceſſitatem non eſſe ſuccurrendum de bonis neceſſariis ad ſtatum, intelligendo ſtatum non ſolùm præſentem, ſed etiam futurum, ut intellexit *Vaſquez*. Ipſe verò *Vaſquez*, quia ſtatum ſic ſumpſit, non dubitavit ſtatuere obligationem ſuccurrendi egentibus de bonis neceſſariis ad ſtatum, & merè ſuperfluis naturæ; idque non tantùm in extrema neceſſitate ſed etiam in gravi, ſeu urgente: ſic enim loquitur ibidem n. 24. & ſeq.

„ Urgens neceſſitas primò poteſt eſſe corporis; ut cum imminet neceſſitas „ aliqua gravis .... & in hoc caſu obligat elëemoſyna, ex neceſſario adhuc „ ſtatus, & ſuperfluo naturæ .... ordo ergò caritatis talis eſſe debet, quòd ad „ conſervanda bona proximi cum proprio damno conſiderandum eſt, æqualiane ſint, vel diſparis conditionis; vitam enim proximi cum detrimento vitæ

mex

„ meæ non teneor tueri ; cum detrimento cæterorum, teneor, & ſic de reli-
„ quis : aliàs quomodò caritas Dei manet in nobis; ſi in ſimili neceſſitate plus
„ honorem vel divitias, quàm vitam alterius tueamur ? .... ſi urgeat gravis
„ morbus, tenetur quis ex ſuperfluo naturæ ſuæ, & ſubditorum alijs ſubveni-
„ re .... ſi alicui imminet periculum famæ amittendæ; quia illa eſt pretioſior
„ auro, ſeu dignitate, quæ auro, & ſubſtantiæ rei familiaris comparatur, ideò
„ tenetur quis cum detrimento ſui ſtatus, & rei familiaris ſuperfluæ naturæ,
„ ſimilem neceſſitatem propellere, & ſublevare, ut ordinata ſit caritas.„

Huic omni Doctrinæ *Gabriëlis Vaſquez* tam ſeveræ ſi ſe conformaſſent in praxi Doctores Lovanienſes, quibus placuit illum ſugillare de Laxitate in hâc materiâ, certum eſt jam pridem defutura ipſis fuiſſe non ſolùm ſuperflua, ſed etiam neceſſaria ad ſtatum, non ſolùm futurum, aut acquirendum, ſed etiam præſentem : certum etiam, quoſdam ex illis, ac inprimis *Ioannem Sinnichium* præcipuum illius Auctoris ſugillatorem, ad Doctoratum non fuiſſe perventuros; cum & ſine magno ſumptu in lautas epulas Doctores Lovanii non fiant, & neceſſitates miſerorum hominum urgentes, & graves in Belgio, ac imprimis Lovanii tam ſint multæ, & omnium oculis expoſitæ.

PROPOSITIO QUINTA. Nulli omnino quantumvis diviti omnes pauperes ſine elëemoſyna repellenti facilè neganda eſt abſolutio.

PRIMO. Hæc Propoſitio accerſita eſt ex Germaniâ, & pro Theologorum Belgii Laxitate Romæ vendita: Invenitur ad verbum in *Medulla* Theol. moral. *Hermanni Buſenbaum* lib. 2. tract. 3. cap. 2. dub. 3. referentis ſe in iſto compendio ad *Paulum Layman*, qui doctrinam reſtringit ad elëemoſynas negatas mendicis vulgaribus, & qui communibus laborant neceſſitatibus.

SECUNDO. Layman & Buſenbaum, ut ex propoſitione patet, non judicarunt dandam eſſe abſolutionem illi diviti; *ſed non eſſe negandam facilè*, temerè, inconſultò; judicarunt circumſpectè agendum, & conſiderandum, nullamne habuerit pœnitens juſtam cauſam negandi elëemoſynam : item an expediat negare abſolutionem pœnitenti, cui ſit perſuaſa ſententia *Navarri*, & multorum aliorum docentium, non eſſe obligationem ſuccurrendi communibus neceſſitatibus. Atque hæc judicarunt, occurrentes indiſcreto zelo prurientium ad negandam abſolutionem, & pœnitentibus imponentium onera, quæ ipſi digito ſuo nollent movere.

§. 2.

§. 2.

Ad doctrinam de odio Dilectioni Proximi oppoſito quam ut Laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PRopositio prima. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ; ſed ob aliquod temporale emolumentum.

PRIMO. Planè ſtuduerunt hi Doctores Hiſpaniæ mores & doctrinam reformare, non Belgii, quod tamen profitebantur in libello ſupplici. Etiam hæc Propoſitio accerſita eſt ex Hiſpaniâ, acceptaque à *Caſtropalao* qui eam ad verbum dedit tom. 1. tract. 6. diſp. 4. p. 1. n. 11. in Belgio nullæ de ea *contentiones, acerbitates, ſcandala.*

SECUNDO. Notandum 1. Propoſitionem procedere de *morte naturali*, hoc eſt, ut explicat *Caſtropalaus* verbis *Ioannis Sanchez*, de morte à Deo infligenda. Notandum 2. deſiderium illud eſſe debere *affectum inefficacem.* Notandum 3. non permitti, ut *affectus* ille *inefficax* promanet ex *diſplicentiâ perſonæ*, aut ex *odio*, quod diligenter cavet loco citato ille Auctor: Quare patet ſimpliciter illum improbare *omnem diſplicentiam, & odium perſonæ.*

TERTIO. Hæc conſideranti ſatis veriſimile fiet, non aliud, quod ad rem ipſam attinet, velle hujuſmodi Auctores, quàm licitum eſſe gaudium quoddam de emolumento proprio, ſi proximus moreretur, vel ſuppoſitâ ejus morte. Ut ut ſit, judicium Apoſtolicæ Sedis de hujuſmodi propoſitionibus, in quam placuerit partem, ſecuri expectabunt Theologi in Belgio, qui eas ſentiant parum ad ſe attinere.

Propositio secunda. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris; non quidem ut malum patris; ſed ut bonum cupientis: quia nimirum illi obventura eſt pinguis hæreditas.

PRIMO. Nihil non egit *Ioannes Sinnichius* lib. 1. *Saül. exreg.* cap. 109. ut hujuſmodi Propoſitionem cogeret eſſe *Thomæ Tamburini*: ſed per injuriam, ut

accuratè

accuratè oſtendit *Guilielmus le Maire in ſtaterâ Saül. exreg.* ſect. 1. cap. 14. unde propoſitionem acceperint Doctores nobis haud omnino conſtat: ſed ea dedit *Tamburinus* lib. 5. in decal. cap. 1. §. 3. n. 31. quæ verba ipſa propoſitionis proximè imitantur. Sic enim ibi ſcribit.

„ Denique ſi abſolutè deſideres in hunc modum: cupio mortem patris, „ non ut malum Patris eſt, ſed ut bonum meum, ſeu ut cauſa mei boni; nimi- „ rum, quia ex illius morte ego ejus hæreditatem adibo ...... ſi, inquam, ſic „ deſidereis, major eſt reſolvendi difficultas, quia tunc eligis velle malum illi, quamvis ut cauſam tui boni, quod non videtur culpa vacare. „ Præter hæc *Tamburinus* nihil abſolutè pronuntiat de veritate, vel falſitate ſententiæ. Si ergo *Tamburini* locus ille occaſionem præbuit Doctoribus concinnandæ propoſitionis, non ſatis maturè proceſſerunt. Hoc certum eſt Propoſitionem in Belgio à nemine eſſe traditam, de quo meminiſſe poſſimus, certiſſimum verò nullas de ea in Belgio *contentiones, acerbitates, ſcandala* extitiſſe.

PROPOSITIO TERTIA. Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

ADNOTATIO MARGINALIS ad haſce tres propoſitiones. *Quæſtio eſt ...... ſublata obligatione dilectionis interioris proximi, an ſaltem ſalva maneat obligatio exterioris, ſi veræ ſi ſint hæ, & ſimiles ſententiæ.*

PRIMO. Auctor nominandus eſt, ut propoſitionem hanc tertiam intelligamus, quam fatemur nobis eſſe inauditam in Belgio.

SECUNDO. Ad quæſtionem contentam in *Adnotatione marginali* reſponderi poteſt 1. ſupponunt hi Doctores, quod Auctores harum trium propoſitionum doceant, vel docere debeant, præceptum caritatis erga proximum non obligare ad ſpecialem actum amoris interni: atqui patet non valere hanc conſequentiam: licet inefficaciter optare mortem proximo quatenùs ipſi, vel mihi bonam, ergò non teneor efficaciter amare proximum. 2. ne quidem valet hæc conſequentia: licet inefficaciter optare mortem proximo, quatenùs ipſi vel mihi bonam; ergo non teneor ipſi præſtare officia dilectionis externa: nulla enim hîc neceſſaria connexio. Quare quæſtio Doctorum in *adnotatione marginali* futilis videtur.

§. 3.

Modeſtia Academicorum Lovanienſium in Præſenti materia de Dilectione Proximi.

FAcultas Theologica Doctorum Lovanienſium die 4. Maji 1657. fabricatam nobis dedit hanc propoſitionem, *Superfluum non eſt quod homines ſervant pro ſtatus ſui, vel parentum qualitate habitâ, vel adipiſcendâ : ideoque vix poterunt inter ſæculares inveniri qui ſuperfluum habeant.*

Huic propoſitioni cenſuram hanc inflixerunt iidem.

Prior pars in ſuâ generalitate falſa eſt, & cum poſteriori, quæ inde deducitur, elidit obligationem eleemoſynæ & miſericordiæ impendendæ à Scripturâ Sacrâ crebro inculcatam.

Propoſitionem totidem verbis conceptam credibile eſt nuſquam extare præterquam in Catalogo illo Cenſuratum : certè IOANNES SINNICHIVS in ſuo *Saüle exrege* lib. 1. c. 117. §. 445. tractans Propoſitionem, ejuſque cenſuram, non invênit Auctorem Propoſitionis totidem verbis conceptæ.

Sed neque Doctrinam Propoſitionis cum illâ ſpecie abſurditatis, quæ ex eâ deducitur in cenſurâ, ab ullo Auctore traditam eſſe, argumento eſt, quod Auctorem ſcrutator diligens *Sinnichius* loco citato non invenerit : quia neque *Gabriël Vaſquez*, ut vidimus §. 1. hujus capitis, neque *Antonius de Eſcobar* illam ſic tradidit, ut patebit adeunti locum à *Sinnichio* citatum, neque *Sinnichius* præter hos duos invênit, quorum ſperarit eam eſſe doctrinam.

Quia verò *Gabriëli Vaſquez* non ſolùm *Sinnichius*, ſed etiam *Macarius Havermans* ut vidimus §. 1. impingit abſurditatem illam de eliſâ obligatione eleëmoſynæ, Sapientis Lectoris judicium ſit de modeſtiâ hujuſmodi cenſuræ, conſideratis iis quæ ad doctrinam *Gabriëlis Vaſquez* dedimus §. 1. ad Propoſitionem *tertiam & quartam.*

IOANNES quidem SINNICHIVS lib. 1. *Saülis exreg. c.* 117. n. 445. Cenſorum Lovanienſium præcipitem concluſionem imitatus eſt his verbis.

Semper enim Dives quiſque, modernâ laxonum ethicâ imbutus, prætexere poterit, ſe idcirco nolle eleemoſynam elargiri, quod altiorem ſtatum meditetur adipiſci, cujus utique adipiſcendi propoſitum præſtet, ut nihil ſibi reſtet ſuperfluum. Doctrinam *Vaſquez, Navarri*, & aliorum nullam præbere cauſam huic prætextui Divitis patuit §. 1. hujus capitis.

Inde dilapſus *Sinnichius* ad aliud quiddam doctrinæ de eleëmoſyna verbis *Iſidori* aliud agentis dicit, eum, qui illâ utitur in praxi, *ne hominem quidem videri, ſed perniciosum quemdam ac noxium dæmonem.* Tædium ſit perſequi ſimilia.

MACARIVS HAVERMANS ad doctrinam *Gabriëlis Vaſquez* male intellectam,

ctam, ut vidimus §.1. aliamque *Hermanni Buſenbaum*, more ſuo exclamat indecorè, indulgetque cenſuris in *Epiſtolâ Apologet.* num. 92.93. pag. 163. 164. his verbis.

Sanctiſſime Pater, quàm ſint hac piis auribus enormia; utpotè contraria S. Scriptura, traditioni, & ſenſui omnium Sanctorum Patrum ..... tuum judicium, Sanctiſſime Pater, pii fideles deſuper petunt &c. Sic ille judicium petens Romani Pontificis confidentiſſimè præjudicat.

Lovanienſes Poëtæ partes ſuas hîc egere ſtrenuè; ſed parcè libemus.

Ne, quod largiri miſeris teneare, ſuperſit;
En tibi, quo nequeat quid ſupereſſe, modus.
Sutor es? officium ſit prima ambire Decani
Cura, Scabinorum proximus inde gradus;
Inde, ſatis nummûm largâ ſi ſplendeat arcâ,
Plurima ſi fundas munera, Conſul eris:
Nobilis hinc; tum Baro, Comes, Dux, Marchio, Princeps,
Semper eleemoſyna pondere liber eris.
Quippe nihil ſuper eſt, nec enim ſupereſſe putandum eſt,
Quod ſatis ad ſummum vix queat eſſe ſtatum.

Sunt alia hujus generis non pauca.

§. 4.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de dilectione Proximi, ut reprobatam à Schola Lovanienſi Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

QUanto ſtrepitu contraire ſoleant hi noſtri Doctrinæ Theologorum negantium obligationem ſpecialis præcepti de internâ dilectione proximi, nemo in Belgio ignorat. Doctrinam ipſam, ut reprobatam à ſuâ Scholâ repræſentarunt Sedi Apoſtolicæ. Nos verò oſtendimus doctrinam eſſe ipſorummet Doctorum, qui eam ut à ſe reprobatam repræſentarunt. Hic addamus quiddam expreſſius.

IACOBVS PONTANVS S.T. Doctor præcipui nominis Lovanii die 17. Aprilis 1652. doctrinam nitidè & paucis expreſſam propoſuit Theſi 4. hanc ipſam.

Non eſt præceptum per ſe obligans ad amorem internum proximi.

Hîc mirari ſubit quomodo Lovanienſium Doctorum tam ſtudioſus *Macarius Havermans* exclamare potuerit in *Epiſt. Apologet.* n. 90. pag. 158. contra dogma illud his verbis: *obſtupeſcunt, obſtupeſcunt. SANCTISSIME PATER, fideles Belgæ hoc novorum Doctorum dogma inauditum & excandeſcunt ſic omnem veram inter homines amicitiam tolli.*

ANONYMVS S. T. Doctor Lovanii die 17. Januarii 1630. hanc dedit aſſertionem ſaporis ejuſdem Theſi 3.

De neceſſitate Charitatis eſt, inimicos diligere, ſic ut ſtatim odium deponamus, & communia ſigna dilectionis oſtendamus; at ſpecialem actum dilectionis ſuffecerit in animi præparatione habere. Extant hujuſmodi Theſes complures: neque dubium, quin hoc ſibi velint, animum ſic oportere præparatum eſſe, ut promptus ſit diligere proximum ſpeciali dilectione, quando & quatenus hæc erit neceſſaria, ut ipſi exhibeantur caritatis officia externa, atque hoc ſatis eſſe ut ſatisfiat præcepto caritatis erga proximum.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S. T. Doctor Lovanienſis 2.2. quæſt. 44. poſtquam debiliſſimè affirmaverat, *verius videri*, præceptum de dilectione proximi accipiendum eſſe etiam de dilectione internâ, hæc ſubdit de ſententiâ contrariâ.

Probabile tamen eſt eum non peccaturum mortaliter, qui tunc ſaltem affectum dilectionis Proximi habuerit, quando illum poſtulat vel neceſſitas exterius ſubveniendi, vel deponendi contrarium odium, aut quid ſimile.

Meritò Lovanienſibus Doctoribus diſplicet extenuatio præcepti eleëmoſynæ uſque eò, ut extra gravem neceſſitatem vix ſit obligatio ſuccurrendi indigentibus: ſed verò patuit §. 1. & 3. quâ injuriâ hujus criminis reum *Gabriëlem Vaſquez* facere conati ſint & *Ioannes Sinnichius & Macarius Havermans*, & non obſcurè facultas ipſa Doctorum Lovanienſium. Minori injuriâ everſi præcepti eleëmoſynæ etiam in extremâ neceſſitate reos egiſſent Collegas ſuos, qui docuerunt, ſatis eſſe, ſi mutuando ſubveniatur egenti; cum conſtet mutuum eleëmoſynam non eſſe. De qua Doctrina *Ioannes Sinnichius* lib. 1. *Saül exreg. cap.* 117. §. 445. *quid dicemus*, inquit, *de iis, qui ne extremè quidem indigentibus quidquam neceſſariò donandum, ſed dumtaxat mutuandum eſſe contendunt? An fortè NOVORVM ETHICORVM LAXITAS nequaquam huc uſque ſeſe exporrigit?* Nos verò *NOVOS* Judicio *Sinnichii ETHICOS* audiamus, quorum ſic *LAXITAS* huc uſque exporrigit.

ADRIANVS FLORENTIVS S.T. Doctor Lovanienſis, Academiæ ipſius Cancellarius, & ſubinde Pontifex Maximus in 4. de reſtitutione pag. 64. col. 4. ſic docuit.

In extremâ neceſſitate non poteſt occupando alienum prius ſuum facere, quàm Dominus rei teneretur in ipſum transferre. Sed Dominus hoc caſu non tenetur abſolutè donare: imò ſatis eſt, ſi mutuet, quo uſque ſpoliatus fortunam pinguiorem aſſequatur: & proteſtari poteſt de repetendo in illum eventum: ergo &c. . . . . minor patet; quia ſi quis extremâ neceſſitate detentus reſpuat mutuò oblata, & clam, vel per vim abſolutè occupet alienum, apud omnes fur, & raptor cenſetur: quia non ex neceſſitate, ſed voluntate invadit alienum: ergo non obligamur ſtatim abſolutè donare.

Doctor idem *Adrianus Florentius*, quodlib. 1. art. 1. pag. 4. Col. 4. Lit. G. hæc dedit in eamdem ſententiam.

Quamvis

Quamvis neceſſitas fuerit maxima, ſi poſtea pinguiorem fortunam ſortitus non reſtituerit, peccat. Si verò neceſſitate ceſſante ſtatim reſtituit, in nullo delinquit, & non cogitur pœnitere, vel jejunare. Ex quo concludo ad propoſitum, quod non teneor purè gratis paſcere fame morientem, vel defendere eum, qui accipiendo injuriam, perimeretur; ſed poſſum proteſtari de mercede mei laboris, vel opera, aut dati repetitione, ſi ad pinguiorem fortunam venerit.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S.T. Doctor Lovanienſis 2.2.quæſt.32.art.6.dub.5.non multùm ab his abhorruit ſic docens:

Si proximus ſolùm ſit in neceſſitate accipiendi mutuum, non peccabis mortaliter dando mutuum, etiamſi habueris ſuperflua perſona: quia ipſe petit ſibi gratis dari: eoque ſenſu poterit ſuſtineri opinio prior (quam dixerat eſſe *Adriani*) *qua negat opus eſſe gratuitâ donatione*, *ET NITITVR NON IMPROBANDIS ARGVMENTIS.*

Hic animadvertat Lector, non eſſe aſſignabilem caſum, in quo non poſſit ſubveniri neceſſitati proximi per mutuum ſub hac conditione *ADRIANI*; *ſi ad pinguiorem fortunam venerit*; quod agnovit Malderus ipſe, quia ibidem pro ſententia *Adriani* ſic pergit ſcribere.

Nititur non improbandis argumentis; quale eſt iſtud; extra neceſſitatem conſtituto non teneris ſubvenire: conſtituitur autem proximus per mutuum extra neceſſitatem: ergo poſtquam mutuaſti ad nihil teneris amplius. Confirmatur; ſi quis alius per mutuum levaſſet ejus inopiam, non tenereris ad quidquam: mirum ergo eſt quod nunc, ubi mutuum præſtitiſti, ad amplius teneris.

Quoniam denique Lovanienſes Doctores hoc tempore judicarunt repræſentandam S. Sedi ut reprobatam à ſua Scholâ propoſitionem Quintam *Hermanni Beuſenbaum*; de non facilè neganda abſolutione diviti vulgares pauperes repellenti (vide Lector, quæ dedimus §. 1. hujus capitis ad propoſitionem illam) audiendi ſunt de hoc non parvi nominis illorum Collegæ duo.

IOANNES MOLANVS S.T.Doctor Lovanienſis Theol. pract.Tract. 2.cap. 5.n.46. ſic de ſe fatetur.

Non auſim tamen eum de peccato mortali damnare, qui ex ſuperfluo non juvat exiſtentem in communi neceſſitate. Autumandum eſt igitur, non facilè hunc doctorem negaturum eidem fuiſſe abſolutionem.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S. T. Doctor Lovanienſis 2 2.q. 32.a. 6. dub. 4. ſic docuit.

Probabilius eſt in communi neceſſitate pauperum, non teneri divitem ſub Mortali, ulli in particulari determinatè, aut etiam in confuſo alicui dare Eleëmoſynam ..... poſſunt enim ſua ſuperflua deſtinare ædificandis templis aut altaribus &c.

Ultra pergit ibidem *Malderus* his verbis.

Propter hoc argumentum, & ſimilia, quæ adducit NAVARRVS, manebit probabilis ſententia GABRIELIS. De *Gabriele* hæc præmiſerat: *docet enim eum qui habet ſuperflua in extrema neceſſitate, peccare mortaliter, niſi eroget; in gravi venialiter; in communi, non peccare.*

CAPUT V.

De Fide.

§. I.

Ad Doctrinam propoſitionum de præcepto fidei, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Hæc Theſis poſita eſt poſt cenſuram 45. Propoſitionum per* ALEXANDRUM VII.

PRIMO. Propoſitionem Doctores excerpſerunt ex quibuſdam Theſibus de fide, ſpe, & caritate Antverpiæ defenſis die 16. Aprilis 1674. quarum, ut fit in Theſibus minimè operoſis, nulla eſt hoc tempore memoria in Belgio.

SECVNDO. Malâ fide iidem Doctores Propoſitionem excerpſerunt, eam ſic truncando, ut ſi affirmaretur ſimpliciter non dari ſpeciale fidei præceptum; cum ſolùm aſſeratur illis Theſibus fidem neceſſariam neceſſitate medii, non ideo cadere ſub ſpeciale præceptum; quia eſt neceſſaria neceſſitate medii. Textum unde ſumpta eſt propoſitio, Lector conſideret: Sic habet Theſis 13.

Fides unius ſummi Dei neceſſaria .... neceſſitate medii: quæ tamen IDEO non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

Ex his verbis noſtri Doctores exſculpſere hanc propoſitionem repræſentandam S. Sedi: *fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.* Hoc verò illi non bonâ fide. Nuſquam enim id aſſeritur in illis Theſibus: ſed cum incidiſſet Theſi 13. quiddam dubitationis de divino fidei præcepto, hæc ipſa dubitatio diluitur his verbis: *hæc ſpeculativè: practicè verò &c.*

TERTIO. Ex his apparet inanitas *Adnotationis Marginalis.* Diſplicuit *Alexandro* VII. doctrina affirmantium, *quòd homo nullo umquam vitæ ſuæ tempore, teneatur elicere actum fidei, ſpei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*: non verò diſplicuit doctrina aſſerentium fidem neceſſariam neceſſitate medii non ideo cadere ſub ſpeciale præceptum fidei, quia eſt neceſſaria neceſſitate medii; cum ex eo capite ſolùm cadere poſſit ſub præceptum caritatis, qno homo tenetur conſulere ſuæ ſaluti.

PROPOSITIO SECUNDA. Satis eſt actum fidei ſemel in vitâ elicere.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Quantulùm hæc diſtat à prima ?*

Fortè occaſionem fabricandi hanc Propoſitionem ſumpſerunt Doctores Lovanienſes ex Aragon qui apud Emin. Card. de Lugo diſp. 13. de fide ſect. 1. n. 21. docuit, eum qui actum fidei ſemel elicuit, ne quidem ex præcepto teneri eum amplius fidei actum elicere. Minimè tamen foret mirandum ſi parum accurati hi Doctores, ubi in aliquo Auctore legerunt neceſſitate medii non niſi ſemel eſſe credendum, id intellexerint de neceſſitate abſoluta, quod illos feciſſe adnotabimus ad Propoſitionem ultimam de abſolutione.

PROPOSITIO TERTIA. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

ADNOTATIO MARGINALIS. *An tacere tali caſu non ſit Chriſtum erubeſcere ?*

PRIMO. Propoſitio ſumpta eſt ex Theſibus Antverpiæ defenſis die 16. Aprilis 1674. quod mirum eſt feciſſe Doctores, cum doctrina ipſa paſſim extet in libris præcipui nominis Theologorum Auctorque Theſium hoc ſolùm aſſerat, ſe id *non damnare, ut* peccaminoſum per ſe.

SECUNDO. Notanda eſt ex mente illorum autorum vis Particularum, *per ſe*, in his vocibus; *tacere ut peccaminoſum PER SE non damno* : quo inſinuatur poſſe accidere frequenter, ut ex circumſtantiis diſtinctis ab ipſo ſilentio, id ſit peccaminoſum; in quibus ſcilicet, ut explicat Emin. Cardinalis *de Lugo* diſp. 14. *de fide* ſect. 2. n. 37. *Hoc ſilentium tunc in ordine ad exiſtimationem vel ſcandalum, vel ad dedecus veræ religionis æquivaleat negationi, vel indiciis formidinis, aut inconſtantiæ, vel erubeſcentiæ*, obſervans ad hæc, quia regulariter interveniunt hujuſmodi circumſtantiæ, ab aliis Theologis regulam ſtatui, quâ ſimpliciter ſit illicitum tacere interrogato à poteſtate publicâ.

TERTIO. Communior Theologorum ſenſus in præſenti quæſtione eſt ille, quem explicat Illuſt. Iprenſium Epiſcopus *Guilielmus Herinx* ſummæ Theol. part. 3. diſp. 8. q. 1. n. 13. ubi de eâ doctrinâ, quàm continet *Propoſitio tertia* ſic ſcribit:

bit: „ Hæc tamen doctrina (quæ ſpectatâ ratione ſpeculativè ſatis probabilis „ eſt) quoad praxim vix poteſt conducere: cum taciturnitas, vel eluſio vix „ poſſit prodeſſe; ſed potius tyrannum exacerbare; poſſit autem ſignum ...... „ præbere, inconſtantiæ, & (ſicut examina ejuſmodi ſunt publica) grave ſcan- „ dalum &c. „

QVARTO. Ad Quæſtionem, quam continet adnotatio Marginalis, reſpondere poterit Auctor Theſium verbis Emin. Card. *de Lugo* loco cit. „ Ex cir- „ cumſtantiis debet judicari, an ſilentium vel tergiverſatio hîc & nunc ſit ſig- „ num negationis, vel erubeſcentiæ, quo caſu non licebit tacere, vel tergiver- „ ſari; ſecus verò ſi ſolùm ſignificet contemptum interrogantis, & non defe- „ ctum fidei vel conſtantiæ, quo caſu id licebit. „

§. 2.

Ad doctrinam Propoſitionum de Aſſenſu fidei, quam ut Laxitatem Tneologorum in Belgio Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO QUARTA. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem quandoque habet minorem certitudinem adhæſionis, quàm cognitio naturalis.

PRIMO. Apparet Propoſitionem eſſe ſumptam ex illis Theſibus, de quibus ſuprà, Antverpiæ defenſis die 16. Aprilis 1674. ubi Theſi 11. ea jnvenitur, etſi aliquantò auctior, verbiſque nonnihil diverſis. Conſultius fuiſſet accuratiùs deſcribi Propoſitiones adverſariorum repræſentandas S. Sedi.

SECVNDO. Non dubitat Auctor Theſeos, quin actum Fidei ſupernaturalem eliciens, manentibus iiſdem credibilitatis notitiis, vitam potius abjiciendam putet, quàm ejuſmodi aſſenſum; undè nec dubitat quin hoc ſenſu actus Fidei ſupernaturalis ſemper habeat majorem certitudinem adhæſionis, quàm cognitio naturalis. Verùm quia cùm gravibus quibuſdam Theologis cenſet non rarò accidere, ut quis eliciat actum Fidei ſupernaturalem, eumque utilem ad ſalutem, dum divina ipſi revelatio minùs perfectè proponitur, exiſtimat dici poſſe actum Fidei ſupernaturalem habere quandoque minorem certitudinem adhæſionis, quàm habeat cognitio naturalis, idque hoc ſenſu, quod Propoſitis contrariis credibilitatis argumentis, faciliùs ab ejuſmodi actu Fidei, quàm à judicio naturali evidenti diſcederet. His lucem affundent quæ dabuntur ad Propoſitionem ſextam.

TERTIO. Caverunt Doctores exprimere ea verba Theſeos, quibus declarabatur

batur procedere aſſertionem de homine non cognoſcente modum, quo proponitur revelatio, eſſe omninò infallibilem: fortè ut magis invidioſa appareat Propoſitio, intelligaturque etiam de aſſenſu Fidei, elicito à cognoſcente illum modum infallibilem, quaſi & ille habeat quandoque minorem certitudinem adhæſionis quàm cognitio naturalis, quod Auctori Theſeos, numquam venit in mentem.

PROPOSITIO QUINTA. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

ADNOTATIO MARGINALIS. Ad Quartam & Quintam Propoſitionem. *Adhuc recenter hæc docentur, & publicis Theſibus Proponuntur.*

PRIMO. Sumpta eſt Propoſitio ex eadem Theſi 11. Antverpiæ defenſa die 16. Aprilis 1674. Locum deſcribamus integrum, qui ſic habet.

,, Judicium credibilitatis, quo judicamus de honeſtate fidei, ejuſque neceſſi-,, tate, voluntati ſervit, ut firmè, invictèque aſſenſum imperet, non intellectui, ,, ut certiùs, firmiùſque aſſentiatur. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus ,, fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum ,, impellentium.,,

Hîc nota 1. honeſtatem & neceſſitatem fidei ad ſalutem dici motiva propria voluntatis, ut firmè, invictèque imperet aſſenſum fidei; non autem intellectus, ut certiùs aſſentiatur: voluntatem ſcilicet ut putabit autor movent argumenta bonitatis, honeſtatis &c. intellectum verò ſola argumenta veritatis. Nota 2. AuctoremTheſeos ſus deque habere *certitudinem & firmitatem*, quâ in ſeipſo firmus eſt aſſenſus, ut apparet ex his vocibus, *ut certiùs, firmiuſque aſſentiatur*. Nota 3. non dubitare Auctorem Theſeos, quin firmè invinctèque imperari debeat aſſenſus fidei, ac proinde quin firmiſſimum eſſe oporteat aſſenſum fidei firmitate quâdam voluntatis, quâ fiat ut *viri fideles nec per argumenta, nec per tormenta, nec per blandimenta inclinari poſſint, ut veritatem, quam credunt, ſaltem ore tenus negent*; ut loquitur *S.Bonaventura* in 3.d.23.a.1.q.4. Putavit Auctor Theſeos cum *S.Bonaventura* hanc firmitatē reſidere formaliter in affectu voluntatis, non verò in aſſenſu fidei; in quo ſi erravit, certè ad praxim ipſam credendi id nihil facit.

SECVNDO. Quod habet *Adnotatio Marginalis*, hæc doceri & proponi publicis Theſibus, rectius dixiſſent hæc propoſita eſſe publicis Theſibus die 16. Aprilis 1674.

Propositio sexta: Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

Propoſitionem ex eadem Theſi 11. ſumpſerunt. Caſum celebrem agnoſcit *Petrus Hurtado* diſp.14.*de fide* §. 57. in eâ controverſiâ, quâ litigabant olim Catholici de valore Baptiſmi ab hæreticis collati, ubi cogitatur homo rudis qui crediderat in Hiſpaniâ valere Baptiſmum, ita prædicantibus Hiſpaniæ Epiſcopis migrare in Africam, & contraria prædicantes audire S.Cyprianum, alioſque Epiſcopos Sanctiſſimos & Doctiſſimos: hunc verò cenſent illi, caſum eſſe, quo liceat repudiare ſaltem ad tempus, ſeu ſuſpendere aſſenſum fidei, & ſpatium ſumere ulteriori examini. Sed de his quidem inter Theologos Belgii haud convenit, & ſine contentione, acerbitate, ſcandalo iidem diſputant, ut alibi: Sedis Apoſtolicæ judicio acquieſcere parati.

Propositio septima. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitiâ ſolùm probabili revelationis; imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

Adnotatio Marginalis. *Hic aſſenſus non niſi probabilis æſtimatio eſſe poterit.*

Rpimo. Occaſionem huic Propoſitioni fabricandæ præbuiſſe poteſt quædam Diatriba Theologica de fide, liber Romæ proſcriptus magnâ Janſenianæ Factionis gratulatione, exultatione, triumpho.

Suis verò verbis Propoſitionem fabricati ſunt Doctores ita, ut univerſalis videri poſſit, cum inveniſſent variis modis reſtrictam, & temperatam.

Secvndo. Ad priorem Propoſitionis partem, *Aſſenſus fidei ſupernaturalis ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis*, quæ hic adnotari poſſent ea anticipavimus in 3. p. *Specim.* cap. 3. §. 2. commodum erit tamen ea hic quoque ad manum eſſe; cum ſint pauca.

Docuerunt in Belgio Theologi quidam, docuerunt alibi multò plures. Primùm quidem cum S.Thoma 2. 2.q.10.a.1.& aliis paſſim Theologis, fieri poſſe, ut homo quiſpiam ſine culpâ ſuâ penitus ignoret, revalatum à Deo eſſe Myſterium *SS.Trinitatis* exempli causâ: 2.fieri poſſe, ut homo quiſpiam haud ſatis etiamnum inſtructus, idque ſinè culpâ ſuâ, incipiat judicare ſolùm probabiliter, quod

quod Deus revelaverit ſe eſſe Trinum Perſonis: 3. docuerunt nihil huic homi-deſuturum, ut poſſit credere ſaltem naturali quâdam fide ob auctoritatem Dei loquentis: 4. ſinè incommodo dici poſſe, quod talis quiſpiam aſſenſus fidei ſupernaturalis ſit, influente aliquo principio ſupernaturali; ſi voluntas, quod poteſt, illi adjungat adhæſionem, & firmitatem ſummam: ita tamen, ut ſic credens graviter obligetur inveſtigare ampliora ſigna credibilitatis, quæ conſtat evidentiſſima eſſe, ut fidem ſuam perficiat, adſpirante, ut cœpit, divinâ gratiâ.

Hæc ad priorem partem Propoſitionis, de quâ judicium Apoſtolicæ Sedis reverebimur.

TERTIO. Ad poſteriorem Propoſitionis partem; *Aſſenſus fidei ſupernaturalis ſtat cum formidine, quâ quis formidat, ne non ſit locutus Deus*, hæc habeat Lector.

Docuerunt in Belgio quidam, docuerunt alibi plures; Primò quidem cum D. Thoma 2.2.q.4.a.8. Fidei certitudinem *ex parte ſubjecti*; ſeu *quo ad nos* eſſe minorem, quâm ſcientiæ; non quia objectum formale fidei minorem habeat connexionem cum objecto materiali, quam contingat in ſcientiis; Sed propter obſcuram applicationem objecti formalis, cui conformetur certitudo aſſenſus fidei *quo ad nos*, ſeu *ex parte ſubjecti*. 2. Quia verò hæc applicatio objecti formalis eſſe poteſt magis, & minùs obſcura, hinc docuerunt evenire, ut non omnes aſſenſus fidei habeant eamdem certitudinem *quo ad nos*, ſeu *ex parte ſubjecti*. 3. quia verò in quibuſdam rudibus hominibus & ſinè culpâ ſuâ parum inſtructis illa applicatio objecti formalis eſt obſcura admodum, & merè probabilis, qui de revelatione ipsâ nacti ſunt notitiam ſolùm probabilem, his docuerunt poſſe accidere, ut judicium de revelatione non haberent expers omnis formidinis, quam omnino deponere haud poſſent. 4. quia tamen, ut diximus ad priorem Propoſitionis partem, cenſuerunt nihil illis obeſſe quo minùs poſſint credere ſaltem naturali quâdam fide, nihil quoque incommodi in eo viderunt, quod fides illa diceretur ſupernaturalis eſſe poſſe influente aliquo principio ſupernaturali, ſi modò voluntas, quod poteſt, illi adjungat adhæſionem ſummam, & firmitatem uſque ad mortis contemptum. Atque hic eſt ille aſſenſus fidei ſupernaturalis junctus formidini jam explicatæ ex doctrina illorum Theologorum non dubitantium, quin aſſenſus idem certiſſimus eſſet *ex cauſa*, ut loquitur D. *Thomas* 2.2.q.4.a. 8. ſeu ex principio influente, certiſſimus item certitudine adhæſionis piâ voluntate adjunctæ. Nihil etiam dubitantium, quin homines non ſolùm periti, ſed etiam rudes inter Catholicos viventes, ſi lethalis abſit ſocordia, ad eam inſtructionem facilè perveniant, quâ formidinem omnem de revelatione eorum myſteriorum, quæ palam credenda proponuntur ab Eccleſia, nullo negotio poſſint excutere, quod omnino facere obligantur: de hac ergo omni doctrina, quam in Belgio tenuerunt quidam, alibi verò multò plures, judicium reverebimur moderatorum judicum; non verò Lovanienſium Doctorum.

QVARTO. Manifeſtum eſt ad praxim credendi nihil facere doctrinam.

Procedit enim doctrina de eo homine , qui ſinè culpa ſua tam eſt parum inſtructus, ut prudenter quidem, ſed non niſi probabiliter judicare queat, extare revelationem de *SS. Trinitate* exempli causâ ; jam verò credit homo ille quantum poteſt : cenſet enim hanc reverentiam ſe debere Deo, quem prudenter judicat locutum eſſe : quæſtio ulterior eſt, an ille aſſenſus quo credit, poſſit eſſe aſſenſus fidei ſupernaturalis, nec ne. Quid ad praxim intereſſe poteſt, hoccine, an illud ſit verum ? Ad effectum ipſum intererit aliquid : Si enim ſupernaturalis eſſe poſſit, non erit deſperata miſero homini ſalus.

QVINTO. In *adnotatione marginali* prodit ſeſe rurſus illa ſeu præcipitantia, ſeu malevolentia, quam redarguimus in 3. p. *Specim.* cap 3. §. 2. n. 2. ad Propoſitionem 12. Nos ibi Lector videat.

PROPOSITIO OCTAVA. Omnia Communibus credenda neceſſitate medii, & præcepti, habentur in Symbolo Apoſtolorum.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Igitur Communibus nil credendum erit circa veritatem Euchariſtiæ, aut circa ulla alia Sacramenta.*

PRIMO. Nullam prorſus in Belgio celebritatem obtinuit hæc doctrina , ſi forte ab aliquo eſt tradita, de quo nobis nihil eſt compertum. Adeoque & hîc aberrant à ſcopo Doctores, ut plerumque alibi.

SECVNDO. Senſus Propoſitionis, niſi fallimur , hic eſt : quæ vulgaribus fidelibus explicitè ſunt credenda neceſſitate medii, & ſpecialis præcepti fidei, ea omnia habentur in Symbolo Apoſtolorum. Ubi notandum 1. non affirmari vulgaribus fidelibus nulla alia eſſe ſcitu neceſſaria : cum enim obligentur variis præceptis ſuſcipiendi *S. Euchariſtiam*, & quædam alia Sacramenta, de quibus non eſt mentio in Symbolo Apoſtolorum : ſinè dubio iiſdem præceptis obligantur diſcere, adeoque credere veritatem *Euchariſtiæ*, & aliorum Sacramentorum : neque de hoc eſſe poteſt dubitatio inter Catholicos. Sed diſputari poteſt , an ad veritates illas diſcendas, & explicitè credendas obligētur ſpeciali præcepto Fidei.

Hinc Emin. Cardinalis *de Lugo* diſp. 13. de fide ſect. 4. Cum & ipſe ſtatuiſſet num. 63. regulam explicitè credendorum Articulos Symboli Apoſtolorum , mox num 66. objicit ſibi, hanc regulam videri peccare per defectum, quia etiam credenda eſt veritas *Euchariſtiæ* & aliorum Sacramentorum , planè ut objiciunt hi noſtri Doctores in *Adnotatione Marginali.* Reſpondens verò ad Objectionem num. 67. apertè ſignificat, quæſtionem ibi ſolùm eſſe de Veritatibus Catholicis, quarum fides neceſſaria eſt *propter notitiam*, non verò de illis, quarum fides neceſſaria eſt *propter debitum operandi*, hoc eſt, neceſſitate illorum præceptorū, quibus obli-

obligamur ad ſuſcipienda Sacramenta Exempli causâ. De quibus veritatibus deindè agit ex profeſſo proximè ſequenti ſectione 14.

TERTIO. Ex his dubitari poteſt an Lovanienſes Doctores, cum repræſentandam S. Sedi judicarunt hanc Propoſitionem Octavam, ſatis fuerint gnari controverſiæ Theologicæ de neceſſitate credendorum. Vel ſola conſequentia quam formant in *adnotatione marginali*, ipſos admonere poterat, non tam rotundè accipiendam eſſe Propoſitionem, ac ipſi acceperunt: non enim videri potuit veriſimile, Theologum Catholicum docuiſſe *nil credendum eſſe circa veritatem Euchariſtiæ &c.*

PROPOSITIO NONA. Non niſi fides unius Dei neceſſaria eſt neceſſitate medii: non autem explicita Remuneratoris, Mediatoris, SS. Trinitatis, aut Incarnationis: cum fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo ad Iuſtificationem ſufficiat.

PRIMO. Apparet huic propoſitioni fabricandæ occaſionem arreptam eſſe ex Theſibus Antverpiæ propugnatis die 16. Aprilis 1674. ſed ad invidiam eſt compoſita, 1. quia Theſi 13. ſic habetur: *ſic ut non niſi fides unius Summi Dei neceſſaria VIDEATUR neceßitate medii*, Doctores maluerunt ponere *non niſi fides unius Summi Dei neceſſaria eſt &c.* 2. quia Theſi 12. ubi negatur fides Remuneratoris &c. eſſe abſolutè neceſſaria, affirmatur eadem neceſſaria *ex regulari*, & *communi modo.* 3. quia ibidem de fide latè dictâ, *quæ ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo movetur per infuſam, ac ſalutarem illuſtrationem*, ſolùm affirmatur ut *non temerarium, atque admodum probabile*, quod ſufficiat ad Juſtificationem. Doctores maluerunt ponere; *Fides latè dicta ex teſtimoniis Creaturarum, ſimilive motivo ad Iuſtificationem ſufficit.* Sed & tacendum ſibi putaverunt de fide latè dicta *quæ moveatur per infuſam, & ſalutarem illuſtrationem.* 4. quia poſt hæc omnia Theſi 13. diſertis verbis cavetur *hæc ſpeculativè* eſſe dicta, in praxi verò contrarium eſſe ſequendum. Doctores verò cautionem hanc putarunt diſſimulandam.

SECUNDO. Ut alibi, ſic in Belgio quidā ſine *contentione, aſperitate, perturbatione, ſcandalo,* docuerunt, ſaltem ut probabile, vel probabilius, fidem latè dictam, ſi jungatur caritati perfectæ, ſatis momenti habere ad juſtificationem. Sed illi non dubitarunt 1. oportere fidem illam ſupernaturalem eſſe, altiori quodam principio influente 2. moraliter vix poſſe ſperari, vel, ut loquebatur modo Auctor Theſeos, *ex regulari & communi modo* non contingere, ut quis juſtificetur iſto pacto: denique hæc ipſa *ſolùm ſpeculativè* vera eſſe: in praxi enim obligari unumquemque, ut fidem ſuam perficiat.

Minùs dubitanter in Belgio aſſerunt Theologi, non eſſe neceſſariam neceſſitate medii explicitam fidem illam omnem, quam neceſſariam prædicant hi noſtri, nullam patientes explicationem adhiberi quibuſdam pronuntiatis *S. Auguſtini*, quæ ſi, ut verba ſonant, accipiantur, dicendum erit neceſſariam eſſe, & ſemper fuiſſe fidem explicitam non ſolùm Remuneratoris, & Mediatoris, ſed etiam Incarnationis, Crucis, Mortis, & Reſurrectionis *Chriſti*, quod Emin. Card. *de Lugo* diſp. 12. *de fide*, ſect. 4. num. 101. affirmat à nullo Theologo admitti.

TERTIO. Manifeſtum eſt ad praxim credendi ipſam nihil facere doctrinam, quam continet Propoſitio. Etenim vel innotuit homini revelatio Myſteriorum fidei, vel non innotuit: ſi prius, intelliget nihil ſibi profuturam fidem latè dictam, cum intelligat ſe obligari graviter ad credenda Myſteria ob auctoritatem Dei illa ſibi revelantis: ſi poſterius, patet etiam liquidius nihil mutandum in praxi, ſeu vera ſit doctrina illa de fide latè dicta, ſeu falſa: nam illi homini, cui nihil innotuit de revelatione Myſteriorum, nihil quoque innotuit controverſiæ Theologicæ de fide latè dicta; adeoque ſeu vera, ſeu falſa ſit doctrina, non aliter in praxi ſe geret.

PROPOSITIO DECIMA. Deus ignorari poteſt invincibiliter.

PRIMO. Hic iterum ſtatuat ſapiens Lector, an fuerit operæ pretium Romanum Pontificem doceri à Lovanienſibus Doctoribus, quoſdam in Belgio Theologos auſos eſſe aſſerere, *Deum ignorari poſſe invincibiliter.* Longone, an brevi tempore? non exprimit Propoſitio. Atqui Deum poſſe ignorari invincibiliter à quopiam ſaltem brevi tempore tritiſſima ubique eſt doctrina.

SECVNDO. Conſideranti patebit, ad praxim credendi nil facere doctrinam. Etiam manifeſtius id apparebit, ſi vera ſint principia, quibus utuntur hi noſtri in materia ignorantiæ juris naturæ, cum dicunt omnem eſſe vincibilem; per gratiam ſcilicet divinam, qualis nulla datur ſufficiens, aut quod eodem redit, completè ſufficiens, ſi illis credimus. Videat ea Lector, quæ dedimus in 3.p. *Specim.* cap. 1. §. 2. unde & fatetur *Macarius Havermans in Epiſt. Apolog.* n. 52. pag. 80. eſſe quæſtionem de nomine, an dicendum ſit nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturæ, nec ne; & conſequenter an dicendum ſit nullam hujuſmodi ignorantiam excuſare, quia omnis eſt vincibilis, an verò quia ne invincibilis quidem excuſet. Hæc verò pari paſſu procedere de ignorantia Dei, quilibet per ſe videt.

PROPOSITIO UNDECIMA. Peccatum mortale contrahere nequit Deum ejuſque omnem legem invincibiliter ignorans.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Iuxta hoc parricidia, & infinita peſſima ac nefandiſsima crimina committi poterunt ſine culpa mortali.*

PRIMO. Doctrina, quam continet hæc propoſitio, tam communis viſa eſt Emin. Cardinali *de Lugo* diſp. 5. *de Incarn.* ſect. 5. num. 73. ut præter duos treſve Theologos dixerit vix reperiendum, qui contrarium docuerit: non ſolùm verò ipſe eam propugnat fortiter; ſed operosè oſtendit eſſe *S.Thomæ*, *S. Bonaventuræ*, *Alexandri Alenſis*, *Alberti Magni*, *Richardi*, Emin. Card. *Bellarmini*, aliorumque optimorum Theologorum. Hoc certum eſt, doctrinam eſſe tam celebrem, ut non fuerit operæ pretium Romanum Pontificem moneri à Lovanienſibus Doctoribus, eam alicubi traditam eſſe in Belgio. Quamquam quod ad Belgium attinet, non ſolet vulgò tradi doctrina illâ formâ. Libentiùs vulgò dicunt, illud peccatum, quod Philoſophicum vocant, non fore formalem Dei offenſam; non quod illo peccato non offenderetur Deus, (hoc nemo dixerit) ſed quod non haberet eam malitiam ſpecialem, quam vocamus contemptum Dei aut divinæ legis ſaltem interpretative, quæ reſultat ex oppoſitione actionis cum divinâ lege cognitâ. Hoc ipſum qui docent in Belgio, non raro comperias affirmantes, peccatum illud fore mortale, & inſociabile cum gratiâ ſanctificante hominis baptizati: quid poſtea cenſeant de pœnâ debitâ ejuſmodi peccato, longæ ſunt ambages, quibus non eſt immorandum.

SECVNDO. Quàm non ſit res facilis intellectu malitia mortalis iſtiuſmodi peccati, & dignitas ad pœnam æternam, norunt periti. Noſtris verò Doctoribus res illa eſt facilis admodum, cenſent enim reipſa ignorantiam Dei invincibilem & legum naturæ non excuſare à peccato mortali, neque valde, ut videtur laborabunt, ut ſpecialem malitiam formalis Dei offenſæ conſtituant voluntariam invincibiliter ignorato Deo, & Dei lege, rationem illius voluntarii promptum habebunt repetere à peccato *Adami*, in quo peccavimus, & à quo eſt hæc ignorantia. De his ea videat Lector, quæ dedimus in 1.p. *Specim.* toto cap.6. & in 3.p. *Specim.* toto cap.1.

TERTIO. Emin. Card. *de Lugo* non legit *Adnotationem Marginalem* horum Doctorum ad Propoſitionem undecimam: ſed tamen legiſſe dicas: ſic enim ſibi objicit loco cit. n. 103.

„Objiciunt ex noſtrâ concluſione ſequi maxima abſurda; quòd ſcilicet „multa, & graviſſima ſcelera de facto patrentur ſine peccato mortali propter „inadvertentiam ad offenſam Dei &c.„ Reſpondet verò perfacilè negando conſequentiam: nam quod ad fideles & Chriſtianos attinet in eorum animis malitiam, & Dei offenſam, *adeo connexa, & ſubordinata eſſe, ut difficillimè, & non niſi ex induſtriâ poſſint ſeparari in cognitione.* Quod verò attinet ad infi-

infideles omnino barbaros, ignorantiam Dei non dari in illis invincibilem longo tempore: pertinere item ad providentiam Divinam, *ut nullus infidelis Adultus moriatur, donec vel cognoſcat Deum, vel ſaltem dubitet, & culpabiliter omittat ejus inquiſitionem &c.* uti ex communi ſententiâ dici ſolet, *ad providentiam Dei ſpectare ne aliquis infidelis Adultus non baptiſatus moriatur cum ſolo peccato veniali, ſed dari ei tempus vel peccandi mortaliter, vel ſi ſervat præcepta, accipiendi majus lumen ad res fidei.*

§. 3.

Præcipitantia varia MACARII HAVERMANS in Epiſtolâ Apologetica *ad* Innocentium XI. *de Laxitatibus Theologorum in Belgio in materiâ de fide.*

PRIMO. N. 81. pag. 147. contra doctrinam de fide latè dicta, de qua §. proximè ſuperiori, ſic argumentatur.

Si illa fides latè dicta ſufficiat ad ſalutem, ergo numquam vi ſuâ, & per ſe obligat præceptum veræ fidei divinæ de qua agit Alexander VII. in decreto citato. Præcipitavit igitur ad hanc conſequentiam: fides latè dicta ſufficit ad juſtificationem & ſalutem, accedente nimirum charitate perfectâ: ergò non datur præceptum fidei divinæ per ſe obligans. Hoc verò eſt præcipitare: quia ineptiſſima eſt conſequentia, ut per ſe patet, neque ullus Theologus apud nos docuit fidem latè dictam poſſe conjungi cum charitate perfecta, in eo homine, qui ſatis eſt inſtructus, ut poſſit credere fide ſtrictè dicta, idque negligit facere, hunc enim cenſent peccare graviter.

SECVNDO. N. 83. pag. 148. Theologos Belgii ſic accuſat.

Ita ejus (fidei) *extenuant neceſſitatem, ut, ſicut ad bonum opus neceſſarium negant Dei propter ſe amorem, ita & neceſſariam negent fidem quantumvis imperfectam.*

Locutus eſt primò, ut decebat Amicum *Michaëlis Baji*, nullam agnoſcentis virtutem, niſi imbutam Dei propter ſe amore: ſecundò ut decebat Accuſatorem præcipitem: diluat hanc notam vel uno ex Adverſariis nominato, qui docuerit indiſcriminatim, ad bonum opus non eſſe neceſſariam fidem quantumvis imperfectam: docuerunt illi contra *Michaëlem Bajum* ſine fide obtineri poſſe bona quædam opera ſaltem ſterilia: non docuerunt ſine fide obtineri poſſe bona opera ad vitam æternam utilia. Docuerunt itidem ex illis quidam, ſaltem ut probabile, aut probabilius, fidem latè dictam poſſe eſſe ſupernaturalem, adeoque poſſe ſufficere ad amorem Dei ſupernaturalem: ſi fidem illam non putaverit appellandam *fidem quantumvis imperfectam*, exclamationes ſuas vertere poterat in ſeipſum & ſuos: neque enim invidiâ illâ ſeipſum purgabit aut ſuos, ut mox oſtendetur.

TERTIO. Contra illos Theologos, qui in Belgio & alibi docuerunt, fieri poſſe, ut fides ſupernaturalis ſit in eo homine, cui ſine culpâ ſuâ non niſi probabiliter innotuit revelatio *SS. Trinitatis* exempli cauſa, de quibus §. proximè ſuperiore ad Propoſitionem ſeptimam, hæc effudit n. 86. pag. 151.

Sanctiſſime Pater non minùs durè, quàm graviter angunt, & tangunt hæc dogmata pios fideles, hic inter hæreticos degentes ...... datur talis farina hominibus anſa ad perſeverandum durâ cervice in ſua hæreſi, ſi ſibi perſuadeant ſe in ſuâ ſectâ manere poſſe, & in eâdem ſalvari, quamdiu illa probabilis judicatur.

Non eſt hîc ſermo, qui deceat benè ſentientem de fide Catholicâ. Fieri non poteſt, ut cui eſt facultas inveſtigandi veram fidem, ei probabilis appareat ſecta hæretica: multò id minùs fieri poteſt in pertinaci hæretico, & contrarium aſſerere eſt hominis parum rectè ſentientis de notis tam ſublimibus, quibus teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis. Certè quidem inſulsè nimium à rudi homine, cui & inſtructio deeſt, & facultas veritatem inveſtigandi, argumentatio ducitur ad pertinaces hæreticos; uti ſi ex eo, quòd inculpatè poſſit quiſpiam carere omni fide Myſteriorum, ſi nihil ei ſit annunciatum de Euangelio, inferat quiſpiam poſſe id paſſim omnes homines. Huc planè nos ducit ille.

Mittamus alias hujus generis præcipitationes: verendum ſit enim ne ſtomachum moveamus Lectori, ſi eas perſequamur minutiùs, quaſi plurimùm interſit ad informationem S. Sedis ſi perſequamur ſingula, quibus peccavit ille Doctorum Lovanienſium interpres.

§. 4.

Conſiderandum proponitur ſapienti Lectori, quàm procul abſint Lovanienſes Doctores & Academici à variâ doctrinâ in materiâ de fide, quam ut reprobatam à ſua Schola repræſentarunt Sanctæ Sedi.

PRIMO. Præ ſe ferunt hi Doctores & Academici valdè ſibi diſplicere eorum doctrinam, qui cenſent, fidem latè dictam ſatis momenti habere poſſe ad juſtificationem & ſalutem. Videamus quantùm ipſi ab illâ doctrinâ diſtent.

1. Neque *Michaël Bajus* dubitavit, neque credibile eſt dubitare hos Doctores, & Academicos, quin poſſit humanum ingenium nullâ præventum revelatione divinâ, aſſequi notitiam Dei, & quidem certam & demonſtrativam.

2. Stultum ſit dubitare, quin poſſit voluntas antè omnem revelationis notitiam amare (amore perfecto, imperfecto non jam curæ eſt) ſummam Bonitatem demonſtrativè cognitam; quippe rem ſummè amabilem.

3. Atqui omnis amor ſummæ bonitatis,ſeu Dei,eſt ſupernaturalis, ſi credimus *Michaëli Bajo* & hiſce noſtris Doctoribus & Academicis, quorum eſt dogma ſacroſanctum, nullum eſſe opus moraliter bonum, ſed omne eſſe malum,quòd non eſt ex fide, & gratia Chriſti. Itidemque,nullum eſſe moraliter bonum, ſed omne eſſe malum quod non eſt ex dilectione. Videat ea Lector, quæ dedimus in 2.p. *Specim.* cap.3. Certè quidem *Macarius Havermans in Tyrocinio* tract.2. cap.6. §.9. pag. 498. & ſequentibus operoſiſſimè hoc egit, ut dogma illud de ſupernaturalitate omnis Dei amoris propter ſe confirmatiſſimum redderet.

4. Hinc verò patet, non poſſe illos recuſare, quin fateantur fidem latè dictam, ſeu Dei notitiam ex creaturis hauſtam, ſatis momenti habere, ut, qui ex ea pendet amor Dei, ſupernaturalis ſit, cum & ope illius notitiæ amari poſſit Deus aliquo amore, & omnis Dei Amor ſupernaturalis ſit, ut illi cenſent.

5. Hinc ulterius ſtatuat Lector, quàm procul illi diſtent ab eâ doctrinâ, quâ volunt quidam Theologi, fidem latè dictam ſatis momenti habere ad juſtificationem & ſalutem. Nobis quidem promptum ſit, eam repudiare, contendendo & fidem illam, & Dei amorem ex illâ pendentem ordinis naturalis eſſe. Hâc illi viâ doctrinam non laceſſent, qui fateri cogantur, Dei amorem pendentem ex illa fide ſupernaturalem eſſe, neque negare poſſint, ope illius fidei, hoc eſt Dei notitiæ demonſtrativæ, amari poſſe Deum aliquo amore. Ne igitur fateri cogantur doctrinam ipſam, cui ſe infenſos exhibent, eſſe ſuam; hoc oſtendant oportet, amorem illum Dei ſupernaturalem non poſſe ita perfici, ut appellari mereatur perfecta charitas, & reipſa juſtificet: Quam ſpem habeant illud oſtendendi, ipſi viderint.

SECUNDO. Præ ſe ferunt hi Doctores & Academici, valdè ſibi diſplicere illos Theologos,qui in Belgio nonnulli,& alibi multò plures, docuerunt, hominem ſine culpâ ſuâ tam parum inſtructum, ut non niſi probabiliter judicare poſſit revelaſſe Deum, ſe eſſe Trinum Perſonis exempli cauſa, poſſe elicere aſſenſum fidei ſupernaturalem de Trinitate Perſonarum Divinarum. Videamus quàm procul ipſi diſtent à doctrina illa.

1. Vidimus in 1.p.*Specim.* quàm confidenter hi Doctores & Academici propugnent Quinque Propoſitiones acceptas in eo ſenſu, qui placuit *Cornelio Janſenio* Iprenſium Epiſcopo,& quidem ut Scripturis Sacris, ut SS.Patrum ac in primis *Auguſtini* doctrinæ conformes. Certè dubitare poteſt nemo iis lectis, quæ ibi dedimus, quin eam omnem doctrinam tueantur ut continentem veritates Catholicas,atque à Deo revelatas. Conſideret ea ſaltem Lector, quibus explicantem ſeſe audivimus in 1. p. *Specim.* cap.3. §.2. *FRANCISCUM VAN VIANEN* S.T.Doctorem de efficaciâ gratiæ, quibus timebat admiſcere conciliationem

liationem libertatis cum efficaci gratia, tamquam rem *aliquibus etiam periculoſam præſertim in Theologiæ Tyrocinio*, ne fortè etiamnum vacillantes circa ea, quæ didicerunt de efficacia gratiæ, contingeret graviùs turbari injectâ diſputatione de libertate, cujus conciliatio cum gratiâ penderet ex quæſtione Philoſophicâ, & convenienti quâdam definitione libertatis. Conſideret item quas dedimus ibidem cap. 2. §. 2. Aſſertiones confidentiſſimè & non ſine acrimoniâ cenſoriâ affirmantium, nullam in hoc ſtatu gratiam dari ſufficientem, quæ non ſit efficax. Conſideret denique, ne plura perſequamur hujus generis, quantâ libertate Pelagianiſmi notam impingant communi doctrinæ de morte Chriſti pro omnibus, aut Dei voluntate ſalvandi omnes: *Specimina* dedimus in 1. p. cap. 5. §. 3.

Ex his quidem dubitari non poteſt, quin hæc illi aſſerta ſua colant, ut veritates Catholicas, ac proinde à Deo revelatas, multò minùs dubitare licet, quin eadem illi credant ſedulò ob Auctoritatem Dei revelantis, ſibique perſuadeant totidem fidei aſſenſus ſe habere ſupernaturales. Si inquiramus, quàm certas illi habeant notitias revelationis divinæ de illis veritatibus, facilius erit ipſis certiſſimas eſſe illas aſſerere, quàm aliis eas agnoſcere ut probabiles. Verendum eſt profectò, niſi valde ipſi errant, ne non ſolùm ſufficiat probabilis notitia revelationis, ut qui ex ea pendet aſſenſus fidei ſupernaturalis ſit, ſed & notitia improbabilis.

CAPUT VI.

De Iuramento, mendacio &c.

§. 1.

Ad doctrinam de Iuramento, mendacio &c. quam, ut Laxitatem Theologorum in Belgio Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

Hæc *Propoſitio* eſt *Decima Quarta* inter illas Septemdecim, quas die 17. Julii 1653. Facultas Theologica Lovanienſis ſolemni cenſurâ notavit, tamquam in praxi non tolerandas. Illas verò omnes perpaucis exceptis obtulerat his Doctoribus libellus infamis damnatus in Gallia anno 1644. cui titulus; *Theologie morale des Ieſuites*, ubi præſens Propoſitio S. Sedi repræſentata hoc tempore

legitur pag. 11. adſcribiturque *Stephano Baunii* ſom. des peches p. 845. edit. 5 Citari debuiſſet pag. 95. Ubi, ſi verba ſpectes, invenitur propoſitio, ſed manifeſte ex toto contextu hunc ſenſum faciens; *Deum accipere teſtem levis mendacii committendi, non tanta eſt irreverentia, propter quam ille velit, & poſſit damnare hominem*; non autem hunc; *Deum accipere teſtem levis mendacii ipſo juramento exerciti, non tanta eſt irreverentia &c.* Agitur de juramento promiſſorio veraci, ſed habente objectum leviter malum; non autem de juramento aſſertorio mendaci, ſeu perjurio.

Propositio secunda. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit gravis, ſive levis.

Adnotatio marginalis. *Immenſa mendaciorum colluvies, tum in ſocietatem humanam, tum in judicia publica ex his fontibus quotidie profluent.*

PRIMO. Ecce rurſum laxitatem Theologorum in Belgio repertam ex Sicilia. Res eſt mirifica occurrens toties: ſi quid in Italia, Hiſpania, Gallia, Germania Theologi peccarunt, vel peccaſſe videntur, plectuntur hoc tempore Theologi Belgæ à Lovanienſibus Doctoribus.

Sed verò malè truncata *Tamburini* doctrina eſt propoſita, quod ipſum accuratè pridem oſtendit *Guilielmus le Maire in ſtatera Saülis exregis* ſect. 1. cap. 12. pag. 76. ubi excutiens verba Auctoris l. 3. in dec: cap. 3. §. 2. oſtendit ipſum hac phraſi, *jurare ſine animo jurandi* aliud non velle, quam *jurare verbis æquivocis*; quod putavit ex juſtâ cauſâ eſſe licitum. An ex hac doctrinâ profluat in ſocietatem humanam immenſa mendaciorum colluvies, ut habet adnotatio marginalis ſtatuant moderatiores judices.

Propositio tertia. Si quis vel ſolus, vel coram aliis ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quocumque alio fine, juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab eâ, quâ fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

PRIMO.

PRIMO. Habes & hic, Lector, Belgicam Laxitatem. Etenim verba Propoſitionis habet *Thomas Sanchez* lib.3.in Decal.cap.6.n.15. niſi forte hi Doctores ſatis habuerint uti Epiſtolis ſibi caris *Ludovici Montaltii* in Propoſitione illâ more ſuo ludentis *Epiſtola* 9.

SECUNDO. Familiare eſt his Doctoribus, hujuſmodi Propoſitiones ſic exhibere populo & diſcipulis, ut hi, cum dici audiunt malitiam mendacii & perjurii abeſſe, credant malitiam omnem dici abeſſe; præcipuè cum illos audiant exclamantes, actum eſſe de commercio humano & ſinceritate judiciorum publicorum, ſi vera ſit doctrina: Atqui doctrinæ, quam continet Propoſitio, proximè ſubjungit *Thomas Sanchez* hanc regulam: *Nullo modo licet uti verbis ambiguis quibuſcumque, etiamſi ex ſua ſignificatione ambigua ſint, id nullâ causâ juſtâ petente, niſi in eo ſenſu uſurpentur, quem communiter audientes percipiunt.* Si ſecus utaris ſine neceſſitate, negat quidem eſſe mendacium propriè dictum, profitetur tamen eſſe mendacium largè ſumptum; *non pro eo*, ut loquitur n.15. *quod eſt contra mentem ire & opponitur negativo non mentiendi præcepto; ſed pro eo, quod opponitur affirmativo veritatis dicendæ præcepto.*

PROPOSITIO QUARTA. Cauſa juſta utendi his Amphibologiis eſt, quotieſcumque id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuenda, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

Pergunt hi Doctores doctrinam *Thomæ Sanchez* vitio vertere Theologis in Belgio. Ille ibidem n.19. verbis prope ipſis *Navarri*, quem citat, Regulam condit, quâ liceat ſtatuere de juſtâ causâ utendi Amphibologiâ: pruriunt verò hi noſtri, quod aliàs experti ſumus, ut regulam ſic accipiant, quaſi dictum eſſet, licere uti amphibologiâ, ſi id ſit quoquomodo nobis commodum. At alia omnia nos docet Auctor Regulam ipſam operosè explicans, & illuſtrans multiplici corollario. Nobis haud licet his immorari.

PROPOSITIO QUINTA. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt: poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis quia

non tenetur fateri crimen occultum.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Hinc deploranda in Belgio mala.*

PRIMO. Nihil temerè affirmabimus de Lovanienſibus Doctoribus die 4. Maji 1657. ſolemni cenſurâ notantibus Articulos 26. inter quos hæc Propoſitio eſt Articulus decimus nonus. Sed ne videantur ipſi fabricaſſe Articulum, quem cenſurâ notarunt, quemque hoc tempore Lovanienſes Doctores repræſentarunt S. Sedi, ut laxitatem Theologorum in Belgio, rogamus ut auctorem Articuli prodant vel Belgam, vel alterius nationis. Cauſæ cur videri poſſint ipſi fabricaſſe articulum non ſunt leves.

1. *IOANNES SINNICHIUS* S. T. Doctor Lovanienſis in ſuo *Saüle Exrege* veſtigator hujuſmodi Auctorum indefeſſus, atque unus ex cenſoribus Articuli tractans Articulum ipſum lib. 1. cap. 104. §. 391. pag. 414. col. 1. non invenit Auctorem cui illum adſcriberet, niſi *Modernos laxitatum Patronos*: nomen Auctoris diſtinctius nullum habuit: non diſſimulaſſet profectò, ſi habuiſſet, cui aliquâ ſpecie adſcribi potuiſſet Articulus: cum ſoleat alibi in ſuo *Saüle Exrege*, tam eſſe in hoc genere diligens, ut etiam per injuriam Auctores eſſe jubeat ineptarum opinionum, qui id minimè volebant: exempla abundant in *ſtatera Saülis Exregis.*

2. Eſt omnino veriſimile, quod occaſionem fabricandi Articulum cenſores arripuerint ex opere *Leonardi Leſſii* de jure & juſtitia lib. 2. cap. 42. Dub. 9. n. 48. Nemo legens Articulum dubitare poteſt, quin ex ejus doctrinâ omnino abſolvatur culpâ perjurii ſic promotus ad Magiſtratum: hoc ipſum inſinuant Lovanienſes Doctores in *Adnotatione Marginali*: non enim alioqui ad rem faciat quod aiunt; *Hinc deploranda in Belgio mala.* Atqui *Leſſius* illâ viâ ſe promoventes ad Magiſtratus, & officia publica, pronuntiat reos *peccati gravis*, atque etiam *perjurii*; ut alias cautiones omittamus, quas adhibet & de quibus tacet Propoſitio repræſentata ſanctæ Sedi. His ergo conſideratis ſtatuat ſapiens Lector de ſinceritate Lovanienſium Doctorum. Nobis ſatisfacient ſi Propoſitiones Quintæ Auctorem prodiderint ut eam deteſtemur.

SECUNDO: Cum dicunt in *Adnotatione Marginali* exiſtere *hinc deploranda in Belgio mala*, ſi dicant hæc mala exiſtere ex doctrinâ, quam continet Propoſitio, non illis credimus, niſi oſtendant non eſſe à ſe ſuiſve fabricatam Propoſitionem ad invidiam bonorum virorum.

PRO-

PROPOSITIO SEXTA. Licitum eſt reo cum æquivocatione negare veritatem Iudici legitimo legitimè interroganti.

PRIMO. Hanc Propoſitionem non invenerunt Lovanienſes Doctores apud ſuum Auctorem ; ſed apud *Ioannem Baptiſtam Gonet* in diſſertat : *de opin. probab.* artic.3.§.2.n.94.ut miretur Lector accurationem horum Doctorum. Porrò *Ioannes Bapt. Gonet* illam tribuit *Thomæ Tamburino* lib. 3. cap.4 §.3.n.5. ubi illa Propoſitio non invenitur, ac ne doctrina quidem Propoſitionis.

1.Quia *Tamburinus* dicto n. 5. ſolùm refert doctrinam Emin. Cardinalis *de lugo* & aliorum, pro qua deinde aliquas rationes congerit. 2. Quia doctrina, quam ibi refert , non eſt illa , quam continet Propoſitio, generalem ſenſum faciens : doctrinam ille refert his verbis.

„ Recentiores .... docent probabiliſſimum eſſe & tutum, Reum minimè „ obligari ad fatendum crimen ſuum , unde tantum malum ſibi parari videat. „ Potiſſima ratio illa mihi videtur , quia nemo obligandus eſt, concurrere ad „ ſe ipſum occidendum &c. " Procedit ergo Doctrina , & ratio Doctrinæ reſtrictè ad Reum capitis; doctrina verò *Propoſitionis Sextæ* ſine reſtrictione.

SECVNDO. Emin. Cardinalis *de lugo* tom.2. de Juſt.d.40.ſect.1. doctrinam à *Tamburino* relatam propugnans, non dubitavit n.14.reprehendere *Turrianum*, quod ſententiam illam à *Tamburino* relatam dixerit eſſe improbabilem. *Diana* p.10.Tract.13.reſol.13. verò, cum *Turrianum* atque *Texedam* dixiſſet improbabilem vocaſſe illam ſententiam. „ *Texeda* , inquit , & *Turrianus* nimis audacter „ ſe gerunt in cenſurandis Doctorum virorum opinionibus ..... unde olim „ Reverendiſſimus Generalis Patrum Dominicanorum *M. Turcus* non ſemel „ dixit mihi, dictum *Texedam* limites tranſilire in cenſurâ opinionum. "

TERTIO. Denique de doctrina Theologorum tam multorum & celebrium doceri ſanctam Sedem, ut de Moralis Theologiæ corruptela in Belgio , invidioſum videbatur quare doctrinam expreſſerunt verbis magis amplè ſonantibus, quæ ſibi idonea invenerant in diſſertatione *Ioannis Baptiſtæ Gonet* præferentes in libello ſupplici ex ea doctrina extitiſſe in Belgio *contentiones* , *perturbationes*, *ſcandala* &c. quod eſt à vero alieniſſimum.

PROPOSITIO SEPTIMA. Vrgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem adſimulandi.

PRIMO. Præſtò fuit hæc propoſitio inter Articulos 26.quos Lovanienſes Doctores ſolemni cenſurâ notarunt die 4. Maji 1657. illic enim locum obtinet

net Articuli 18. & notatur ut *Irreligioſa, & Sacramentis CHRISTI injurioſa.* Unde verò Cenſores Propoſitionem acceperint non eſt facilè dictu, uti neque, an ullus Auctor eam tradiderit; an verò eam fabricaverint Cenſores ipſi aut fabricatam acceperint. Hoc certum eſt doctrinam ipſam in Belgio vix eſſe notam, niſi ex cenſuris Lovanienſium.

SECUNDO. Potuit tamen Cenſoribus occaſionem præbuiſſe *Antoninus Diana* p. 3. Tract. 6. reſol. 83. ſic narrans: „ *Ioannes Sanchez* in ſelectis diſp. 35. n. 6. „ aſſerit ob timorem mortis, & gravem cauſam in adminiſtrandis Sacramentis „ licitam eſſe ſimulationem, & adducit varia exempla. “

Hoc verum eſt, quod adducat quædam exempla ſeu caſus, in quibus licet ſimulare adminiſtrationem Sacramenti, ſed doctrinam generalem, quam continet propoſitio repræſentata S. Sedi in illa diſp. 35. non invenimus. De illa quoque non meminit *Sinnichius* in ſuo *Saüle exrege*, quod aſſequi licuerit, cum ſit alioqui diligens, ut articulos à Facultate Theologica notatos ſuis Auctoribus adſcribat. Hoc longe certiſſimum, quæſtionem de illa doctrina in Belgio nullam eſſe, nedum *Contentiones, acerbitates, ſcandala* &c. quod illi profitentur in libello ſupplici.

Propoſitio Octava. Denique Augustinus vel reſtrictione uſus eſt vel aliqua ejus doctrina damnata eſt.

PRIMO. Sumpta eſt Propoſitio ex amplis Theſibus Antverpiæ diſputatis die 9. Julii 1675. ubi ad verbum invenitur Theſi 27. procedit autem de *Reſtrictione non purè mentali, ſive reali*, ut appellat Auctor Theſium: quam reſtrictionem ſic ibidem definit. Reſtrictio non purè mentalis dici ſolet, *Prolatio vocum, quæ ſecundùm ſe præciſè ſpectatæ non habent ſenſum verum; ſed aliquem verum habent ſimul ex uſu aut ex circumſtantiis externis conſignificantibus, in quibus proferuntur*; per ſe patet Lectori, ſine reſtrictione hujuſmodi, non poſſe omnino ſubſiſtere ſermonem, aut commercium humanum, nihilo magis, quàm ſine verbis ex ſe amphibologicis, quæ omnia ſi quis vitare velit, is ſe damnet oportet æterno ſilentio.

Porrò Auctor Theſium hoc unum agit operosè, ut oſtendat interdum eſſe licitas hujuſmodi reſtrictiones, quod cùm probavit argumentis variis, probat denique facto ipſo *S. Auguſtini* dicens; *denique AUGUSTINUS vel reſtrictione uſus eſt, vel aliqua ejus doctrina damnata eſt*: in quibus verbis ineſt argumentatio dilemmatica, & ſubintelliguntur hæc; *ſed ejus doctrina damnata non eſt*; *ergo reſtrictione uſus eſt*, reali ſcilicet & circumſtantiis conſignificantibus. Hanc eſſe Auctoris mentem ex Theſi totâ eſt manifeſtum; fitque manifeſtius ex toto opuſculo (hoc enim nomen merentur illæ Theſes) in quo ſe oſtendit Auctor eximium

mium *S. Auguſtini* æſtimatorem, ſolicitè ubique aſſertiones ſuas ſtabiliens *S. Auguſtini* teſtimoniis; ſed & prudenter cavens, ne imitantes *Calvinum* & ejus aſſeclas, abutamur auctoritate *S. Auguſtini* adverſus Eccleſiam, & Apoſtilicam Sedem.

SECUNDO. Ex his liquet, Propoſitionem Octavam non eſſe injurioſam *S. Auguſtino*: ſolùm enim eâ aſſeritur, *S. Auguſtinum* in ſuis ſcriptis alicubi uſum eſſe reſtrictione reali, quam ſignificabant circumſtantiæ; quâ aſſertione non plus detrahitur *S. Auguſtino*, quàm ſi diceretur aliquando uſus eſſe propoſitione habente duos ſenſus: neque enim quidquam intereſt, duoſne ſenſus habeat ex verbis ipſis, an unum ex verbis, & alterum ex circumſtantiis. Probat verò Auctor Theſeos *S. Auguſtinum* reſtrictione uſum: quia alioqui *aliqua ejus doctrina eſſet damnata V. C. dum dixit, omnia infidelium opera eſſe peccata.* quæ Propoſitio *in rigore, & proprio verborum ſenſu*, hoc eſt in ſenſu *Michaëlis Baij* eſt falſa & damnata; in ſenſu autem quem habent verba, *ex uſu aut circumſtantiis externis conſignificantibus*, ut loquitur Auctor Theſeos, hoc eſt in ſenſu *S. Auguſtini*, eſt vera, & minimè damnata. In his quid peccati viderint hi noſtri Doctores, non ſatis ſcimus, niſi fortè diſplicuerit inſinuatum eſſe, Articulum Bajanum *Omnia opera infidelium ſunt peccata*, falſum eſſe & damnatum, *in rigore & proprio verborum ſenſu*, quod illi negant reipsâ. vide Lector 2.p.*Specim*.cap. 1.§.4 & cap.3.§.4.

§. 2.

Conſiderandum Lectori proponitur, quantùm præ his placere debeat doctrina Lovanienſium Doctorum hoc tempore de Reſtrictione.

DOctrina hæc eſſe videtur: Numquam licet uti ſermone ambiguo, ſeu ex verbis ſeu ex circumſtantiis, niſi in eo ſenſu, in quo ſermonem accepturus videatur audiens.

Colligitur hoc ex illa Propoſitione, quâ expoſuerunt S. Sedi doctrinam ſuam.

Sic verbis utendum eſt, ut id, quod dicitur, conſideratis ſimul circumſtantiis, quas obviè poſſit audiens intelligere, ſit conforme menti loquentis. Si aliter fiat cum juramento, perjurium eſt; ſi citra juramentum, mendacium.

Huic doctrinæ lucem affundat Aſſertio quam Lovanii die 20. Februarii 1676. propugnavit *LAMBERTUS VINCENT* S.T. Doctor.

Mendacium nullo caſu eſt licitum: unde fruſtra tegitur reſtrictionum mentalium pallio. Illicitum ergo Confeſſario de auditis in confeſſione interrogato, num rem aliquam in confeſſione audierit, reſpondere, ſe neſcire, nempe ut dicam tibi, vel tamquam homo.

Hæc ipſa majori luce donavit *FRANCISCUS VAN VIANEN* S. T. Doctor proponendo Lovanii die 26. Febr. 1676. Aſſertionem hanc Theſi 2.

NE FALSUM TESTIMONIUM DIXERIS. Hoc præceptum prævaricatur Confeſſarius, cum ſciens ex confeſſione, Petrum Verbi gratia commiſiſſe homicidium, ſe neſcire reſpondet interroganti, utrum hoc ex confeſſione ſciat. Quid ergo faciendum ? R. Dicat hujuſmodi quæſtionem eſſe impiam, & talem, ad quam nec affirmativè, nec negativè liceat reſpondere.

Sapientum judicio relinquimus, an ſatis conſulat ſigillo Sacramentali Confeſſarius iſtâ reſponſione. Si non audiviſſet confeſſionem homicidii, liceret illi negare disertè, hoc ſibi confeſſum eſſe *Petrum*; cum ergo animadvertet interrogans. Confeſſarium tergiverſari patet nihil paratius eſſe, quàm ut judicet, vel ſaltem ſuſpicetur, *Petrum* confeſſum eſſe homicidium. Hoc attendentes Theologi paſſim omnes, exceptis hiſce noſtris, docent licere illi Confeſſario reſpondere; *Neſcio*. Idem Reo interrogato de crimine occulto licet, *ſecundùm omnes Doctores* teſte *Adriano* S. T. Doctore Lovanienſi, cujus verba dabimus infrà. De his ergo ſapiens Lector viderit.

§. 3.

Specimen Modeſtiæ Lovanienſium Academicorum in Materia de mendacio & perjurio.

Nihil eſt familiarius hiſce noſtris, quàm doctrinam communem de reſtrictionibus ſic proponere exſibilandam populo & diſcipulis, ut hi exiſtimare debeant, ſimpliciter & generatim doceri, eas eſſe licitas: ſic propoſitâ doctrinâ exclamationibus indulgent, ut adnotavimus §. 1. ad Prop. 3. n. 2.

Habent verò ſus deque reſtrictiones purè mentales, & reales ex ipſis circumſtantiis petitas, ſi non ſint ad mentem interrogantis, ut ex dictis liquet: Quoniam verò docent Theologi omnes, cauſas & circumſtantias poſſe incidere ejuſmodi, ut non ſolùm liceat, ſed oporteat uti reſponſione, quæ non eſt ad mentem interrogantis, ut in Confeſſario interrogato, Conſiliario, aliiſque, ſtatuat Lector quàm æquæ ſint cenſuræ quas illi prodigunt in hac materia.

IOANNES quidem SINNICHIUS S. T. Doctor Lovanienſis in *Saüle Exrege* l. 1. c. 104. §. 392. in Theologos illos torquet *Auguſtini* dictum lib. *de mendacio* cap. 18. *Sunt in eis docti, qui etiam regulas figant fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi eſtis fontes lacrymarum; & quid facimus, quo abimus, ubi nos occultabimus ab ira veritatis, ſi non ſolùm negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere perjuria?* finis nullus ſit, ſi quæ effudit alia cenſoriè vel indecorè in præſente materia, proſequamur. Iſtud quidem indecorum §. 392. *Quis non mallet cum ſuo cane, quàm cum tali Socio converſari* &c. Haud minorem copiam miniſtrant quotidianæ Theſes: parcè libemus.

FRAN-

FRANCISCVS VAN VIANEN S. T. D. Lovanii die 6. Decemb. 1670. Theſi 3. hæc dedit alibi audita centies.

EGO AVTEM NON ASCENDO ad DIEM FESTVM ISTVM. Hic CHRISTVS reſtrictione mentali nequaquam uſus eſt; utpote quæ verum ſemper eſt mendacium; quam proinde ut pernicioſam & humanæ ſocietatis deſtructivam damnamus. Poteſtne dubium eſſe quin Chriſtus mente reſtrinxerit ſignificationem, quæ verbis illis ſecundùm ſe ſpectatis inerat? at circumſtantiis vis inerat ſignificandi reſtrictionem. Ineſt vis eadem circumſtantiis, ubicumque eſt cauſa ſufficiens mente reſtringendi: utcumque de illis circumſtantiis libuerit aliter ſpeculari, quibuſdam Theologis malentibus vocare cauſam ſufficientem reſtringendi, quàm circumſtantias conſignificantes. Quam cenſuram de hoc mereantur ſtatuant moderati judices. Lovanienſibus Doctoribus non credemus.

Farinæ ejuſdem ferè ſunt cætera: nos recreent Poëtæ Lovanienſes. Facundi hoc loco fuerunt: ſed parci erimus. Carmen accipe, quod primum occurrit, ad honorem illuſtriſſ. *IOANNIS CARAMVELIS* & *ANTONINI DIANA.*

Vnica noſtrarum quondam fiducia rerum
Inter Doctores, ut nova luna, novos.
Ergo tibi tanti eſt hæc noſtra reſtrictio mentis
Vt lubeat ſocios deſeruiſſe tuos?
Plena fuit ſemper tecum concordia nobis,
Et ſtetit in laxo dogmate ſtricta fides.
Per furtum, invidiam, cædes, per lubrica luxus
Crimina, perque omnes auſus es ire vias.
Et modò te mentis tam blanda reſtrictio terret?
Agnus, ſi trepidas, ecce DIANA prait.
Hoc duce miteſcas, nimiumque remitte rigorem
Ne nimiâ claudas aſperitate polum.

Accipe alterum occaſione arreptâ ex Theſi de qua §. 1. ad prop. 8.

Non penitus priſcis mentis reſtrictio ſæclis
Ignorata fuit; quamquam non cernere cuivis
Poſſe datum eſt; ſed adhuc cæcis oppreſſa jacebant,
Quæ modo detegimus, myſteria tanta tenebris.
Viderat hæc cunctis ſubtilior AVGVSTINVS,
Inque ſuis hâc ipſe (nota bene) creditur uſus
Arte fuiſſe libris. O! infelicia retro
Sæcula! queis tanti Doctoris ſenſa maligno
Non patuere orbi. Felicia ſæcula demum!

Eruta quando ipſis mentu reſtrictio prodit
E patribus, multos quondam occultata per annos.

Satis eſt ludorum Lovanienſium.

§. 4.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum in materia de mendacio, ut reprobatam à Scholâ Lovanienſi Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

ADRIANUS FLORENTIUS S. T. Doctor Lovanienſis, & ſubinde Pontifex Romanus. Quodlib. 11. poſt med. ad quoddam 2. argumentum lit. CC. pag. 245. col. 2. edit. Pariſ. Anni 1551. ſic docuit.

„ Ad ſecundum dico poſt *Henricum de Gandavo* quodlib. 1. q. 33. Juramentum „ de veritate dicendâ ſuper interrogandis, ſe non extendit ad penitus occulta, „ cum non poſſit juramentum eſſe iniquitatis vinculum...... & cum petit argu- „ mentum ; *vel dicet ſe nihil ſcire de illo facto penitùs occulto, vel tacebit, aut planè* „ *veritatem dicet ; ſi primum ? mentitur.* Dico, quod non mentitur ; quia ſolùm „ intelligitur diſtributio fieri pro his, quæ licet aliis pandere : quemadmodum, „ & Sacerdos licitè dicit, ſe hoc crimen non audiſſe ex eo ; quamquam adderet „ etiam, quod non in confeſſione Sacramentali, ſi loquens ſe reſtringere velit „ ad ea, quæ licitè referuntur. Et per hoc evitatur difficultas argumenti *ſi dice-* „ *ret, ſe audiſſe ab eo in confeſſione, verum diceret, ergo contradictoria aſſertio eſt falſa* „ non enim contradicunt, quando in unâ reſtrictius loquitur quam in alterâ : „ juxta hoc vide, quæ ad longum dicit p. 21. diſt. 4. q. 3. a. 13. cum Sacerdos pro- „ ducitur in teſtem, vel ſponte loquitur : præſertim cùm dicit Sacerdos ſe nullo „ modo ſciendi ſcire, ſic loquens, quantumlibet generalia ſint verba, *intendit ſe* „ *reſtringere* : & audiens ſimiliter debet intelligere. Non eſt mendacium.

Idem ADRIANUS in 4. de Confeſſione non procul à fine pag. 119. col. 2. edit. Lovanienſ. in eamdem ſententiam hæc dedit.

„ Ad ſecundùm principale dico, quod non obſtante juramento, tutè debet „ dicere, quod nihil ſcit de veritate articuli........ in jure occulto, quia non te- „ netur ſemetipſum prodere; adjuratus poteſt ſecundùm omnes Doctores reſ- „ pondere, quod nihil de facto illo novit, vel certè, quod non fecit : quia in- „ telligitur ſub limitatione prædicta “.

Hæc ſine dubio non ſunt conſentanea doctrinæ quam profitentur hoc tempore hi noſtri Doctores : *illicitum eſt Confeſſario reſpondere, ſe neſcire &c* ; quæ audivimus §. 2.

Sed

Sed inprimis notiſſima eſt doctrina Adriani Lovanienſis Doctoris in 4. de Sacram. Bapt. q. 1. pag. 5. col. 2. de ſimulante idololatriam, his verbis. „Item „ſerioſè ſimulando contingit, verum velle occultare per ſignum quo veriſimi-„liter credimus, alios decipiendos; quomodo *David* coram Rege *Achis* ſimu-„lavit, ſe furere: & ſi quis hoc modo ſimulet idololatriam, dum non requi-„ratur confiteri cujus ſectæ ſit, aut talis apud alios habeatur, qui facto ſuo alios „in errore confirmet, vel à veritate dejiciat, non videtur magis peccare idolo-„latriam ſimulando, quàm ſi metum, ut *Ioſue*, aut ſi furorem ſimularet, ut *Da-„vid*. Et hoc videtur conceſſiſſe *Helizeus Naman* & *Hieronymus* condemnare in „*Iehu* : & ſic licuit, maximè ex causâ, ſimulatè ſervare legalia; quomodo ſi „quis coram Sortilego, levando nomina inſcriptorum dicat; *Si videbas furem „currebas cum eo*; non animo invocandi dæmonem, ſed ut ſciſcitetur, an alius „talis ſit, & eum ab errore revocet, dicitur ſimulare ſuperſtitionem. „ Hæc Adrianus de quibus conſuli merebatur S. Sedes.

IOANNES MOLANVS S.T. Doctor Lovanienſis eadem ſapuit, quæ *Adrianus*. Quia in Theol. pract. tract. 2. cap. 29. concl. 4. n. 47. de Reo ſic docuit.

Quod ſi judex præter ordinem juris eum examinare audeat, citra mendacium reſpondere poteſt, NON FECI. Similiter cap. 34. concl. 3 n. 16 *Non tamen mentiri dicendus eſt Sacerdos, qui quod ex confeſſione novit*, NEGAT SE NOSSE.

ANONIMVS S.T.D. Lovanii die 12. Auguſti 1632. reſtrictiones mentales cum juſta cauſâ approbatas propoſuit Theſi 2.

Iurare amphibologicè, imò non ſecundùm mentem recipientis juramentum ex juſtâ causâ juxta ſenſum verum, & à jurante intentum, nec peccatum eſt, neque illicitum. Illicitum eſt uti reſtrictione mentali in juramento; *SECVS VBI EST IVSTA CAVSA.*

Quoniam verò quæſtio de æquivocatione & reſtrictione, quæ ad rem maximè pertinet in eo verſatur, an liceat aliquando illâ uti aliter quàm ad mentem interrogantis, conſideret Lector ea, quæ ſubdimus.

IOANNES MOLANVS S.T.D. Lovanienſis Theolog. practicæ tract. 2. c. 7. concl. 1. ſic docet.

Quacumque enim arte verborum quiſque juret, Deus qui conſcientia teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, qui juratur (ita habet textus rectius quidem videtur eſſe qui jurat) *intelligit. Admittit tamen hæc D. ISIDORI & anteriorum Patrum regula aliquot exceptiones. Primùm quando & violenta eſt & injuſta petitio; ut ſi Iudex petat à Reo juramentum ſuper crimen occultum, aut ſi maritus cogat jurare uxorem, quod non commiſerit occultè adulterium. Denique licet aliquando contra propinquam interrogantis intentionem jurare æquivocè; ut ſi puteris ex civitate peſtiferâ venire & ſcias ibi peſtem non eſſe; ſed contra finem jurare non licet. Ac poſtremum, quando aliquis importunè ac familiariter interrogat, quod ad eum non pertinet. Vt ſi dicat; jura mihi an is de me malè locutus ſit.*

Conſtat ſibi *Molanus* lib. 4. *de fide rebellibus ſervandâ* cap. 8. ubi ſic docet :

Vicina quaſtio eſt, an captivus pradonis teneatur de lytro ſuo jurare ſecundùm intentionem petentis. Dico ad id eum non teneri; eò quod prado per violentiam, & injuriam ab eo lytrum & juramentum extorqueat : ideoque aquivocè ei reſpondere poteſt, & aliud intendere, quam intendat ille cui juratur. Quomodo Azpilcueta poſt alios docet reſponderi poſſe judici incompetenti.

Abit ergo *Molanus* in ſententiam *Navarri*, quem eſſe patronum ſummum liciti quandoque uſus reſtrictionum mentalium etiam pueris notum eſt.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S. T. Doctor Lovanienſis reipsâ, & quod ad praxim attinet, nihil docuit diverſi ab eo quod *Navarrus* docuit : in omnibus dixit licere uti his vocibus *Non feci, Non ſcio*, ſubintelligendo *ut dicere liceat* in quibus id ille dixit licere ; legatur 2. 2. tract. 10. *de Iuramento* itemque ſpecialis ejus tractatus *de reſtrictionibus*. Accuratè hæc excuſſit *Guil. le Maire in ſtatera Saülis Exr.* ſec. 2. cap. 9.

GERARDVS VAN WERM S.T. Doctor ex illis unus qui hoc tempore expoſtulant apud Apoſtolicam Sedem, Lovanii die 27. Novemb. 1640. Aſſertionem hanc dedit Theſi 3.

Iuſtâ ex causâ prudenti in juramentis uti amphibologiâ licitum eſt. Iurans equidem per dolum, & in injuſtitiâ accipiens verba in alio ſenſu, quàm pra ſe ferunt, modò illum admittant, vi juramenti non obligatur, niſi juxta ſenſum illum à ſe intentum.

Ecce jurare interdum licet, accipiendo verba *in alio ſenſu quàm pra ſe ferunt* : tum verò poſtea non eſt curandus ſenſus, in quo illa accepit audiens.

Doctor idem Lovanii die 8. Novemb. 1656. Theſi 4.

Legitimè interrogatus veritatem contra ſe ipſum fateri debet, aliàs non. Sed ad veritatem celandam aquivocatione VEL ALIO ARTIFICIO interrogationem declinare aut eludere tunc poteris.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. & ipſe unus ex Auctoribus præſentis legationis ad S. Sedem Lovanii die 29. Novemb. 1652. Theſi 3.

Quamvis interdum ex juſtâ causâ licitè quis uti poſſit aquivocatione in juramento, numquam tamen licet uti reſtrictione mentali.

Prior pars hujus aſſertionis ſine dubio intelligenda eſt de illa æquivocatione, quam in alio ſenſu accepturus eſt audiens, quàm intelligat jurans : alioqui enim non eſſet laborandum de juſta cauſa. Poſterioris ergo partis modum loquendi haud gravatè condonabunt huic Doctori *Navarrus*, aliique aliter loquentes. Vide dicta §. 1. ad propoſ. 3. n. 2.

ANONYMVS S.T.D. Lovanii die 20. Novembris 1631. Theſi 1.

Reus non juridicè interrogatus à Iudice non tenetur fateri crimen; aliàs tenetur. Probabile etiam eſt eum ad hoc non teneri in causâ capitali, quamdiu eſt ſpes evadendi, licet interrogetur Iuridicè. Conferantur hæc cum propoſ. 6. §. 1.

IOANNES SCHINCKELIVS S.T.D. Lovanii die 24. Maji 1642. Theſi 4.

Qui

Qui prudenti amphibologia in jurando utitur, tenetur ſolùm juxta ſuum ſenſum, & tali amphibologiâ ſolum licet uti, quando juſta ſubeſt cauſa.

Doctor idem Lovanii die 13. Febr. 1640. Theſi 4.

Quotieſcumque jurans uſus eſt prudenti æquivocatione, non obligabitur per ſe & directè ex vi juramenti ad implendum illud juxta ſenſum ejus, cui juratur.

Hæc aſſertio procedit etiam in eo caſu, in quo non eſt juſta cauſa ſic æquivocandi: quia de caſu, in quo eſt juſta cauſa, mox ibidem plus aliquid aſſeritur his verbis.

Inſuper tali æquivocatione juſtâ de cauſâ licitè uti poterit.

Aliquantò confidentiùs priorem partem Theſeos expreſſam dedit GVILIELMVS AB ANGELIS S.T.D. Lovanii die 18. Maji 1640. Theſi 3.

Si cum jurares uſus ſis prudenti aliqua æquivocatione, aut Amphibologiâ, vi juramenti teneris tanſum juxta ſenſum tuum, non aliorum.

Hanc aſſertionem procedere etiam, in eo caſu, in quo non eſt juſta cauſa ſic æquivocandi, oſtendit conſequentiâ, quæ continuò ſubditur his verbis.

Quare aliquando juſta de cauſa tali amphibologiâ uti licebit.

Nullum invenerunt Auctorem Propoſitionis ſecundæ de juramento; *cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi &c.* malè truncatam propoſuerunt, ut vidimus §. 1. Exhibeamus Lovanienſes Doctores, qui probaverunt ejuſmodi juramenta nullam parere obligationem. Ac proinde juramenta non eſſe, adeoque nec malitiam perjurii habere poſſe. Quo poſito non eſt facilè explicatu, quam aliam rationem peccati ſaltem gravis habeant iſta non tam juramenta, quàm ſimulationes juramenti, ſecluſo ſcandalo, injuriâ proximi, & ſimilibus. Aſſertiones videamus.

IOANNES SCHINCKELIVS S.T.D. Lovanii die 13. Februarii 1640. Theſi 3.

Iuramentum quod fit exterius ſine intentione, non inducit per ſe obligationem.

Huic ſimilem aſſertionem dedit idem Doctor die 24. Maji 1642. Theſi 3.

GVILIELMVS AB ANGELIS S.T.D. Lovanii die 18. Maji 1640. Theſi 3.

Qui ficto animo juravit, vi ſolius juramenti non tenetur; ſed ſolùm quatenus alicui tertio per tale juramentum damnum inferretur, aut ſcandalum ex tali juramento naſceretur.

ANONYMVS S.T.D. Lovanii die 12. Auguſt. 1632. Theſi 2.

Exterius jurans animo non jurandi non tenetur vi juramenti.

GERARDVS VAN WERM S. T. D unus ex Auctoribus hujus Legationis, Lovanii die 27. Novembris 1640. Theſi 3.

Sine intentione jurandi ſimulatè jurans, licet graviter peccet, per ſe tamen ullo juramento vinculo tenetur.

CAP.

CAPUT VII.

De Homicidio.

§. I.

Ad doctrinam de Homicidio quam ut laxitatem Theologorum in Belgio repræſentarunt Sanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui fuſtem vel alapam nititur impingere, vel calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque licet quamvis poſt illatam fugiat.

PRIMO. Hanc Propoſitionem totam his verbis nuſquam invenerunt: priorem partem ferè excerpſere ex *Leon. Leſſii* lib. 2. *de juſtitia & jure* cap. 9. dub. 12. n. 77. poterant aliorum magno numero Auctorum verbis doctrinam eamdem repræſentare S. Sedi. Notiores illi ſunt peritis, quàm ut nominandi hîc ſint ſimulque doctrina illorum Sedi Apoſtolicæ & Romanis Theologis tam nota, ut non fuerit operæ pretium de hac illos doceri à Lovanienſibus Doctoribus.

Porrò de invaſore, qui fuſtem vel alapam nititur impingere viro honorato, abſolutè aſſerit *Leſſius*. De invaſore per calumniam nos aſſerit ſed negat.

SECVNDO. Poſteriorem Propoſitionis partem unde acceperint, nobis non conſtat. A *Leſſio* quidem accipere non potuerunt: potuiſſent à *Martino Navarro* in ſumma cap. 15. n. 4. *Petro Navarra*, aliiſque rem ipſam docentibus: ſed illi quidem in Belgio nihil turbarunt.

PROPOSITIO SECUNDA. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

PRIMO. Ne hujus quidem Propoſitionis Auctorem proferent. Legerunt in Theol. Mor. *Antonii de Eſcobar* Tract. 1. Exam. 7. cap. 3. num. 44. pag. 122. vel potius in libro ſibi caro *Lud. Montaltii* Epiſt. 7. pag. 169. *Regulariter autem MOLINA Tom 4. de Iuſtit. Tract. 3. D. 16. n. 7. unum aureum aſſignat*, quod idem

legere

legere potuerunt in libro *La Morale des Ieſuites* Tom. 2. pag. 362. *Molinam* ipſum adire eos piguit : non ſtatuit ille Regulam iſtam generalem, reſtringit enim notabiliter de eo loquens, qui uſurpat rem alienam *reſiſtente Domino, aut cuſtode illius* : Tum verò non affirmat licere eum occidere, ſed hoc ſolùm *condemnare non auderem*.

SECVNDO. Tædet inculcare toties, aberrare à ſuo ſcopo Doctores pro laxitate Theologorum in Belgio obtrudentes Sanctæ Sedi peregrinas doctrinas, imò ne peregrinas quidem ; cujuſmodi hæc ipſa eſt quam continet *Propoſitio ſecunda*.

PROPOSITIO TERTIA. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſivâ, quæ actu poſſidemus ; ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

Concepta eſt hæc Propoſitio verbis Amici tomo 5. diſp. 36. ſect. 8. n. 131. præterquam quod verbis Amici Doctores addiderint hæc pauca ; *defenſione occiſivâ*. Cæterum de doctrina illâ nullæ *contentiones*, nullæ *perturbationes*, aut *ſcandala* in Belgio, quod illi profitentur.

PROPOSITIO QUARTA. Quare licitum eſt tam hæredi, quàm Legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere : ſicut & jus habenti in Cathedram & præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

Hæc Propoſitio eſt altera pars Corollarii Tertii, quod *Franciſcus Amicus* loco citato deduxit ex communi doctrina. Porro & Cenſores Lovanienſes Anno 1653. & hoc tempore Doctores Propoſitionem *Amici* corruperunt injectâ voce *taliter*, ut intelligeretur ille Auctor expreſſiſſe licitam eſſe etiam juris defenſionem per occiſionem, quod ille cum expreſſiſſet in Corollario Primo & Secundo, cavit exprimere in Corollario Tertio : „ quod mihi argumento eſt, „ inquit, *Guilielmus le Maire in ſlatera* ſect. 1. c. 3. non tantam defenſionem juris „ ipſum voluiſſe permittere, quantam rei poſſeſſæ : neque contrarium convin- „ cit illatio : ut ſi ex eo, quòd liceat occidere. Ad defenſionem mille aureorum, „ inferam licere uti defenſione contra invaſorem unius ſolidi : Sicuti enim ſo- „ lidus ſua vilitate facit, ut intelligam illationem de defenſione proportionata „ ſic & jus, ſeu ſpes tantò vilior, quàm res. „

PROPOSITIO QUINTA. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida, occidatur aut infametur.

Propoſitio hæc eſt Articulus Nonus inter illos 17. quas Anno 1653. condemnavit Facultas Theologica Lovanienſis; niſi quod Articulus ſit verbis prolixior, & procedat de ſolâ probabilitate, & de *non facilè condemnandâ puellâ &c.* ut magis offenderet doctrina, abſolutam poſuerunt Doctores; *licet procurare abortum &c.* Porrò quis ſit Auctor Articuli, *Sinnichius* unus ex Cenſoribus, articulum tractans lib. 1. *Saülis exregis* cap. 110. §. 417. non prodidit. Licet igitur confidere neque Illuſt. *Caramuëlem*, neque *Tamburinum* neque *Amicum &c.* fuiſſe Auctores Articuli. Porrò doctrinam ipſam cenſuerunt probabilem *Leander à Murcia*, *Franciſcus Verde*, *Trullench*, *Lezana*, ut oſtendit *Matthaus Moya* in ſelectis quæſt. Tract. 6. q. 4. qui præter quemdam *Torreblancam* nullum invenit, qui eam abſolutè teneret. Nihil verò ad nos illi Auctores peregrini.

PROPOSITIO SEXTA. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cum paritur: & conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

PRIMO. Hæc Propoſitio eſt Articulus Sextus ex illis 26. quos die 4. Maji 1657. Solemniter condemnavit Facultas Theologica Lovanienſis: idque licet in libro nullo alicujus Theologi Propoſitionem aut ſaltem doctrinam ipſam inveniſſent. Doctoribus verò Lovanienſibus hoc tempore ſatis fuit Propoſitionem à ſuis Collegis fuiſſe damnatam Anno 1657. ut eam repræſentarent S. Sedi tamquam Theologiæ Moralis corruptelam in Belgio.

Dubitari ſcilicet non poteſt, quin occaſio formandi, & damnandi Articulum rapta ſit ex *Theologiâ Fundamentali* Illuſt. *Caramuëlis* n. 1163. aliàs 1623. ubi cum retuliſſet opinionem, quam ipſe paulò poſt improbabilem pronuntiat cujuſdam in Bohemia Proto-medici *Ioannis Marci* qui in quodam libro ſuo *Idearum operatricum Idea* dicto, & approbato à quibuſdam in Bohemia Theologis, conatus ſit oſtendere *non geri in utero fœtum animatum animâ rationali, quæ ſit ab animâ Matris diſtincta, ſed tunc tantùm animâ donari rationali cum emittitur*, hæc verba ſubjecit.

Profectò

Profectò ſi Doctori IOANNI MARCO *ſubſcribamus, dicamuſque omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cum paritur rejicere omnino debemus abortus diſtinctionem* (animati & inanimati) *& dicere in ullo obortu committi homicidium.*"

Hæc ſufficiebant his Doctoribus, ut Articulum formatum & damnatum à ſua Facultate Anno 1657. hoc tempore repræſentarent S. Sedi, ut laxitatem Theologorum in Belgio, ut materiam *contentionum, acerbitatum, perturbationum, ſcandalorum,* cum doctrina in Belgio nullius nominis ſit, & vix cognita.

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materiâ de Homicidio.

IOANNES SINNICHIVS S T.D. in ſuo *Saüle exrege* lib. 1. cap. 110. §. 165. pag. 460. col. 2. Propoſitionem, de qua §. ſuperiori, *non ſolùm licitum eſt defendere quæ actu poßidemus, ſed etiam &c.* notandum ſibi putavit cenſurâ gravi; *Pernicioſam, ac planè ſanguinariam continet Doctrinam*: mitiorem Cenſuram expectamus à Sede Apoſtolicâ.

Sed & mox gloriatur ob Articulum illum fuiſſe interdictum Romæ Tomum illum *Amici*; idque hoc argumento: quia Archiepiſcopus Mechlinienſis cenſuram Articuli Lovanienſem Anno proximo, hoc eſt 1654. Romanis Cenſoribus communicavit, & Romana Cenſura Anno 1655. Tomum illum *Amici* interdixit. Lapſus eſt vanâ gloriatione: Tomus ille *Amici* Romæ interdictus eſt, donec corrigeretur Anno 1651. die 18. Junii tribus annis priùs, quàm cenſura illa Lovanienſis Romam mitteretur. Tomum verò non fuiſſe interdictum ob illum Articulum patet ex Decreto S. Congregationis die 6. Julii 1655. quo jubetur fieri correctio illius Tomi, & permittitur intacta relinqui doctrina illa, quam *Sinnichius* poſtea damnavit ut *pernicioſam ac planè ſanguinariam.*

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 12. Decembris 1665. hæc propoſuit Theſi 3.

INTRATE PER ANGVSTAM PORTAM. *Hanc ſanè non intrant, qui per novas à ſe fictas probabilitates multis animabus laqueum injiciunt docentes V.G....... ad vitandam infamiam vel ſcandalum licere abortum procurare nondum animato fœtu.* Sic illi ac ſi in Belgio graſſaretur illa doctrina.

Hoc illi artificio nihil non laxitatis aſſignant bonis viris in Belgio, in quos hujuſmodi cenſuras intentari non dubitant diſcipuli: quantâ id Caritate, & ſinceritate, ſtatuat moderatus Lector attentis iis, quæ dedimus §. ſuperiori ad prop. 6.

ANDREAS LAVRENT S.T.D. Lovanii die 8. Octobris 1660.

Domini Sermonem, quantùm in ſe eſt, mendacem faciunt , qui ſimiles probabilitates inducunt; ut .... fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui alapam nititur impingere vel calumniam inferre. Nota Lector; hanc ipſam doctrinam propugnaverat non multò antè hic Doctor ut mox videbimus.

FRANCISCUS VAN VIANEN S.T.D. Lovanii die 25. Julii 1667. Theſi 1.

PERNICIOSE DOCETUR licere in ſolis bonis temporalibus nocentem vel nocere parantem occidere.

GERARDUS VAN WERM S.T.D. Lovanii die 26. Januarii 1671. Theſi 2.

Aſſentimur Theologis & Canoniſtis communiter docentibus non licere privatæ perſonæ pro ſola tuitione bonorum fortunæ invaſorem occidere: & cum multis Patribus fuerit perſuaſum, ne pro vita quidem defendenda hominem privatâ auctoritate interfici poſſe, non videmus QUA FRONTE Doctores Catholici Chriſtianos Chriſtiani ſanguinem pro honoris defenſione fundere poſſe, docere præſumant. Hanc ille Doctor cenſuram tulit in ſe ipſum illius Doctrinæ reum, ut patebit §. proximo.

Cenſurarum tædeat Theologicarum: à Poëtis Lovanienſibus ſumamus pauca, cum luſerint plurima. Primum hoc ſe offert Poëtæ irati Equum repetentis.

Perfide, quid moliris? Equum mihi redde: vel iſtâ
Impia trajectus viſcera glande cadis.
Quid memoras demens? illumque animamque nocentem
Furto demittes ad vada nigra ſtygis?
Demittam. Licitum eſt è vivis tollere furem,
Nam mihi non aliter reſtituendus equus.
Perſequar: æternam Ditis ſi ferre gehennam
Debeat; hoc audax imputet ipſe ſibi.
Nil moror; in profugum fatalem torqueo glandem:
Accipe pro meritis præmia digna tuis.

Accipe & hoc haud illepidum.

Scire cupis, quanti bos conſtet? adito macellum:
Auguror hâc numquam decipiere viâ.
Aſt pretium humanæ ſi vis cognoſcere vitæ;
De pretio tu me conſule, certus eris.
Aureus eſt hujus pretium, me Iudice, lucis;
Hunc tibi, ſi quis vult tollere, jure necas.
Fortè cui poterunt hæc dogmata mira videri,
Queis magè ſit bobus victima vilis homo.
Deſine mirari; noſtram bos cedit in eſcam;
Defoſſo vermes corpore paſcit homo.

Mirentur Poëtæ Romani doctrinam Theologicam in Poëtis noſtris: Lovanii ſunt exculti.

§. 3.

§. 3.

Doctorum Lovanienſium doctrinam ut reprobatam à Schola Lovanienſi repræſentarunt Sanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.

EX iis quæ dedimus in 3.p.*ſpecim*.cap.5. intelligitur ex doctrinâ Lovanienſium Doctorum hoc tempore numquam licere occidere privatâ auctoritate; niſi fortè ad defenſionem vitæ, de quo ipſi inter ſe diſſident, ut profitentes audivimus in 3.p.cap.5. Nuper admodum ſic ſapere incœperunt. Hoc videamus.

ANDREAS LAVRENT S. T. D. unus ex iis quorum nomine hoc tempore fit expoſtulatio apud S. Sedem de corruptelis Theologiæ Moralis in Belgio, quemque audivimus §. ſuperiore graviter notantem eorum doctrinam, qui cenſent, *Fas eſſe viro honorato occidere invaſorem qui alapam nititur impingere, vel calumniam inferre,* hac ipſa propugnavit Lovanii die 20. Januarii 1657. Theſi 3. his verbis.

Vir generoſus & nobilis, cujus virtus & fortitudo in armorum contrectatione reputatur conſiſtere, aggreſſori ipſum ignominioſè pugnis vel fuſtibus invadenti, etiam cum percutientis vitæ periculo probabiliter reſiſtere poteſt, quamvis fugâ vitæ ſuæ poſſet conſulere.

IOANNES SINNICHIVS S.T.Doctor paucis ante annis, quàm ſuum *Saülem* ederet in lucem, Aſſertionem priori ſimilem dedit Lovanii die 6. Febr. 1654. Theſi 2. his verbis.

Licitum tamen eſt viris ſæcularibus, quorum honor in armorum contrectatione conſiſtit, repellere aggreſſorem etiam cum illius occiſione, qui ignominioſè illos pugnis, vel baculo invadit, ſi aliter ejus ictus avertere nequeant.

IACOBVS PONTANVS S. T. D. planè his ſimilem Aſſertionem dedit Lovanii die 23. Auguſti 1653. Theſi 3. & quidem adjectâ clauſulâ *quamvis fugere poſſet.*

GERARDVS VAN WERM S.T.D. Unus ex illis qui præſentem legationem inſtituerunt Lovanii die 28. Martii 1654. Theſi 3.

Vitam proximi, quam injuſtè quis invadit, ſi aliter nequeas, licitè etiam cum invaſoris occiſione tueberis. Idem dicendum de pudicitiâ, honore, & fortunis proximi, quando ſunt magni momenti. Hæc ille Doctor quem §. ſuperiori mirantem audivimus, *quâ fronte Catholici* Theologi docerent licere Chriſtiano, *Chriſtiani ſanguinem fundere pro honoris* defenſione.

GVILIELMVS AB ANGELIS S.T.D. Lovanii die 23. Julii 1648. Theſi 1.

Invaſor cenſetur etiam is, qui abſolutè decrevit alterum occidere ſive per ſe ſive per alium. Imò etiam is, qui per calumniam apud Iudicem efficaciter machinatur mortem alterius.

alterius. In ejus tamen occiſione adhibenda eſt cautio, videlicet ut certò conſtet non ſupereſſe aliud remedium.

GVILIELMVS MERCERVS S.T.D. Lovanii die 26. Januarii 1635. Theſi 2.

Injuſtum Invaſorem vitæ tuæ cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ: ſimiliter tam furem diurnum, quàm nocturnum tuas res magni momenti auferentem, nec ſpes ea aliter recuperandi ſubſit, item invaſorem pudicitiæ, ſi aliud medium eum repellendi non affulgeat, licitè occides. Sed ſi quis honorem injuſtè auferre conetur: non poteris niſi certis dumtaxat caſibus. de hoc quidem nemo dubitat.

HENRICVS RAMPEN S.T.D. Lovanii die 21. Jan. 1638. Theſi 2.

An ſi quis alteri honorem injuſtè auferat, auferentem liceat occidere? certis dumtaxat caſibus.

IACOBVS BAIVS S.T.D. Lovanienſis Lib. 3. Inſtit. Relig. Chriſt. cap. 70. cum docuiſſet licere occidere invaſorem vitæ, idque licet invaſori *periculum damnationis æternæ ſubſit*, mox hæc ſubdit.

An verò pro defenſione rerum temporalium vitam invaſori eripere liceat, majorem dubitationem habere poteſt: ait enim AVGVSTINVS &c. Relatâ *Auguſtini* ſententiâ, ab illo diſcedit propter ſacram Scripturam de occiſione furis nocturni. Mox pro licitâ occiſione ad defenſionem honoris refert ſententiam Doctorum, atque in hanc ait inclinare *S. Ambroſium*, ipſe verò non contradicit.

IACOBVS BEETS S.T. Doctor Lovanienſis in Decal. Præcept. 5. expoſ. 3. cap. 2. cum ſibi objeciſſet *Hugonis* auctoritatem, *quòd mortaliter peccet tam Clericus, quàm laicus, qui ob defenſionem ſui vel rerum ſuarum aliquem propriâ auctoritate occidit*, Reſpondet: *Sed gloſſa dicit, quod hæc opinio eſt nimis dura.*

GVILIELMVS ESTIVS S.T. Doctor Lovanienſis in 3. D. 37. §. 21. ſic orditur. *Difficilior quæſtio eſt, utrùm qui ſe, ſuaque defendens contra invaſorem ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ut loquuntur eum occidit, impingat in hoc Decalogi præceptum, aut omnino peccare dicendus ſit. Ita enim docere videntur AMBROSIVS ET AVGVSTINVS.* Relatis horum Patrum ſententiis, quibus videri poterant peccatum hic agnoſcere ſic pergit: *Sed contrariam opinionem probabiliorem efficit lex naturæ, ratio & auctoritas .... ratio quoque aperta eſſe videtur ..... Iuxta hanc igitur probabilem ſententiam, licitum eſt ſe ſuaque defendere, utendo ad hoc inſtrumentis etiam talibus, ex quibus mors invaſoris ſequatur.* Hic nota obiter; *juxta hanc probabilem ſententiam licitum eſt*; idque in materiâ juris naturæ.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S. T. Doctor Lovanienſis Tract. 3. *de Iuſt. & Iure* cap. 1. Dub. 13. Concl. 7.

Non ſolùm laicis, ſed etiam Clericis & Religioſis licet pro defenſione rerum, quando neceſſitas ita poſtularet, occidere invaſores.

Idem loco cit. dub. 14. Concl. 1.

Pro pudicitiâ licet invaſorem occidere. & Concl. 2. *Aliquo caſu pro defenſione honoris licere invaſorem occidere probabilior & communis habet ſententia.* Mox exprimit caſus duos, quibus id licet.

Primus

Primus eſt, *quando invadit te injuſtè aliquis, ut occidat, mutilet, aut notabiliter verberet, & fugiendo, aut non impediendo ejuſmodi injuriam incurres gravem infamiam, tamquam iners & degener miles* &c.

Caſum ſecundum ſic explicat. *Miles, vel aliquis alius, cui ignominioſum eſſet, & in honore valde noxium aliter facere, poteſt ex incontinenti eum reverberare: qui ſe ignominioſè prior percuſſerit, & quaſi inſultans adhuc coram ſubſiſtit, etiamſi ulterius non invadat: & ſi ex hujuſmodi repercuſſione rixa oriatur, non tenetur fugere, ſed poteſt, ſi opus ſit, cum moderamine inculpatæ tutelæ Adverſarium occidere. Hæc tamen ..... non procedunt de Clerico aut Religioſo, quibus fugere non eſt indecorum. Si tamen ipſi ſeſe defenderint, aliàs ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, dubium eſt, an peccent contra Iuſtitiam, an ſolùm contra charitatem. Verius eſt non peccare contra Iuſtitiam.* Hæc Lovanienſis Doctor Epiſcopus.

Hos locos ſi adiviſſent hi noſtri Doctores, potuiſſent & ſinceriùs & utiliùs informare Sanctam Sedem de doctrinâ Theologorum in Belgio: neque neceſſe habuiſſent vitiatas, aut nullius Auctoris Theologi offerre Propoſitiones, neque tamquam laxitatem Theologorum in Belgio obtrudere inanem cogitationem cujuſdam Proto-medici Pragenſis de animatione fœtus humani in ſolo partu; inveniſſent alia de abortu de quibus conſuli poterat utiliùs Sancta Sedes. Exemplum hoc ſe offert.

HENRICUS RAMPEN S.T. Doctor Lovanii die 21. Januarii 1638. Aſſertionem hanc dedit Theſi 3.

Mulieri prægnanti pharmacum directè tendens ad fœtus extinctionem ne detur, quamvis id neceſſarium ad Matris ſalutem putetur. Deſperatâ vitâ matrem etiam volentem ſecare aut interimere, ut proles ſalvetur, minimè licet: ſed ægrotanti pharmacum proponere licitum eſt, ſi non directè intendatur, etiamſi per accidens ſequatur abortus. Nota, Lector, procedere aſſertionem de abortu fœtus animati ſeu *prolis*, ad quam *ſalvandam* negatur licita eſſe ſectio Matris, affirmatur verò licitum eſſe præbere Matri pharmacum, *ſi non directè intendatur, etiamſi per accidens ſequatur abortus.* Scimus non deeſſe Auctores hujus doctrinæ Patronos, ſed hoc alibi non moratur hos Doctores.

CA-

CAPVT VIII.

De Peccatis Injuſtitiæ.

§. I.

Ad Doctrinam de peccatis injuſtitiæ quam ut laxitatem Theologorum in Belgio repræſentarunt S. Sedi Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

PRIMO. Hæc Propoſitio eſt Articulus octavus ex illis 26. quas die 4. Maji 1657. ſolemniter damnavit Facultas Theologica Lovanienſis. Cenſorum unus fuit *IOANNES SINNICHIVS* qui in ſuo *Saüle Exr.* Lib. 1. cap. 116. §. 442. pag. 526. col. 1. Articulum tribuit *Thomæ Tamburino* lib. 8. Tract. 4. c. 1. §. 9. n. 8. in fine: unde credibile eſt, occaſione eorum, quæ ibi definit *Tamburinus* fabricatum eſſe Articulum: nam ibi quidem ad verbum ille non invenitu.

Fabricatus verò eſt articulus ita, ut ſit ſtolidiſſimus, ſi verbum *furari* accipiatur in ſua proprietate. Quare & cenſores hoc verbo offenſi ſic inchoarunt ſuam cenſuram. *Furari nullo caſu permiſſum eſt.* Atqui Tamburinus loco citato non eſt uſus verbo *furari* ſed *ſurripere*, & de reipsâ nihil definivit, ſed aliud agens injecit per tranſennam hoc unum: *In gravi neceſſitate etiam aliena poſſe ſurripi, nedum propria occultari communis jam nunc ſententia eſt.*

SECVNDO. Non valde aberraſſe *Tamburinum* vocando communem illam ſententiam norunt periti: eſt enim ſententia *Sylveſtri* V. *Furtum* q. 5. *Angeli* V. *Furtum* n. 37. *Navarri* in ſum. c. 17. n. 5. *Petri à Navarra* de reſt. L. 3. c. 1. n. 372. Auctores multò plures dabit *Diana* p. 2. tr. 17. reſ. 29. & nos infra deſignabimus Lovanienſes Doctores ejuſdem doctrinæ patronos, quorum verbis concipere potuiſſent Articulum Cenſores.

TERTIO. Ex his Lector intelligit, quàm fuerit operæ pretium Lovanienſes Doctores hoc tempore inſtitutâ legatione docere S. Sedem de præſenti doctrina, ut laxitate quadam Theologorum in Belgio: qui iidem ubi doctrinam tradiderint, libenter intelligemus. Solent hi circumſpectiùs loqui in hâc materiâ: ut Illuſt. *Guilielmus Herinx* Iprenſium Epiſcopus Diſp. 12. *de Virtutib.* q. 3. n. 61. ſatis habens affirmare, *non improbabiliter* iſtud aſſeri, quando dives ipſe obligatur eleëmoſynam præſtare, & non vult, quam cautionem adhibuit quoque *Franciſcus*

cus Bonaſpei Tract. *de Charitate* Diſp. 5. Dub. 3. n. 39. Hi ſunt in Belgio celebriores Scriptores hoc tempore. Sed hi noſtri Doctores ferè occupati fuerunt in Hiſpania Italia, & alibi, ut ſummo Pontifici exponerent corruptelam Theologiæ Moralis in Belgio.

PROPOSITIO SECUNDA. Famuli & Famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod accipiunt.

PRIMO. Hæc Propoſitio eſt Articulus 9. ex illis 26. quos Facultas Theologica ſolemniter damnavit die 4. Maji 1657. *Ioannes Sinnichius* unus ex Cenſoribus in ſuo *Saüle Exr.* lib. 1. cap. 116. §. 442. pag. 527. col. 2. Auctorem Articuli facit *Stephanum Baunii* Scriptorem Gallum in ſumma peccat. pag. 213. Accipiat Lector quod jam pridem repoſuit Sinnichio *Guilielmus Le Maire* in *Statera Saülis Exr.* Sect. 1. cap. 13. §. 1. pag. 83. his verbis.

„ *Baunius* iſto loco id non affirmat licere famulis, niſi in duobus caſibus ſin-
„ gularibus; atque hoc ipſum tribus adhibitis reſtrictionibus: adeat, cui id
„ lubet, *Baunium*, & miretur *Sinnichii* præcipitem citationem. Sapientiùs *Guili-*
„ *elmus Herinx*. Tract. *de Iuſt*. D. 8. q. 7. n. 118. notari jubet, famulos & ſimiles ple-
„ rumque de inſufficientia ſtipendii conqueri ſine ſufficienti ad compenſatio-
„ nem fundamento. Sed de hoc neque *Baunio* dubium eſſe potuit.

SECUNDO. Merentur tamen Lovanienſes Doctores hanc excuſationem, quod Auctor Anonymus infamis damnatique libelli in Gallia editi circa Annum 1644. cui titulus *Theologie Morale de Ieſuites*, Doctrinam ſimilem *Baunio* adſcripſit pag. 5. turpiter queſtionem ipſam à *Baunio* propoſitam vertens in aſſertionem: non eſt obſcurum libellum illum fuiſſe utilem ad delectum Articulorum, quos condemnarunt hi Doctores, ut oſtendit *Guil. le Maire* in *ſtatera Saülis Exregis* ſect. 3. cap. 5.

PROPOSITIO TERTIA. Qui ceſſit foro, poteſt ſibi retinere bona, quibus indiget ad ſuſtentationem familiæ, ne indecorè vivat, licet debita pro quibus cedit, ſint ex injuſtitia & notorio delicto contracta.

PRIMO. Hæc Propoſitio eſt Articulus 10. ex illis 26. quos condemnavit Facultas Theologica Lovanienſis die 4. Maji 1657. *Ioannes* verò *Sinnichius* unus

ex Cenſoribus in *Saüle Exr.* l. 1. cap. 116. §. 442. pag. 526. col. 1. exemplo *Montaltii* epiſt. 8. pag. 182. Articulum attribuit *Antonio de Eſcobar* Tract. 3. Exam. 2. cap. 6. n. 163. Audiatur ergo rurſum *Guil. le Maire* in *ſtatera Saülis exr.* ſect. 1. cap. 13. §. 2. pag. 84.

„ *Eſcobarius* Theol. Mor. Tract. 3. exam. 2. cap. 6. n. 163. loco à Sinnichio citato, partem Articuli, quæ eſt invidioſa, de eo qui debita contraxit *ex injuſtitia & notorio delicto*, ſic mitigat; *Quamvis tunc non poſſit tantum, quantum alias retinere.* Ad hæc *Eſcobarius* profitetur iſto loco, ſe id docere, quod *Leſſius* docuerat. *Leſſius* verò lib. 2. cap. 16. dub. 3. n. 45. quod attinet ad retinenda neceſſaria, *ut non indecorè vivat is*, qui eſt debitor ex delicto, id ſolùm pronuntiat de iis bonis, quæ poſt ceſſionem acquiruntur, de quibus ſolis etiam *Eſcobarius* non obſcurè oſtendit ſe loqui: agit enim de eo, *qui ceſſit bonis & poſtea ad pinguiorem fortunam accedit.* Rurſus *Leſſius* ſolùm docet, id ei licere indulgentiâ legum civilium: adeoque non affirmat licere, ſicubi leges illæ vigorem non tenent: eadem ergo fuit mens *Eſcobarii*: adeoque non unâ ratione negabit articulum ad ſe pertinere".

SECUNDO. Et his ſtatuat Lector de accuratione horum Doctorum præſentem propoſitionem repræſentantium S. Sedi, & quidem ut corruptelam Theologiæ Moralis in Belgio, ex qua apud nos *contentiones, acerbitates, ſcandala &c.* Nominari optamus vel unum in Belgio Theologum, qui doctrinam tradiderit, quam continet propoſitio.

PROPOSITIO QUARTA. Vxores & filii, qui poſt mortem virorum aut parentum inveniuntur non eſſe ſolvendo eorum debita, poſſunt ex bonis relictis tantum ſubtrahere, atque occultare, quantum ſatis judicetur etiam ad ſuum ſtatum honeſtè conſervandum, & in judicio jurare, ſe nihil occultare.

Inaudita in Belgio eſt propoſitio; quod quidem aſſequi licuerit; fortè & inaudita alibi terrarum. Ut ſe eximant Doctores ſuſpicione fabricatæ ab ipſis propoſitionis, poſtulamus edi nomen Auctoris, qui eam tradidit tam indefinitam & generalem. Tum verò non oſtendent ex ea ortas in Belgio *Contentiones, perturbationes, ſcandala*, quod profitentur.

§. 2.

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de peccatis injuſtitiæ.

SAtis fuerit hoc loco Specimen dare earum cenſurarum , quibus die 4. Maji 1657. Facultas Doctorum Lovanienſium condemnavit articulos 26.

Articulum 9. qui eſt Propoſitio ſecunda ex modo recenſitis ; *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, &c.* hâc cenſurâ notarunt.

Hæc aſſertio falſa eſt, naturam hominis de ſe pronam ad malum præcipitans in furta, ac pacem domeſticam perturbans : eo vel potiſſimùm , quod iſta compenſatio ipſorum famulorum, & famularum judicio relinquatur.

Occaſio fabricandi Articulum rapta eſt ex ſummâ *Stephani Baunii*,ut oſtendimus: adeat ſcriptorē illũ,cui id lubet & ſtatuat,an cenſurâ illâ dignus videatur.

Articulum 10. qui eſt propoſitio tertia ex recenſitis; *qui ceſſit foro , poteſt ſibi retinere bona, quibus indiget ad ſuſtentationem familiæ, ne indecorè vivat, licet debita, pro quibus cedit, ſint ex injuſtitia & notorio delicto contracta,* his verbis damnavere.

Hæc aſſertio in ſua generalitate falſa eſt & pernicioſa ſequelæ; utpote pleroſque fures, & alienorum bonorum uſurpatores liberans à reſtitutione.

Conſideret ea Lector quæ §. ſuperiori ad propoſitionem tertiam dedimus, ſtatuatque an doctrina , unde arrepta eſt occaſio Articulum fabricandi digna ſit cenſurâ hujuſmodi.

Libemus quædam amœniora è multis, quæ obtulerunt Lovanienſes Poëtæ Anno proximè ſuperiori. Ad propoſitionem primam luſum eſt variè. Palma detur auctori hujus carminis.

Aſpicis ut toto latè graſſetur in orbe
Paupertas ? fugiunt deſerto rure coloni,
Inque enſes conflant falces. Pars ore tremente
Exiguæ ſtipis æra rogat ; pars languida pallet
Ora fame pavida matres, puerique ſeneſque
Errant incerti, nec quiſquam ſublevat ægros.
O miſeranda cohors ! nimium ſufferre parata !
Ingenioſa parum ! placet ergo turpis egeſtas ?
Ecce patent locupletum ædes & plurima ſpondent :
Poſce aliquid. dabitur ; vel ſi patiare repulſam,
Subtiles impende manus,clam ſurripe quidquid,
Eſt opus, ut gravius pellas à corpore damnum.
Tantum in opes juris felix tibi fecit egeſtas.

Ad propoſitionem ſecundam ſic luſit alter.

Infelix Domino famulus qui ſervit avaro,
Qui miſer exigua pro ſtipis ære meret.
Omnia perpetitur, diſcurrit, ſudat & alget,
Ad nutum Domini ſtatque caditque ſui.
Vix defeſſus habet quod inani ſufficit alvo,
Sæpe levant panis mucida fruſta famem.
Quod ſi ructavit forſan malè, ſi malè minxit
Terga patent flagris, verberibuſque caput.
Interea memori ſcribantur cuncta libello
Vt tibi pro meritis ſurripuiſſe queas.

Ad Propoſitionem tertiam hæc accipe.

Reſtat adhuc aliquis toto non dives in orbe
Mercator? cui noſtra nihil doctrina, vel artes
Profuerint noſtra? multus cui limina replet
Creditor? hanc illi extremam præſcribo medelam.
Cede foro, diſcede domo; ſibi dividat ædes
Creditor; & vacuis reſtat ſi parva ſupellex
Ædibus; exiguus lebes, ſartago, paropſis.
Atque humiles ſedes paucis vix aſſibus emptæ,
Omnia divendat: quando prius optima quæque
(Ne ſolito careant uxor gnatique decore)
Abſtuleris, nil ſævus habet quod creditor ultra
Exigat; & ſtatui ſic conſuluiſſe decorum eſt.

His luſibus dum plauditur Lovanii, filum repetamus ſeverius.

§. 3.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de peccatis injuſtitiæ, ut reprobatam à Lovanienſi Scholâ, S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

GERARDVS VAN WERM S.T. Doctor Lovanienſis unus ex iis, qui expoſtulant hoc tempore apud Apoſtolicam Sedem de corruptelis Theologiæ Moralis, itidemque ex illis unus qui Anno 1657. ſolemniter condemnarunt Propoſitionem primam de peccatis injuſtitiæ, quâ aſſeritur licere furari, hoc eſt,

ſurripere

ſurripere in gravi neceſſitate, nullâ dignam cenſurâ putavit aſſertionem, quam Lovanii propoſuit quatuor ante annis ſeu die 17. Junii 1653. theſi 2. his verbis.

Probabile eſt non tantùm in neceſſitate quæ abſolutè extrema eſt, ſed etiam in valde gravi licitum eſſe pauperi auferre illud quo indiget ab homine divite, qui per ejuſmodi ablationem non incidet in aliquam neceſſitatem aut notabile ſtatus detrimentum.

IOANNES ipſe *SINNICHIVS* unus & ipſe ex Cenſoribus Propoſitionis ejuſdem, die 3. Februarii 1648. Aſſertionem propugnavit ut probabilem, quam in ſuo *Saüle Exrege* lib. 1. cap. 116. §. 442. pag. 526. col. 1. vocat *benignorum laxonum*, quæ ſic habet Theſi 3.

Probabile cenſemus, non ſolùm in extremâ, ſed etiam in gravi neceſſitate morbi, famis, nuditatis poſſe te clanculùm ſurripere ab opulentis; ſi aliter grave illud malum evadere nequeas.

CHRISTIANVS BEVSECVM S.T.D. Lovanii die 7. Auguſti 1638. Theſi 4.

Probabile etiam videtur non modò in extrema, verùm etiam in valde gravi neceſſitate morbi famis aut nuditatis pauperem ab opulento ſurripere poſſe, ſi grave illud damnum, aliâ viâ impedire nequeat.

GVILIELMVS MERCERVS S.T.D. Lovanii die 11. Decemb. 1638. Theſi 3.

Licet pauperi in neceſſitate etiam ſolùm valde gravi auferre illud quo indiget, ab homine divite non paſſuro per hoc notabile ſtatus detrimentum.

SEBASTIANVS STOCKMAN S.T.D. Lovanii die 4. Septemb. 1648. Theſi 3.

Hoc præceptum (non furtum facies) *non prævaricatur ille, qui in valde gravi neceſſitate conſtitutus tantum accipit ab homine divite, quantum ſibi ſufficit & neceſſarium, ad neceſſitatem ſuam ſublevandam; ſi videlicet id petenti negetur.*

IOANNES WIGGERS S.T.D. Lovanienſis tract. 3. de Juſtit. cap. 6. dub. 1. n. 7.

Dico ſecundò non tantùm extrema, ſed etiam gravis neceſſitas alicujus, aut ſuorum, vel proximi excuſat eum à reſtitutione, quamdiu illa durat; niſi creditor ſimiliter eſſet in neceſſitate gravi. Ita communiter Doctores, & probari poteſt; quia multi tenent, quod in gravi neceſſitate liceat etiam clanculùm ſurripere à ditioribus, quando fit ſine ſcandalo. Approbat ipſe hanc rationem, quia aliam concluſionis ſuæ probationem nullam affert.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S.T.D. Lovanienſis 2. 2. q. 32. art. 6.

In gravi neceſſitate, etiamſi ea non fuerit extrema probabile eſt licere pauperi auferre illud, quo indiget à divite, qui per hanc ablationem non incidit in gravem ullam neceſſitatem, aut notabile ſtatus detrimentum.

Habes Lector doctrinam Lovanienſium Doctorum reprobatam à Schola Lovanienſi atque ab ipſis repræſentatam S. Sedi ut corruptelam Moralis Theologiæ in Belgio, expreſſam propoſitione prima de peccatis injuſtitiæ: reliquarum propoſitionum de iiſdem peccatis Patronos aſſignabimus, cum oſtenderint non eſſe Propoſitiones ſtudio fabricatas ad Cenſuram: vide quæ ad eas adnotavimus §. 1.

CAPVT IX.

De Reſtitutione.

§. I.

Ad Doctrinam de Reſtitutione, quam ut Laxitatem Theologorum in Belgio Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta; quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

PRIMO. Hæc Propoſitio eſt Articulus 16 ex illis 17. quos Facultas Theologica Lovanienſis ſolemniter condemnavit Anno 1653. *Ioannes Sinnichius* unus ex illis Cenſoribus in *Saüle Exrege* lib. 1. cap. 116. §. 442. pag. 525. col. 2. Articulum aſſignat *Stephano Baunii* in *ſummâ peccat.* pag. 220. Hanc paginam facilè fuit invenire his Cenſoribus: etenim ſignaverat eam pridem auctor Anonymus libelli famoſi *Theologie Morale des Ieſuites*, pag. 15.

Sed impoſturam Anonymi perſpiciat Lector. *Baunius* ibi in re diſputatiſſimâ inter Theologos hoc unum definit, quod ultimum furtum minutum, quo completur damnum grave, non ſit peccatum mortale. Mox verò ait, indè quoſdam conficere, non eſſe obligationem gravem reſtituendi ſummam minutis furtis acceptam, de quo ipſe nihil decernit.

SECVNDO. Putarunt hi Doctores *Stephanum Baunii* ſcriptorem Gallum eſſe Auctorem Propoſitionis, vel doctrinæ illâ contentæ, qui revera illius Auctor non eſt: hoc ſatis erat ut illam cenſurâ ſuæ Scholæ notatam offerrent S. Sedi ut corruptelam Theologiæ moralis in Belgio, occaſione cujus orta ſint in Belgio *ſcandala, perturbationes publicæ &c.* Quod eſt alieniſſimum à vero.

PROPOSITIO SECUNDA. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum Tertio, non tenetur ad reſtitutionem illius damni illati.

PRI-

PRIMO. Hæc Propoſitio eſt Articulus 12. ex illis 26. quos damnavit Facultas Theologica Lovanienſis die 4. Maji 1657. *Ioannes Sinnichius* unus ex illis Cenſoribus in *Saüle exrege* lib. 1. cap. 116. §. 442. pag. 527. col. 2. Articulum attribuit *Stephano Baunii* in ſummâ peccat. pag. 307. 308. Præiverat Anonymus Auctor libelli infamis *Theologie Morale des Ieſuites*, magis accuratus in deſcribendis verbis *Baunii*, quàm fuerunt hi Doctores, qui ex illo *Baunii* loco occaſionem arripuerunt fabricandi Articulum. Audiendus ergo *Guilielmus le Maire in ſtaterâ Saülis exregis* ſect. 1. cap. 13. §. 1. pag. 83.

„ Articulus eſt univerſalis de quocumque inducente. Inducere autem ut „ *D. Thomas* explicat 2. 2. q. 62. a. 7. eſt *movere præcipiendo, conſulendo &c. Baunius* „ autem iſto loco hoc unum affirmat, non obligari ad reſtitutionem, qui pre- „ cibus induxit, nullam imponendo obligationem præcipiendo, comminando „ &c. ponitque eum, qui rogatur, ut malè faciat, *ſuâ ſolius voluntate* malè „ facere &c. „

SECVNDO. Poſtulamus vel unum nominari è Belgis Auctorem Propoſitionis, quam in libello ſupplici profitentur, excitaſſe in Belgio *Contentiones, Acerbitates, ſcandala.* Ne quidem aſſignabunt cui placuerit propoſitio ſic reſtricta uti eam reſtrinxit *Baunius.*

Propositio Tertia Neque reſtituendum quod pro iniquâ ſententiâ, neque quod pro iniqua occiſione acceptum eſt.

PRIMO. Agendo de obligatione reſtituendi opere jam patrato, ſatis paſſim illam negant in Belgio Theologi ſpectato jure naturæ. Reſtituendum eſſe, ſi lex poſitiva præcipiat, nemo poteſt dubitare: an verò id generaliter præcipiat lex poſitiva altercatio eſt, gravibus Auctoribus, ut periti norunt, id negantibus cum *Navarro* in ſum. Hiſp. cap. 17. n. 33. ſignanter retractante, quæ his contraria olim ſcripſerat. De lege poſitiva minùs hìc laborant noſtri Doctores, ſi Collegæ *Sinnichio* aſſentiuntur, cujus argumenta in *Saüle exrege* lib. 1. cap. 109. §. 410. eò ferè tendunt ut jure naturæ ſit obligatio reſtituendi accepta pro ſententiâ injuſtâ.

Statuat ergò Lector, an fuerit operæ pretium à Lovanienſibus Doctoribus inſtitutâ legatione doceri Sanctam Sedem de hac doctrinâ à quibuſdam Theologis in Belgio tradita. Certè Emin. Cardinalis *de Lugo* diſp. 18. *de juſtitia & jure* ſect. 3. n. 54. doctrinam appellavit *communem Theologorum ſententiam attento jure naturæ.* Plus etiam *Petrus de Ledeſma* in ſum. tom. 2. tract. 8. *de juſt. commut.* cap. 11. cum dixiſſet ſiſtendo in ſolo jure naturali, & divino, lucrum ex operâ malâ non eſſe reſtituendum inter alia exempla ponens lucrum ex ſententiâ judicis

dicis injuſtâ, hæc ſubdit: *hanc concluſionem docent* OMNES DISCIPULI S. THOMÆ. *Hæc concluſio* EST CERTISSIMA.

SECUNDO. Si hos Doctores offenderit generalis aſſertio non reſtringens ad obligationem ex jure naturæ, ac nequidem excipiens pretia Simoniaca, & ſi quæ alia lex ſpecialis exceperit, ipſi viderint undè acceperint aſſertionem tam generalem: nos infrà aſſignabimus Lovanienſes Doctores, & quidem ex his ipſis, qui hoc tempore expoſtulant apud Sanctam Sedem, à quibus illam accipere potuerunt.

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de reſtitutione.

IOANNES SINNICHIUS S.T. Doctor Lovanienſis in *Saüle exrege* lib. 1. c. 109. §. 410. pag. 452. relatâ ſententiâ THOMÆ TAMBURINI l. 7. c. 5. §. 3. negantis obligationem reſtituendi accepta prò ſententiâ injuſtâ jam lata (*excipe ſemper niſi leges irritaverint pactum, ſeu permiſſionem*, ut cavet ibi n. 19.) Specimen dedit modeſtiæ ſimul & peritiæ his verbis.

Ecce repertus eſt probabilitatum patronus, qui, tametſi injuſtæ ſententiæ prolationem improbet, pecuniæ tamen pro eâ receptionem juſtificat, & recipientem cum hæredibus ab obligatione reſtituendi liberat .... Auctoris probatio ſatis oſtendit, Aſſertionem rectiſſimè à Senonenſi fuiſſe cenſuratam, non modò ut FALSAM, & ABSURDAM, *quod quiſque vel mediocriter ſapiens ipſo ſtatim auditu, vel lectu perſpicit; ſed inſuper* PERNICIOSAM. Agit de probatione, quâ oſtenderat *Tamburinus*, nihil licere accipere pro ſententiâ juſtâ, quia hæc *debetur clienti.*

FACULTAS THEOLOGICA Lovanienſis Anno 1653. cum legiſſet in ſumma *Stephani Baunii* ultimum furtum minutum, quo completur damnum grave, non eſſe peccatum mortale; vel cum legiſſet in libello infami *Baunium* in ſuâ ſummâ docere, *non teneri quempiam ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta &c.* quod nuſquam ille aſſeruit, Articulum ſolemniter condemnavit, ut *in praxi non tolerandum, & meritò prohibendum à ſuperioribus* atqui hæc illi ad invidiam Baunii ut conſtat ex §. ſuperiori, atqui certum eſt propoſitionem ad Baunium non pertinere.

Eadem Facultas occaſione haud abſimili Propoſitionem ſecundam condemnare non dubitavit ut *apertè falſam, & receptiſſimis juſtitiæ regulis contrariam.* Videat Lector quæ ad Propoſitionem ipſam adnotavimus de doctrinâ *Baunii*, quæ etſi nobis haud probetur, odioſa eſt tamen libertas iſta pauculorum Doctorum in ferendis Cenſuris.

Poëtas Lovanienſes audiamus. Tertiam præcipuè Propoſitionem ex recenſitis

cenſitis §. ſuperiore ornandam carminibus ſumpſerunt nuper. Libemus unum. Pium eſt, quod ſeſe offert primum.

Credo equidem Pilate, tuum ſi rurſus IESVS
Iudicium ſubeat; non tot precibuſve miniſve,
Non urgenda foret tot condemnatio verbis.
Neſciit indoctus, quanti ſententia vendi
Injuſtè prolata queat! quàm fertilis auri
Chriſti cauſa foret! ſi mens bene docta fuiſſet.
O! quantum argenti poterat Pilatus & auri
Hinc pondus conflare ſibi! Iudaica turba,
Nil tanto clamore opus eſt, proponite nummos
Flectetur Iudex: nam ſi jactura Pilatum
Movit amicitiæ; lucri ſpes tanta movebit.

Alia hujus generis non pauca dederunt, quibus plauditur Lovanii.

§. 3.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de reſtitutione, ut reprobatam à Lovanienſi Scholâ Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

IOANNES WIGGERS S.T.D. Lovanienſis 2.2.q.32.a.7.n.59. *ſic* docuit. *Tertiò dicit* (D.Thomas) *quædam eſſe illicitè acquiſita; non quod eorum apprehenſio & intentio ſit in ſe illicita; ſed quia per modum, ſive cauſam illicitam acquiruntur; ſic illicitè acquiſitum eſt, quod mulier accipit propter proſtitutionem ſui corporis, quæ poteſt quidem licitè illud accipere poſt actum, & retinere .... Eadem eſt ratio de illis quæ quis accipit, ut aliud turpe facinus perpetret V.G. VT ALIVM OCCIDAT: & de his docet D. THOMAS poſſe quoque fieri eleëmoſynas.*

ADRIANVS S.T.Doctor Lovanienſis in 4. Tract. de reſtitut. pag. 64. col. 1. & 2. idem docet de turpi quæſtu fœminæ cujuſlibet, idque hoc fundamento; *Quia nihil tenet de alieno, invito Domino:* quæ ratio multò latiùs patet.

IOANNES ipſe *SINNICHIVS* S.T. Doctor Lovanienſis & quidem in ſuo *Saule exrege* l.1.c.52.§.191. pag.157 col.2. non ſibi conſtabit, quin fateatur, non eſſe ex naturâ rei obligationem reſtituendi accepta ob ſententiam, aut occiſionem injuſtam: ſic enim docet.

Impetratâ (illicitâ copulâ) *præſtandum erit quod fuerat promiſſum: Etenim, ut ait COVARRVVIAS .... datio pecuniæ meretrici promiſſæ, cum ea ſit poſt actum venerum, mala non eſt, ſed actus juſtitiæ à nullo vitio imperatus.*

Sententia eſt eadem Lovanienſis Doctoris *IOANNIS BEETS* in Decal. præc. 5. Expoſit. 1. cap. 9. litt. *e*.

Quod verò opus meretricium non puniatur legibus humanis, puniatur verò occiſio aut ſententia injuſta, nihil differentiæ adferre poteſt, quæ pertineat ad obligationem reſtituendi ex jure naturæ, pro quâ in eodem *Saule ex rege* pugnat *Sinnichius Tamburinum* exagitans. Vide dicta §. 1.

GODSCALCVS ROSEMONDVS S.T. Doctor Lovanienſis in *Confeſſionali* Tit. *receptum ex adulterio &c.* pag. 122. col. 2. De pretio operis turpis, quod legibus punitur, ſic docet.

ADVLTERA, vel fornicaria recipiens ratione operis libidinoſi munera ab eo, qui habet facultatem donandi, non tenetur ea reſtituere. Rurſus §. *illicitè acquiſitum* pag. 123. col. 1. *Quia tamen acquiritur dominium ex illo meretricio, VEL ALIO TVRPI QVÆSTV*, modò injuſtitia *non committatur ...... nam talia injuſtè recepta tenentur reſtituere. Secus de his, quæ ſolùm turpiter recipiunt pro actu turpi.*

GERARDVS VAN WERM S.T. Doctor ex illis unus, qui hoc tempore legationem inſtituerunt ad Sanctam Sedem, die 6. Martii 1664. hanc aſſertionem dedit Theſi 3.

Acceptum ob maleficium perpetrandum, opere perfecto, non eſt reſtituendum; verbi gratia ob perjurium, adulterium, aut homicidium. His ſimilia propugnavit Doctor idem Lovanii die 30. Maji 1653. Theſi 1. die 9. Novembris 1639. Theſi 4. ubi paucis abſoluit: *Pretium operis turpis patrati non eſt reſtituendum.*

ANDREAS LAVRENT S.T. Doctor alter ex illis quorum nomine hoc tempore expoſtulatur apud S. Sedem, Lovanii die 15. Februarii 1661. Theſi 4.

Acceptum ob cauſam turpem V. G. pro meretricio opere patrato non debet reſtitui, SICVT NEC PRO PECCATIS CONTRA IVSTITIAM COMMISSIS, dummodo damnum injurioſè illatum reſarciatur.

LIBERTVS FROMONDVS S.T. Doctor Lovanii die 9. Februarii 1640. Theſi 4.

Nec jure naturæ, nec jure poſitivo communi probabiliter vetitum eſt retinere pretium datum pro opere turpi. Imò peccato jam patrato eſt actus juſtitiæ pretium pacto conſtitutum ſolvere.

His ſimilia tradiderunt Lovanii Doctores die 18. Julii 1619. Theſi 3. die 7. Aprilis 1571. Theſi 2. die 17. Junii 1649. Theſi 1. &c.

CAP.

CAPUT X.

De Vſura.

§. I.

Ad doctrinam de uſurâ, quàm ut laxitatem Theologorum in Belgio repræſentarunt S. Sedi Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævio inito cum intentione lucri.

PRIMO. Hæc propoſitio eſt articulus 14. ex illis 26. quos die 4. Maji 1657. damnarunt Lovanienſes Doctores. *Ioannes Sinnichius* ex illis Cenſoribus unus in *Saüle exrege* l. 1. c. 116. §. 443. pag. 530. col. 1. Articulum tribuit Illuſt. *Ioanni Caramuëli* S.T.D. Lovanienſi, lib. 2. Theol. mor. n. 856. Quare dubitari non poteſt quin locus ille *Caramuëlis* occaſio fuerit articulum concipiendi abſolutum, ut cenſuræ eſſet idoneus. At verò auctor loco citato cum propoſuiſſet caſum; *Rationem*, inquit, *ob quam ille iniri contractus nequeat, quærimus. DIANA non dedit, nec Ego invenio, tametſi accuratè quæſierim.* Tum poſtea re exemplo illuſtratâ ſic pergit: *Sanè durus contractus; ſummè tamen probabilibus fundamentis innitens.* Tum denique: *Lector bene examinet: nam timidè hæc ſcribo.*

SECVNDO. Si hæc dicenda eſt doctrina Theologorum in Belgio quia illi utcumque favet Illuſt. *Caramuël*, præcipuè dicenda eſt doctrina Lovanienſium Doctorum, ex quorum numero eſt Auctor ille. Poſtulamus, ut nominent ex ſuis Adverſariis vel unum, qui doctrinam illam tradiderit: Tum verò nequè oſtenderint, ex illa quæſtione ortas eſſe in Belgio *Contentiones, acerbitates, ſcandala*, quod profitentur in libello ſupplici.

PROPOSITIO SECUNDA. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numerandâ, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, eo titulo ab uſura excuſari.

PRIMO. Huic Propoſitioni concipiendæ occaſionem rapuerunt hi Doctores ex Theol. Morali Illuſt. *Ioannis Caramuëlis* num. 799. 800. ut patebit locum adeunti: Neque dubitavit huic Auctori doctrinam ipſam adſcribere *Ioannes Sinnichius* in *Saule Exr* l. 1. c. 116. §. 443. pag. 530. col. 1. Sed verò *Caramuël* loco cit. plus non definit abſolutè quam ex illorum doctrinâ, qui cenſent *numeratam pecuniam eſſe pretioſiorem, quàm pecuniam numerandam* (pro qua doctrina citat eos omnes, qui cenſent licere minoris emere chirographum debitoris, quàm ſit ipſum debitum) eſſe conſequens, licere mutuatori illo titulo aliquid accipere ultra ſortem: addit tamen quiddam, quo videtur ſaltem favere priori doctrinæ.

SECVNDO. Doctrina, quam continet propoſitio, eſt inaudita in Belgio. Si tamen Theologis in Belgio adſcribenda eſt, adſcribi debet Lovanienſibus Doctoribus. Vide quæ adnotavimus ſecundo loco ad propoſitionem proximè ſuperiorem.

PROPOSITIO TERTIA. Uſura non eſt dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur, tamquam ex juſtitia debitum.

ADNOTATIO MARGINALIS. *An iſtud non videatur hoc tempore occaſionem dare uſuras pallandi?*

Hæc propoſitio eſt articulus 13. ex illis 26. quos Facultas Theologica Lovanienſis ſolemni cenſurâ notavit die 4. Maji 1657. *Ioannes Sinnichius* unus ex illis Cenſoribus in *Saule exr.* l. 1. c. 116. §. 443. pag. 530. col. 1. oſtentans hunc articulum non habuit in promptu Auctorem, cui adſcriberet, niſi generali convicio *Novos laxones, qui exorbitant, & mutuatores palpant.* Patronos doctrinæ aſſignabimus infra; atque in his ipſum *IOANNEM SINNICHIVM.*

§. 2.

Specimen Modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti Materia de uſurâ.

EXtabat aliquid in Theologia Morali Illuſt. *Caramuëlis*, quod utcumque favere videbatur contractui *Mohatra*, cum onere retrovendendi. Fabricata igitur eſt Aſſertio abſoluta, quam continet Prima Propoſitio, idonea huic Cenſuræ Lovanienſi die 4. Maji 1657. *Falſa eſt & palliativa uſurarum, præſertim cum emptori imponitur onus revendendi; uti in aſſertione.*

FACVL-

FACULTAS THEOLOGICA Lovanienſis ſolemni Cenſurâ notavit propoſitionem tertiam, & tamen judicaſſe videtur propoſitionem eſſe veram. Etenim Propoſitio eſt hæc : *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentiâ, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.* Cenſura verò ; *Hæc aſſertio periculoſa eſt, & ſerviens ad excuſandum & palliandum uſuras de jure præſumptas.* Non putarunt hi Doctores aſſertionem eſſe falſam : alioqui enim neque periculoſam vocaſſent, neque idoneam *ad palliandum uſuras* ; ſed per ſe noxiam & approbatoriam uſurarum.

IOANNES quidem *SINNICHIUS*, unus illorum Cenſorum ſuo privatim judicio cenſuram concepit ſeveriorem in *Saule Exr.* l. 1. c. 116. §. 443. pag. 530. col. 1. ubi ſic ſcribit :

Quemadmodum itaque prædicti errones . . . . . . ita novi noſtri laxones nequaquam negare audent uſuram eſſe illicitam, ſed in eo exorbitant, & mutuatores palpant, quod quaſdam mutuandi praxes revera uſurarias negent eſſe tales. Mox ſubdit exempli loco articulum, quem cum ſuâ cenſura deſcripſimus modò.

Interludant Poëtæ Lovanienſes :

ALYMANNUS & IUBANUS
hoc eſt
LAYMANNUS & BAUNIUS

Aly. *Amice amico mutua.* Iub. *Indolem tuam*
Scio liberalem, quod petis, lubens dabo.
Aly. *Miſerum beaſti ! quid ſupra ſortem exigis ?*
Iub. *Egon, ab amico quid ſupra ſortem exigam ?*
Nec ab inimicis hoc licet : gratis dabo
Quod poſtulaſti ; ſponte te tuâ ſatis
Novi beneficum. Aly. *Non ero canus ; at age*
Quàm liberalem me putas ? Iub. *Satis ſcio*
Nihil daturum te minus, quàm quod ſolet
A fœneranti percipi : ſcias tamen
Nil petere me vi mutui (hoc lucrum execror)
Aly. *Nihil timendum eſt, quod dabo, gratis dabo.*

SELSIUS & RISEBACOUS
hoc eſt
LESSIUS & ESCOBARIUS

Sel. *Ab indigenti mutuum, precor date*
Riſ. *Ni nominaſſes mutuum, forſan darem.*

Sel. *Capio; faceſſet mutuum, juves modò.*
Riſ. *Equidem juvabo; ſed ante proteſtor tamen,*
Si nominetur mutuum; licitè placet
Contrahere tecum. Sel. *Contraham, fac ut libet.*
Riſ. *Placetne nummis ire mercatum meis!*
Sel. *Placet: Age, ſed qua lege.* Riſ. *pars media lucri*
Mihi cedet, altera tibi Sel. *Difficilis modus*
Hic contrahendi eſt, quaſo pro incerto lucro
Depoſce certum Riſ. *Serviam, dum vis, tibi;*
Sortem aſſeres & quinque pro centum dabis.
Sel. *Contractus aquus, licitus & honeſtus placet.*

Faceſſant multa hujus generis: hunc guſtum Poëtis Romanis præbuiſſe ſit ſatis.

§. 3.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de uſura, ut reprobatam à Scholâ Lovanienſi, Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

IOANNES ipſe SINNICHIVS S.T. Doctor Lovanienſis unus ex Cenſoribus Propoſitionis Tertiæ, *uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum &c.* cujus Auctores in ſuo, *Saüle Exr.* appellandos putavit *novos noſtros Iaxones*, qui *mutuatores palpent* &c. ut vidimus §. ſuperiori; hic Doctor idem Lovanii die 29. Januarii 1658. hoc eſt, quatuor ante annis, quàm edidit ſuum *Saülem*, palam propugnaverat aſſertionem hanc.

Vſurarium eſt ex juſtitia obligare mutuatarium, ut officium ſæculare, aut beneficium Eccleſiaſticum ſibi, vel ſuis conferat: ſecus dicendum, ſi ſolùm requirat, ut prædicta ſibi ex benevolentiâ præſtentur. Hic notet Lector, etiam judicio *Sinnichii* in *Saüle Exr.* l. 1. c. 116. § 443. pag. 529. col. 2. uſuram non ſolùm eſſe in pecunia; ſed etiam in quolibet alio, ſi plus quam dediſti, expectas accipere.

GERARDVS VAN WERM S. T. Doctor unus ex iiſdem Cenſoribus ſimulque ex illis, quorum nomine hoc tempore expoſtulatur apud S. Sedem Lovanii die 13. Decembris 1651. Theſi 3.

In labem illius (uſuræ) *incidit mutuator, qui mutuatarium lege juſtitiæ obligat, ut ei pœnam debitam famæ aut honoris reſtitutionem remittat, ut neceſſaria in ejus officina emat, aut ei beneficium conferat: non verò, ſi eum obliget ſolùm obligatione amicitiæ.*

Doctor idem Lovanii die 10. Decembris 1661. Theſi 1.

Non eſt uſurarium ex mutuo ſperare amicitiam, imò nec pactum de exhibendis externis amicitiæ ſignis inire, neque etiam ex his lucrum principaliter intendere.

GVILIELMVS AB ANGELIS S. T. Doctor Lovanii die 25. Auguſt. 1640. Theſi 2.

Mutuare poteris eâ lege, ut tibi mutuatarius remutuet, ſi ipſi illud non magis incommodet quàm tibi, ut pœna debita, fama honoriſve reſtitutionem condonet, officium vel beneficium conferat, tuam officinam frequentet, aut ſimile quid praſtet, ſalvo quod ſolâ lege gratitudinis eum aſtringas: aliàs legem juſtitiæ ſuper imponendo uſuram non evades; ſine culpa uſuræ mutuas cum obligatione juſtitiæ reddendi mutuum cum mutuatarius deſinet tuam officinam frequentare.

IACOBVS PONTANVS S.T. Doctor & ipſe unus ex illis Cenſoribus Lovanii die 19. Junii 1649. Theſi 1.

Illicitè quoque mutuas ſi obligas pacto juſtitiæ, ut juſtam vindictam vel ſatisfactionem alter tibi condonet; ſecus pacto amicitiæ.

ANONYMVS S. T. Doctor Lovanii die 25. Septembris 1631. Theſi 2.

Vſuræ labem non contrahes ſi mutues, ut, cum opportunum fuerit mutuatarius tibi remutuet, tuam officinam frequentet, molendino molat, vel quid ſimile praſtet: ſalvo tamen quod ſolâ gratitudinis lege eum ad hoc aſtringas, ſi enim civilem obligationem ſuperaddas, uſuram non evades.

His ſimiles Aſſertiones occurrunt à Lovanienſibus Doctoribus defenſæ Lovanii die 4. Maji 1639. die 25. Septembris 1631. die 18. Septembris 1642. die 15. Octobris 1663.

IOANNES MALDERVS S.T. D. Lovanienſis Tract. 5. de Juſtit. cap. 3. dub. 6. pag. 440. col. 2. ſic docet.

Si mutues eâ lege ut ſtatim tibi conferat mutuatarius beneficium Eccleſiaſticum, etiamſi beneficii emolumenta ſint minora oneribus, eris ſimoniacus, NON TAMEN VSVRARIVS ....ſi tamen dicas, te mutuum dare, non ut pretium beneficii Eccleſiaſtici; ſed ut hâc ratione provoces amicitiam Collatoris, aut ut gratiam praſtes, quam nolis praſtare, niſi alter ſtatim gratificetur conferendo Beneficium, probabile eſt, nec uſuram, nec ſimoniam fore.

Ex his ergo ſtatuet ſapiens Lector, quam procul abſint hi Doctores ab eâ doctrinâ, quam ſolemni cenſura à ſua facultate notatam repræſentant hoc tempore S. Sedi Lovanienſes Doctores.

CAPUT XI.

De Detractione.

PROPOSITIO PRIMA. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

PRIMO. Hanc Propoſitionem ait gravis auctor *LUDOVICUS MONTALTIUS* Epiſt. 15. pag. 392. Lovanii defenſam eſſe à quodam Profeſſore Jeſuita anno 1645. quod poſtea ſuo teſtimonio confirmavit *Ioannes Sinnichius* in *Saüle Exreg.* l. 1. c. 120. §. 457. pag. 556. col. 1. Quare credamus rem ita ſe habere. Lovanii igitur anno 1645. defenſa eſt à quodam Profeſſore illa interrogatio, *quidni &c.* quâ poſtulavit ille doceri cauſam, cur id ſit majus peccatum, quàm veniale, ſive cur id ſit contra juſtitiam, & non merum mendacium. Quinam deinde ſecuti ſunt Profeſſorem illum? in quibus libris, theſibuſve uſque ad hunc diem? Hoc certum eſt, doctrinam ipſam nullius eſſe nominis in Belgio, neque ullas ex eâ inter nos extitiſſe *contentiones, acerbitates* &c.

PROPOSITIO SECUNDA. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat, &, ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ.

PRIMO. Hæc propoſitio eſt articulus 3. ex illis 26. quas ſolemniter condemnavit Facultas Theologica Lovanienſis die 4. Maji 1657. Porrò occaſio fabricandi articulum arrepta eſt ex *Theologiâ fundamentali Illuſt. Caramuelis* n. 1588. edit. lugd. 1657. vel ſaltem ex infamibus Epiſtolis *Ludovici Montaltii*, qui Epiſt. 15. pag. 394. Caramüelem facit auctorem doctrinæ, afferendo ejus verba ferè eadem, quibus concepta eſt propoſitio quam tractamus; ſed verba ſunt objicientis ſibi *Caramüelis* contra ſuam Aſſertionem, ut patebit locum adeunti. Si alia docuit alibi, illa retractavit loco citato.

Audiatur verò cenſura Lovanienſium Doctorum, quâ Propoſitionem ſecundam notarunt die 4. Maji 1657. Hæc ipſa.

Ne umbram quidē præfert probabilitatis, ſed cumulū complet temeritatis, ſpatioſam calumniatoribus & impoſtoribus portā aperiens. De modeſtia hujus Cenſuræ iudicent ſapientes:

ſapientes: Cenſuram Apoſtolicæ ſedis, expectabimus ſine dubio moderatiorem futuram.

Graviùs diſplicuit his Doctoribus imponi crimen calumniatori, aut accuſatori falſo ad elidendam calumniam neceſſarium, quàm imponi crimen ſibi ad evadendos cruciatus. Demus Specimina quædam.

IOANNES SINNICHIVS S. T. Doctor Lovanii die 29. Januarii 1653. Aſſertionem hanc dedit Theſi 3.

Imponens ſibi crimen, quod non commiſit, ad mortem aut gravia tormenta evadenda, non peccat mortiferè, ſi aliud incommodum non ſit conjunctum.

Nota 1. Reos, de quibus ſolet eſſe quæſtio, imponendo ſibi crimen non ſolere vitare gravia tormenta, niſi & ſubeundo ſupplicium capitale.

Notâ 2. hanc doctrinam eſſe defenſam à *Ioanne Sinnichio* qui paucis poſt annis in *Saüle Exr.* l. 1. c. 126. §. 456. pag. 454. de doctrinâ illa exagitare non dubitavit *Thomam Tamburinum*, operosè deteſtans ſuicidium linguâ commiſſum.

GERARDVS VAN WERM S. T. D. Lovanii die 5. Maji 1653. Aſſertionem dedit multiplicem in materiâ detractionis Theſi 2. his verbis.

Etiam ſolatii causâ injuriam ab altero acceptam amico exponere, non eſt peccatum ſaltem mortale. Et generatim loquendo licitum eſt ob tui, vel proximi defenſionem, infamantis crimen, modò verum ſit, detegere: ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, ne plus noceas, quàm ad tutelam opus ſit. Quin imò ſinè peccato mortifero tibi ipſi falſum crimen impones ad evadendos cruciatus mortis illativos. Non requirit ſinè dubio ut mors abſolutè evadatur iſtâ ſui criminatione. Non ſolet hoc reis uſu-venire.

ANONYMVS S. T. D. Lovanii die 17. Aprilis 1614. Aſſertionem dedit mirificam.

Infamare ſeipſum ſive de vero, ſive de falſo crimine per ſe, non eſt peccatum mortale, aut contra Iuſtitiam. Si autem rationabili de causâ fiat, ERIT ETIAM MERITORIVM.

Nota *ſive de verò, ſive de falſo crimine.*

CAPUT XII.

De Simonia.

§. I.

Ad Doctrinam de Simoniâ, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio Sanctæ Sedi præſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Dare temporale pro Spirituali non eſt ſimonia, quando temporale nôn datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale: vel etiam quando per temporale fit ſolùm compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contrà.

PROPOSITIO SECUNDA. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale: imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur quàm res ſpiritualis.

ADNOTATIO MARGINALIS. *An hoc non ſit ſimoniæ pallia ſubminiſtrare, aut fovere ut minùs affines ſimoniæ ſordes?*

PRIMO. Hæc utraque Propoſitio eſt Articulus 15. ex illis 26. quos 4. die Maji 1657. ſolenniter damnavit Facultas Theologica Lovanienſis. *Ioannes Sinnichius* unus ex illis cenſoribus in *Saüle Exrege* l.1.c.107. §.153. pag.436. col.2. articulum attribuit. *Gregorio de Valentia* tom.3. d.6. q.16. p.3. ſed ibi quidem articulum non invenerunt cenſores: quamquam quidni illis ibi diſpliceret *Valentia*, poſtquam diſplicuerat *Ludovico Montaltio* Epiſtola 12. Sed audiatur *Guilielmus le Maire* in *ſtaterâ Saülis Exr.* ſect.1. cap.18. pag.113.

„*Gregorius à Valentia* loco à *Sinnichio* citato prorſus docet contraria iſti arti„culo: cum enim pag.2045. retuliſſet auctores alios affirmantes, alios ne„gantes *eſſe ſimoniam conferre ſpirituale principaliter propter temporale, tamquam pro„pter finem*, mox ipſe diſtinguit, his verbis: *dupliciter poteſt qui conferre ſpiri„tuale, propter temporale principaliter tamquam propter finem. Vno modo ita, ut „temporale ſit apud eum finis, non modò voluntatis & applicationis animi ad actum*

„conferendi

„ *conferendi ſpirituale, ſed etiam ipſius ſpiritualis;* SI VIDELICET ILLVD TEM-
„ PORALE ÆSTIMET PLVRIS, *non modò quàm actum conferendi hic, & nunc*
„ *ſpirituale, ſed etiam quàm* IPSVM SPIRITVALE, *quod confert.* ET TVNC
„ OMNINO COMMITTIT TALIS SIMONIAM. *Altero modo poteſt quis conferre*
„ *ſpirituale &c. ita ut temporale apud eum non ſit etiam finis ipſius rei ſpiritualis (quaſi*
„ *temporale pluris ab eo quàm ſpirituale æſtimetur) ſed tantummodo voluntatis, ſive ap-*
„ *plicationis animi ad actum conferendi ſpirituale: & hoc non eſt ſimonia.*

„ Conſideranti hæc verba erit difficilè ſtatuere quo conſilio Sinnichius re-
„ lato articulo citaverit *Valentiam* tom.3. d.6. q.16. p.3. quia, ut patebit con-
„ ferenti hæc verba cum articulo, docet ibi diſertè contradicentia articulo ſe-
„ cundùm eam partem quæ præcipuè eſt obnoxia invidiæ.

SECVNDO. Attribuit quoque ibidem *Ioannes Sinnichius* articulum *Adamo Tannero* tom.3. d.5. q 8. dub.3. n.64. eſtque revera articulus ferè conceptus *Tanneri* verbis, ſed inhumanè avulſis à ſuo contextu, quem qui legit, videt, nihil ibi eſſe magni peccati, etſi ſecus viſum ſit *Ludovico Montaltio* Epiſt. 12. Doctori æſtimatiſſimo his noſtris. Primò enim Tannerus ſolùm negat in caſibus Articuli intervenire ſimoniam naturalem: mox enim n.65. cavet his verbis: *hoc tamen non obſtat; quo minùs in caſibus à jure expreſſis incurratur ſimonia, ſive ea, quam juris poſitivi ſuperiùs diximus, ſive ſecundùm præſumptionem externi fori.*

Unde & Aſſertionem ſuam ſic incipit *R. ſimoniam* VERE, ET PROPRIE *non eſſe, niſi quando temporale accipitur tamquam pretium &c.*

2. *Tannerus* in caſibus Articuli non recuſat, admittere ultra peccatum ſimoniæ poſitivæ aliud grave peccatum alterius rationis, quàm ſimoniæ: quia n.67. ſic loquitur: *Eſto quidem tali commutatione grave peccatum committatur; ac ſimul in caſibus jure expreſſis ſimonia ſaltem juris poſitivi incurratur, ut dictum eſt n.65.*

3. *Tannerus* ibidem in ipſo exordio damnat generaliter ut ſimoniam omnem commutationem; *quâ ſpirituale pro temporali commutatur, tamquam pro æquali, ſecundùm exiſtimationem commutantis.* Quando igitur à ſimoniâ naturali eximit donationem rei temporalis ob ſpiritualem, tamquam propter finem, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis, non ponit rem temporalem tanti pretii æſtimari, quanti ſpiritualem; ſed amorem rei temporalis eſſe majorem, quàm rei ſpiritualis: quæ ſunt valdè diverſa: hoc illum intelligere oſtendunt ſuperiora, ſimulque quod ſubdit, *Talem æſtimationem inveniri in omni peccato mortali, ubi Deus poſtponitur rebus temporalibus.*

Denique exempla quibus utitur in Corollariis planè oſtendunt nihil illum diſcrepare ab aliis vulgò Theologis: ab his enim paſſim ſingula admittuntur. Ex his patet Articulum eſſe conceptum *Tanneri* verbis valdè mutatis, truncatis, & iniquè avulſis à ſuo contextu.

TERTIO. Neque *Valentia*, neque *Tannerus* ſunt Theologi Belgæ, aut in quorum verba hi jurarint: poſtulamus ut oſtendant Doctores, quæſtionem

apud nos excitaſſe *contentiones*, *acerbitates*, *ſcandala*, *perturbationes publicas.* Hoc profitentur in libello ſupplici.

Propositio Tertia. Pro interceſſione ad beneficium obtinendum poteſt aliquid dari ſine ſimoniæ ſuſpicione.

PRIMO. Hæc Propoſitio eſt articulus 16. ex illis 26. quos die 4. Maji 1657. ſolenniter damnavit Facultas Theologica Lovanienſis. Verba Articuli accepta ſunt ab *Antonio de Eſcobar* Theol. Moral. Tract. 6. Exam. 2. c. 6. n. 43. pag. 709. niſi tamen accepta ſint ab *Anonymo* Auctore libri *la Morale des Ieſuites* Tom. 3. pag. 31. ut ut ſit, facta eſt ex quæſtione, ſeu interrogatione Auctoris aſſertio. Ipſe *Eſcobar* ibi nihil definit; ſed refert ſententiam aliorum non de interceſſione qualibet, ut procedit interrogatio verſa in aſſertionem, ſed de ſolâ interceſſione mediata: Auctores verò ſententiæ parum accuratè citavit: de illis videatur *Thomas Sanchez* lib. 2. Conſil. cap. 3. dubio 16. *Andreas Mendo* in *ſtatera* differt. 1. q. 23. ſed his noſtris Doctoribus ad repræſentandum Articulum S. Sedi, ſufficiebat interrogatio *Antonii de Eſcobar.*

SECUNDO. Poſtulamus nominari Theologos, qui in Belgio doctrinam propugnarint & quidem non ſine *contention ſcandalo* &c. pro doctrina Theologorum in Belgio offertur Sanctæ Sedi interrogatio Hiſpanica: hoc non eſt æquum.

Propositio quarta. Dum quis exterius rem ſpiritualem pro temporali promittit, vel rem temporalem pro ſpirituali, abſque animo tradendi vel ſe obligandi ad rem ipſam tradendam, non eſt verè ſimonia.

PRIMO. Propoſitionem accepere ab *Antonio de Eſcobar* in Theol. Moral. tract. 6. exam. 2. cap. 2. num. 14. vel à *Ludovico Montaltio* in famoſis Epiſtolis, ubi doctrinam illam exagitat Epiſt. 12. doctrinam ipſam verbis aliis accipere poterant ab Auctoribus omnis generis; cum ſit valdè communis, ut periti norunt, utpotè *Cajetani* Tom. 2. Opuſc. tract. 9. q. 2. *Dom. Soto* l. 9. *de juſt.* q. 8. a. 1. *Petri de Navarra* l. 2. de reſtit. c. 2. n. 411. diffic. 12. *Petri de Ledeſma*, *Ludovici Lopez*, aliorum multorum, atque etiam Eminenti. Cardinalis *Toleti* in ſumma l. 5. c. 90. in fine ſic docentis.

„ Hîc eſt unum dubium de eo, qui promitteret dare pecuniam pro bene-„ ficio; haberet autem animum non dandi, ſed fictè; & ſic accepit beneficium, „ an eſſet ſimonia? Ad hoc *Soto* & *Cajet.* dicunt, non eſſe: quia actus exte-„ rior ab interiori rationem ſumit; unde licet talis promiſſio ficta juramento

„confir-

„ confirmaretur, non eſſet ſimonia, quamvis in foro exteriori judicaretur ſi-
„ monia: quia illud non conſiderat interiora. Ego ita credo, quamvis *Navar.*
„ aliâ procedat viâ; SED HÆC EST MELIOR.„

Non eſt monendus eruditus Lector nullum horum Theologorum dubitaſſe, quin eſſet grave peccatum illa ficta promiſſio idque ex variis titulis, quos accuratè explicat *Petrus de Navarra* loco cit. Unum ſatis habent docere non fore peccatum ſimoniæ.

Propositio quinta. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel 1. videtur per hoc; digniores, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo, vel 2 locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos; vel tandem loquitur 3. quando fit concurſus.

Adnotatio marginalis. *Secundùm hoc non erit grave peccatum relicto digniore minùs dignum eligere ad Epiſcopatum, aut ad paſtoratum, pro quo non fit concurſus.*

PRIMO. Siciliam ex aliquo intervallo reviſunt Doctores non invenientes in Belgio corruptelas Theologiæ Moralis ſibi idoneas, magno ſtudio quæſitas. Sumpſere propoſitionem à *Thoma Tamburino* lib. 8. in Dec. tract. 3. c. 4. §. 4. n. 8. ut ſincerè informarent S. Sedem de doctrina Auctoris ſiculi debuiſſent Propoſitionem concipere his verbis.

Cum dixit Concil. Trid. eos alienis peccatis communicantes peccare &c. Videtur per hoc; digniores, non aliud ſignificare velle &c. quamvis propter hunc Tridentini textum ſit multò probabilius Epiſcopatus & ſimilia majora curata beneficia (de quibus ſolùm hic loquitur Tridentinum) debere dignioribus conferri, nec in praxi aliter ſit conſulendum: Hæc enim poſteriora verba loco citato n. 11. habet *Tamburinus* quæ ad rem ipſam faciunt non parum. Illam ergo explicationem loci Tridentini auctor ille tradidit ſolùm ut minùs probabilem; ſed tamen probabilem ſpeculativè ſaltem; idque, quia Tridentinum ibidem monet *ut boni paſtores, ac Eccleſia idonei promoveantur*, quales eſſe poſſunt etiam comparativè minùs digni.

SECVNDO. Quàm providè concepta ſit *Adnotatio Marginalis* viderint hi Doctores. Non valet conſequentia: Concilium cenſuit peccare mortaliter eos, qui non eligunt dignum ad Epiſcopatum aut paſtoratum: Ergo non eſt grave peccatum relicto digniore minùs dignum eligere ad Epiſcopatum aut paſtoratum. Perſuaſiſſe ſibi videntur Concilium Trid. illo loco præceptum condidiſſe quo ſolo ſit illicitum promovere minùs dignum. Sapientiùs Cardinalis *de Lugo* diſp. 30. de juſt. num. 12. ad locum illum Trid. *Notandum eſt*, inquit, *in his verbis non imponi novum præceptum, ut conſtat, ſed reduci in memoriam obligationem, quæ jam erat.*

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materiâ de Simonia.

FACVLTAS THEOLOGICA Lovanienſis die 4. Maji 1657. ſolenni cenſurâ notavit Articulum qui eſt Propoſitio prima & ſecunda de Simonia, quas retulimus §. ſuperiori in principio. Cenſura verò eſt hæc.

Variæ iſtæ formalitates ut plurimùm pallia ſunt latentis Simoniæ: & quamvis fieri ſubinde poſſit, ut nulla propriè dicta Simoniæ labes ſubſit, plerumque tamen ſubſunt ſordes Simoniæ affines.

Hic notet Lector occaſionem concipiendi & damnandi articulum eſſe arreptum ex ſcriptis *Gregorii de Valentia*, & *Adami Tanneri*, ut explicuimus §. ſuperiori. Oſtendemus verò infra Cenſores, & quidem in ipsâ ſuâ cenſurâ, laxiùs ſenſiſſe in materiâ de Simoniâ, quàm *Valentiam* aut *Tannerum*, quorum doctrinam exhibuimus §. ſuperiori. Hæc verò eſt immodeſtia, doctrinam inſignium Theologorum ſumere notandam quâpiam cenſurâ, in quâ ipſe delinquas magis, quàm illi deliquerunt, ſi quid deliquerunt.

FRANCISCVS VAN VIANEN S. T. D. cenſuram dicti articuli auctam approbavit Lovanii die 21. Junii 1670. junctâ etiam approbationis cauſâ gravi, Theſi 1. his verbis.

Eo enim ſemel admiſſo conceptus Simoniæ uſque adeo à rebus humanis exulabit, & in mundum platonicum demigrabit, ut ſi Simon Magus, Giezi, & Balaam à mortuis jam reſurgant, haud magno labore ſe ipſos expurgent: qui tamen non modò Simoniaci ſed & Simoniacorum præcipui reputantur Patriarchæ.

Hoc genus delicias plenis modiis miniſtravit *Sinnichius* in ſuo *Saüle exrege* l. 1. c. 107. ſed non immoremur.

Facultas eadem Theologica ſeveriùs notavit Tertiam de Simonia Propoſitionem *pro interceſſione ad beneficium obtinendum poteſt aliquid dari ſine Simoniæ ſuſpicione*; quæ eſt interrogatio *Eſcobarii* à Cenſoribus verſa in aſſertionem: notavit verò his verbis.

Falſa

Falſa eſt, ac pernicioſa, hominibuſque ambitioſis, & indignis aditum aperiens ad beneficia per pecuniam promiſcuè procuranda.

ANDREAS LAURENT S. T. D. unus ex Cenſoribus ſeveritatem auxit Lovanii die 8. Octobris 1661. Theſi 1.

CONTENDITE INTRARE PER ANGVSTAM PORTAM. Hunc Domini ſermonem, quantum in ſe eſt, mendacem faciunt, qui ſimilem probabilitatem inducunt: ut, licitum eſt pro interceſſione ad Beneficium obtinendum aliquid dare ſine Simoniæ ſuſpicione.

Hujuſmodi cantionibus obdureſcere oportet in Belgio Bonos viros, niſi miſeri velint eſſe. Quid fundamenti fuerit ad fabricandum articulum, explicuimus §. ſuperiori. Illum verò quia inveniunt hi Academici cenſurâ notatum à Theologicâ Facultate, occinere non ceſſabunt, ut axioma quoddam, teſſeramve ſuorum Adverſariorum qui à doctrinâ ipsâ ſunt alieniſſimi.

IACOBVS PONTANVS S. T. D. unus ex Cenſoribus Lovanii die 26. Julii 1663. in eumdem articulum hæc dedit Theſi 1.

Hinc ad palliandum illius (Simoniæ) *pravitatem nimis laceram conſuunt chlamydem illi, qui hunc articulum procuderunt: dare temporale pro ſpirituali &c.* Quinam procuderint explicuimus §. ſuperiori.

Doctoribus Theologiæ intercinuêrunt Poëtæ: unum audiamus alterumve.

Quid cunctare Simon? fieri Miracula cernis?
Hæc tu ſi facias, quæ tibi lucra forent!
Vt ſuperimpoſita eſt capiti tua dextera, PETRE;
Spiritus Æthereo ſanctus ab axe datur.
Eia age Simoni fiat, precor, iſta poteſtas,
Dentur ut & nutu cœlica dona meo.
Si facies, ingens dabitur pro munere nummus:
Annuis? exitio ſit tibi nummus, ais.
Cur ita PETRE? tibi ut pretium non offero nummos;
In mea te ſolùm vota ciêre paro.

Succedat alter

Cur miſerum invaſit deformis lepra GIEZIM,
Infecitque rudes exitioſa manus?
Anne profana ferunt inviſam munera lepram,
Diraque pro grato munere lepra datur?
Nil minus: indignum generant non munera morbum:
Hujus pœna dati non fuit illa mali.
Cepit dona lubens non tamquam debita, gratus
Dat NAAMAN; gratis præbita dona placent.
Credibile eſt alio vexatum crimine ſervum
Fortè minùs Domino paruit ille ſuo.

Saulem Exregem Ioannis Sinnichii S. T. D. legêrunt hi Poëtæ.

§. 3. *Doctrinam*

§. 3.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de Simonia ut reprobatam à ſchola Lovanienſi S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

SAnctæ Sedi repræſentarunt Articulum 15. ex illis 26. quos cenſuravit Theologica Facultas die 4. Maji 1657. hunc ſcilicet.

Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum &c, vel etiam quando per temporale fit ſolùm compenſatio gratuita pro ſpirituali aut è contra. Et id quoque locum habet etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

Conſtat ex dictis §. 1. occaſionem huic articulo eſſe arreptam ex ſcriptis *Valentiæ* & *Tanneri.* Erit igitur operæ pretium videre cenſuram qua notarunt Articulum, ac tum oſtendere laxius de Simonia ſenſiſſe ipſos Cenſores & quidem in ſua cenſura, quàm *Valentiam* & *Tannerum.* Cenſura hæc eſt.

Variæ iſtæ formalitates ut plurimùm pallia ſunt latentis Simoniæ: & quamvis fieri ſubindè poſſit, ut nulla propriè dicta Simoniæ labes ſubſit, plerumque tamen ſubſunt ſordes Simoniæ affines.

Hîc ergo audiatur *Guilielmus le Maire* in *Statera Saülis Exr.* ſect. 2. cap. 14. p. 196.

„ Ecce judicio Facultatis Theologicæ Lovanienſis *iſtæ formalitates* ut plurimùm *pallia ſunt latentis Simoniæ.* Ergo judicio ejuſdem aliquandò non ſunt „ pallia latentis Simoniæ; ergo judicio ejuſdem aliquando *dare temporale pro* „ *Spirituali non eſt Simonia, quando temporale datur tamquam motivum* &c. conſideremus reliqua.

„ *Et quamvis FIERI SUBINDE poſſit, ut nulla propriè dicta Simonia labes ſubſit;* intelligenda ſunt hæc de univerſo caſu, contento in Articulo: cur enim de „ hoc dubitabimus? ergo judicio *Facultatis* fieri poteſt ut non ſit vera Simonia, „ *dare temporale pro ſpirituali, quando temporale datur tamquàm motivum &c. id-* „ *que etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale: imò etiamſi ſit finis ip-* „ *ſius rei ſpiritualis ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.* In hoc verò laxius „ cenſet, potiuſque eſt rea articuli *Facultas*, quam *Valentia*, qui ut vidimus num. „ 252. diſertis & amplis verbis affirmat, omninò *committi Simoniam* in poſtremo „ caſu. Quod verò *Facultas* reſtrinxit ad Simoniam *propriè dictam*, reſtrinxit „ quoque apertiſſimè *Tannerus*, ut vidimus num. 253. videamus poſtremam „ partem cenſuræ.

„ Plerumque *tamen ſubſunt ſordes Simoniæ affines.* Ergo judicio *Facultatis* aliquando ne quidem ſubſunt ſordes Simoniæ affines. Huc uſque *Tannerus* non „ eſt progreſſus, ut manifeſtum eſt ex dictis num. 253. patet ergo, quod aiebam,

„ multò

„ multò potiori jure auctores Articuli dici potuiſſe à Sinnichio Doctores *Fa-*
„ *cultatis* Theologicæ Lovanienſis, quàm *Valentiam*, aut *Tannerum*. Poſt hæc
„ Lector conſideret quæ de auctoribus Articuli pronunciat *Sinnichius Saülis*
„ *Exreg.* cap. 107. pag. 436. col. 2. in vind. cap. 20. pag. 260. *de audentiorum*, in-
„ quir, *Scriptorum numerò haud dubiè fuerunt*, *qui Articulum mox relatum procude-*
„ *runt: quo utique ſemel admiſſo conceptus Simoniæ uſque adeo à rebus humanis exula-*
„ *bit, & in mundum platonicum demigrabit*, *ut ſi SIMON Magus, GIEZI, & BA-*
„ *LAAM à mortuis jam reſurgant, haud magno labore ſe ipſos expurgent. Simoni* Ma-
„ go, *Giezi*, & *Balaamo* patrocinatos cenſet *Valentiam* & *Tannerum*: de hoc vi-
„ derit *Facultas* Theologica Lovanienſis. „

Quoniam verò in materia Simoniæ exoſum eſt nomen etiam *motivi*, ſeu *finis & gratuitæ compenſationis*, ut vocant, audiamus Lovanienſes Doctores.

IOANNES SINNICHIVS S. T. D. unus ex Cenſoribus multò ſeveriſſimus, Lovanii die 5. Decembris 1665. hanc aſſertionem dedit Theſi 1.

Dividitur Simonia in mentalem, realem, & conventionalem, ad quam reducitur confidentialis, Ad primum non ſufficit, quod ita intendatur temporale, ut ſine eo ſpirituale non fieret. Vnde excuſamus à Simoniâ Clericum, qui propter diſtributiones, aliàs non iturus, chorum frequentat. Ita intendi temporale, ut ſine eo ſpirituale non fieret, vel contra, eſt ſpirituale dari vel fieri *tamquam motivum efficiendi temporale*, vel contra juxta ſenſum Articuli à Cenſoribus damnati.

IACOBVS PONTANVS S.T.D. & ipſe unus ex Cenſoribus Lovanii die 15. Iulii 1661. Theſi 1.

Ad Simoniæ propriè dictæ rationem ſufficere non putamus, quod ſpirituale detur quomodocumque non gratis ſine interventu alicujus temporalis.

GERARDVS VAN WERM unus & ipſe ex Cenſoribus, ſimulque ex iis Doctoribus, qui hoc tempore expoſtulant apud S. Sedem Lovanii die 20. Iunii 1662. Theſi 1.

Pro quocumque Sacramento tamquam pretium pecuniam dare vel accipere Simoniacum eſt. Sed an etiam, Si in extremâ neceſſitate adulti, aut parvuli pro Sacramento Baptiſmi pecunia aliqua ſuppeditetur? non.

Hic quidem Doctor ibi non propugnavit inconcuſſa dogmata *S.Thomæ* 2.2. q.100.a.2.ad 1. *Nullo modo deberet pretium pro Baptiſmo dare, ſed potius abſque Baptiſmo decedere.*

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S.T.D.Lovanienſis 2.2. tract.9.cap.3.dub.1.p.590.col 2.

Simoniacus non erit (Clericus) *etiamſi principaliter propter diſtributiones veniat, multò minùs, ſi ſolùm non erat venturus, niſi diſtributiones fuiſſet accepturus, modò non veniat ut eas accipiat tamquam pretium ſui officii, ſed ſolùm in ſuſtentationem.*

Doctor idem *Malderus* de eodem Clerico ibidem dub.6.pag.602. col.2. Sic loquitur,

Fortè etiam ex parte operis diſtinctio adhibenda erit: dicunt enim quidam, ire ad Eccleſiam, & perſonaliter ibi perſiſtere, eſſe pretio æſtimabile, non autem divinum officium exequi: non omnino diſſimile eſt quod D. THOMAS indicavit. Quodl. 8. *art.* 11.

Ibidem dub. 5. pag. 595. col. 1. Sic docet.

Donationes gratuitæ quædam ſunt licitæ, etiamſi ſint rei temporalis acceptæ intuitu ſpiritualis:

Hæc, niſi fallimur, eſt illa compenſatio gratuita, de qua eſt mentio in propoſitione primâ.

IOANNES WIGGERS S.T. Doctor Lovanienſis 2.2. tract. 7. c. 4. dub. 7. n. 40.

Licitum quoque eſt aliquid accipere pro ratione obligationis, quâ Miniſter aliquando ſe adſtringit ad miniſtrandum certo loco & tempore. Obligationem hanc eſſe pretio æſtimabilem probat à ſimili. *Quemadmodum obligatio ad dandum mutuò, quotieſcunique alter exiget, eſt pretio æſtimabilis, etſi datio mutui pretio æſtimari non debeat.* Difficile hoc: conſequens enim videtur, ut & obligatio non repetendi ſortem ad certum tempus ſit pretio æſtimabilis: contrarium cenſuit *Alexander VII.*

Citat pro ſe *WIGGERUS MALDERUM*: utrique præiverat *IOANNES MOLANUS* S.T. Doctor Lovanienſis Theol. pract. Tract. 2 c. 42. n. 18. his verbis.

Licet etiam accipere pro obligatione adminiſtrandi: non enim hìc venditur res ſpiritualis, ſed libertas.

GODSCALCUS ROSEMONDUS S. T. Doctor Lovanienſis in *Confeſſionali* cap. 19. prop. 21. pag. 358. col. 2.

Serviens Epiſcopo vel alteri Prælato, aut Domino in ſpe remunerationis alicujus beneficii, Simoniam non committit, ſi ſine omni pactione, & conditione ſerviat; dummodo tamen principaliter hâc intentione non ſerviat: ſi tamen principaliter intentione obtinendi beneficium, nullo tamen pacto interveniente, ſerviat, quamvis graviter peccet, non tamen incurrit talem Simoniam, quæ obligat ad reſtitutionem & reſignationem beneficii. Conferantur hæc cum doctrinâ explicatâ §. 1. quæ occaſionem præbuit concipiendi & damnandi Articulum 15. ſeu Propoſitionem. 1. & 2. de Simonia.

IOANNES BEETS S.T. Doctor Lovanienſis in Expoſit. 7. Præcepti Decal. cap. 9. litt. H.

Ex his eliciuntur multi caſus, in quibus licitè aliquid dari poteſt pro ſpiritualibus Primus eſt quando aliquid gratis datur vel recipitur, & non ex corruptâ intentione emendi vel vendendi rem ſpiritualem: tunc enim non eſt Simonia.

Atque his quidem Lovanienſibus Doctoribus in materiâ Simoniæ valde fuit tam exoſa omnis ratio motivi, ſeu finis, & gratuitæ compenſationis, quàm hiſce noſtris: doctrinam ergo ſuorum Doctorum ut reprobatam à ſuâ Scholâ repræſentarunt Sanctæ Sedi.

CA-

CAPUT XIII.

De Luxuria.

§. I.

Ad Doctrinam de Luxuriâ quam ut laxitatem Theologicam in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PRopositio Prima. Tam clarum videtur fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.

PRIMO. Sumpta eſt propoſitio ex *Theologia Morali* Illuſt. *Caramüelis* n. 1598. ubi ad verbum illa extat.

Diſputat verò ille Auctor *ſtando nudæ rationi:* videatur ejus *Theologia fundament.* n. 1171. editionis Francof. non dubitat verò quin fornicatio omnis, & in omni caſu ſit grave crimen.

SECUNDO. Doctrina ipſa in Belgio eſt inaudita, neque affinitatem contraximus cum Illuſt. Caramüele ejus Auctore, niſi contraxiſſe putemur, quia eſt Lovanienſis Doctor. Tum verò ſibi imprimis doctrinam imputent hi Doctores.

Propositio Secunda. Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

PRIMO. Sumpta eſt propoſitio ab eodem *Caramüele* in *Theol. morali* n. 1603. niſi quod Doctores adjecerint hæc verba: *mollities jure naturæ prohibita non eſt.* Non dubitat rurſum hic Auctor quin grave crimen ſit mollities in omni caſu; etiam quando eſſet neceſſaria ad conſervationem vitæ, ut ſolicitè monet n. 1605. addens n. ſequenti doctrinam procedere conſiderando ſolummodo rationes naturales.

SECUNDO. Hîc illa eadem Lector adnotata intelligat, quæ ad ſuperiorem propoſitionem ſecundo loco adnotavimus.

Propositio Tertia. Copula cum conjugatâ conſentiente marito, non eſt adulterium: adeoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.

PRIMO. Eſt hæc propoſitio articulus Tertius inter illos 17. quos Facultas Theologica Lovanienſis ſolemniter condemnavit Anno 1653. *Ioannes Sinnichius* unus ex illis Cenſoribus articulum tractans in *Saüle Exrege* l. 1. c. 112. §. 426.a pag 489.col.1. non habuit, quem nominaret ejus Auctorem. Fabricandi articuli occaſionem indubiè præbuit libellus famoſus *Theologie Morale des Jeſuites*, damnatus in Galliâ, in quo pag. 13. n.10. hæc leges: *quand aut ſeptieſme precepte qui regarde la chaſteté, ils ont enſeignè ala Fleche, que le peche qu'on commet avec une femme Mariée, lors que ſon mary y conſent, n'eſt point adultere.* Quod latinè ſic ſonat: *quantùm ad ſeptimum præceptum, quod reſpicit caſtitatem, docuerunt Flexiæ, quod PECCATVM, QVOD COMMITTITVR CVM MVLIERE CONIVGATA CONSENTIENTE MARITO, NON EST ADVLTERIVM.* In margine notatur: *on en produirà les eſcrits ſi beſoin eſt*: id eſt *proferemus ſcripta, ſi ſit opus.* Quæ ſpes ſit obtinendi illa ſcripta, & quàm authentica illa ſint futura, quæ ſe prolaturum ſpondet Impoſtor toties convictus, exiſtimet ſapiens Lector.

SECVNDO. Hìc Lector obſervet priorem partem Articuli; *copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium,* ſolam inveniri in libello infami: ubinam hi noſtri Doctores invenerint poſteriorem partem Articuli: *adeoque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum,* nobis non conſtat: per ſe apparet credibile, hanc ſequelam ipſos addidiſſe de ſuo, tamquam indubitanter admittendam ab iis, qui partem priorem tenere velint: & tamen conſequentia videtur ſanè facilis negatu, dicendo, hujuſmodi copulam non eſſe quidem adulterium ſumendo, adulterium ut vulgò ſumi ſolet, pro copulâ injurioſâ alteri conjugi, quia non fit injuria volenti & conſentienti, ut habet communis ſententia ex *D. Thoma* 2.2.q.59.a.3. neque tamen illum ſatisfacere in confeſſione dicendo, ſe eſſe fornicatum: ſed exprimendam eſſe circumſtantiam conjugatæ: quia etiamſi abſit injuſtitia erga alterum conjugem, talis copula habet ſpecialem malitiam diverſam à ſimplici fornicatione per illam enim violatur ſanctitas vinculi matrimonialis, eiuſque Sacramenti matrimonii, & fit quoddammodo injuria Matrimonio, ejuſque Sacramento, etſi injuria alteri conjugi propriè non fiat. Sic ferè ſolent malitiam Adulterii explicare, qui docent volenti & conſentienti non fieri injuriam. Patet verò nominis quæſtionem eſſe, an ſit adulterium appellandum illa copula, modò agnoſcatur ejus malitia gravis diverſa à malitia ſimplicis fornicationis; etſi rectiùs loquantur, qui adulterium appellant. Ut ut ſit, patet non eſſe indubitabilem conſequentiam, quam Propoſitioni inventæ in libello infami addiderunt Doctores. *TERTIO.*

TERTIO. Certè modum loquendi, quem continet prior pars Propoſitionis improbamus, ſed non videtur fuiſſe improbaturus Emin. Cardinalis *Tuſcus* qui tom. 1. concl. 222. n. 30. dicit, *Adulterium non committi cum nuptâ, ſi eſt meretrix, quo ad accedentem ad eam*, citans pro hâc ſententiâ Juris conſultos 12. magis etiam id docturus, ſi maritus ipſe leno ſit uxorem proſtituens; cum dicat ibidem n. 18. meretricem reputari, quæ maritum lenonem habet.

QVARTO. Poſtulamus ut unum nominent è Belgis Theologum Propoſitionis Auctorem. Non nominabunt. Interea corruptelas Theologiæ moralis in Belgio profitentur ſe repræſentare S. Sedi, & quidem eas, quæ noſtratibus *contentiones, ſcandala, perturbationes* dederunt.

PROPOSITIO QUARTA. Probabile eſt, non diſtingui ſpecie inceſtum cum conſanguineis ab inceſtu cum affinibus; neque intra quartum gradum inceſtum in uno gradu ab inceſtu in altero; ex quo probabiliter conſequitur in confeſſione non eſſe explicandam hanc diverſitatem.

PRIMO. Partem priorem Propoſitionis potuerunt ſumere à D. *Thom.* 2. 2. q. 154. a. 9. ad 2. ubi cum eſſet objectum quod *inceſtus non eſt una ſpecies luxuriæ ſed plures*, ſic reſpondet: *ad 2. dicendum quod perſona affinis conjungitur alicui propter perſonam conſanguinitatis conjunctam, & ideò quia unum eſt propter alterum ejuſdem rationis inconvenientiam facit conſanguinitas & affinitas.* Cajetanus in hunc locum ſic commentatur: *quia igitur affinitas ad conſanguinitatem ordinatur, ut ad proprium finem, conſequens eſt, ut ejuſdem rationis inconvenientia ſit dehonorare affinitatem & conſanguinitatem; quod fit per inceſtum .... gravius eſt ſecundùm ſe peccatum inceſtus cum ſorore, quàm cum ſorore uxoris; ſed ex hoc non ſequitur diverſitas ſpecifica: gravius namque eſt, furari mille quàm decem; & tamen non differunt ſpecie .... & hinc habes, quod peccatum carnale commiſſum cum conſanguineâ ejuſdem eſt ſpeciei cum commiſſo cum affine: itaque non oportet in hujuſmodi circumſtantiæ diverſitate ſollicitari de neceſſitate. Quia tamen gravius eſt contra conſanguinitatem quàm contra affinitatem agere, ideò ſicut circumſtantia aggravans tantum habenda eſt.* Paucioribus abſolvit *Dom. Sotus* in 4. diſt. 18. q. 2. a. 4. argument. 17. *inceſtus inter affines, & conſanguineos, non differunt ſpecie, ut* D. THOMAS 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *auctor eſt.* Poſt hæc otioſum ſit reliquorum Thomiſtarum pro illâ doctrinâ hîc citare numerum permagnum. Videri etiam poteſt de patronis doctrinæ ejuſdem *Diana* p. 5. tract. 14. reſol. 56. p. 10. tr. 14. reſol. 16. & alibi.

Partem Propoſitionis poſteriorem facile illis fuit conficere ex priori, adhibendo doctrinam *D. Thomæ*, *D. Bonaventuræ*, & aliorum communem de circumſtantiis aggravantibus intra eamdem ſpeciem non neceſſariò confitendis.

SECUNDO. Credibilius eſt tamen, præ tot Patronis doctrinæ, quam continet Propoſitio, placuiſſe his Doctoribus *Thomam Tamburinum* de exped. confeſſ. lib. 2. cap. 7. §. 7. num. 48. aut alium hujus generis. Poſtulamus, ut oſtendant doctrinam excitaſſe in Belgio *contentiones*, *perturbationes*, *ſcandala*.

PROPOSITIO QUINTA. Licitum eſt famulis ad concubinam Domini ferre internuntia, vel litteras, vel referre hinc inde horam ad peccandum, vel facere excubias, vel cuſtodiam dum peccatur, ſi ipſi famuli non conſentiant in peccatum Domini, ſed id faciant propter temporalem commoditatem.

PRIMO. Fuit hæc Propoſitio una ex illis 38. quas Facultas S. Theologiæ Lovanienſis ſolemniter congregata cenſuravit partim anno 1648. die 4. Junii, partim anno 1649. die 8. Octobris partim Anno 1652. die 20. Martii; quaſque Illuſt. Archiepiſcopus Mechlinienſis cum ſuis cenſuris Romam miſit ad S. Congregationem, ut ipſa quoque, ſi ita videretur, judicio ſuo eas reprobaret; ſed non ita eſſe viſum S. Congregationi patuit ab eventu. Hiſtoriam fecit notiſſimam *Guilielmus le Maire in ſtatera Saulis exregis* ſect. 3. cap. 1. 2. 3. 4. 5.

Attamen Propoſitio prius erat prolixior. Hoc tempore Doctores Lovanienſes inter alia omiſerunt hæc: *qui* (Dominus) *ſine eorum ſocietate illò non iret.* Fortè quia didicerunt ex *Guilielmo le Maire in ſtatera Saulis exregis* ſect. 1. cap. 21. §. 3. a. num 279. quod Propoſitio ſic concepta non pertineat ad *Caſtropalaum* Tom. I. tract. 6. d. 6. p. 11. aut *Tamburinum* l. 5. c. 1. §. 4. num. 18. quibus illam aſſignaverat *Ioannes Sinnichius* unus ex illis Cenſoribus in *Saule exrege* cap. 113. Verùm Propoſitio nequidem ut jam concepta eſt ad hos pertinet: etenim *Caſtropalaus* loco citato dicit *maximâ causâ* opus eſſe, ut hoc famulo liceat. Dicit certum eſſe *hæc numquam honeſtari poſſe*, *niſi urgens cauſa intercedat.* Poſt omnia *hæc*, inquit, *ſub dubitatione dicta ſint*, ſolùm definiens licere famulo ad mandatum Heri deferre litteras, cum dubium eſt, an hæ contineant verba ad libidinem invitantia. *Tamburinus* verò loco citato ponit, quod famulus *merè comitetur*, *merè expectet ante fores*, & *non ut cuſtodiat.* Dein ponit caſum, quo famulus *deferat ſcripta & internuntia ſolius urbanitatis plena.* Si con-

contineant turpia & amatoria, vel directè ad peccatum provocantia, *nulla erit excuſatio*, inquit.

SECUNDO. Poſtulamus annumerari Theologos in Belgio, auctores Propoſitionis, ejuſque doctrinæ: non invenerunt: non enim alioqui in Hiſpaniam & Siciliam excurriſſent; quod & fruſtra fecerunt cum ne ibi quidem eos invenerint. Interea S. Sedi hæc repræſentantur pro corruptelis Theologiæ Moralis in Belgio.

PROPOSITIO SEXTA. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtram ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

PRIMO. Hanc Propoſitionem cuderunt ex ſcriptis *Ferdinandi de Caſtropalao*, vel *Thomæ Tamburini*, vel utriuſque, ut patebit adeunti *Caſtropalaum* tom.1.tr.6. d.6.p.11.n.5. *Tamburinum* verò l.5. c.1.§.4.n.19.

Ut doctrina videretur invidioſior, caſum poſuerunt de *ſtupro virginis*, de quo neuter ſpecialiter meminit: uti neque de famulo *multoties* iſtud obſequium præſtante.

Ad hæc agit *Caſtropalaus* de famulo, qui id facit metu ne domo expellatur non ſimpliciter, ſed ſi expulſus cogeretur *mendicare vel penuriam pati*; præcipuè cum non ita facilè alium Dominum inveniat, *qui ſimilia vel pejora miniſteria non petat*. *Tamburinus* quoque requirit in famulo *metum notabilis detrimenti .... ne à domo expellatur cum notabili detrimento &c.* Quod miſcet de *torvis oculis*, facilè accipitur conjunctim cum aliis affectibus *malæ tractationis*, de qua ibi meminit.

SECUNDO. Hìc quoque adnotata Lector intelligat, quæ ad ſuperiorem Propoſitionem adnotavimus ſecundo loco, nihil ad nos doctrina vel *Tamburini*, vel *Caſtropalai* cujuſcumque demum modi illa fuerit.

Speci-

§. 2.

Specimen Modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materiâ de Luxuriâ.

PRopoſitionem tertiam de Luxuria S. Sedi repræſentatam hanc vidimus; *Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium; adeoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe eſſe fornicatum.* Animadvertimus priorem Propoſitionis partem eſſe ſumptam ab Impoſtore Anonymo Auctore libelli infamis, & publice damnati, promittente quædam manu-ſcripta, in quibus illa continetur. Poſteriorem verò partem adjectam eſſe ab ipſis Cenſoribus,ut conſequentiam ex priori neceſſariâm.

Porrò hæc Propoſitio Anno 1653. inter Articulos 17. eam tulit cenſuram, quam Articuli omnes; *non toleranda in praxi, & auctoritate ſuperiorum meritò prohibenda.* Atqui prior Propoſitionis pars quid ad praxim faciat,ſtatuat Eruditus Lector attentis iis quæ §. ſuperiori ad ipſam adnotavimus ſecundo loco. Ne ergo Propoſitio ſit *non toleranda in praxi,* poſteriorem ei partem avellant, qui adjunxerunt,ut eſſet non toleranda in praxi. Eſt enim pars illa quædam conſequentia minimè neceſſaria,ut oſtendimus.

Propoſitionem eamdem etiam ſeveriùs damnaverat Theologica Facultas Lovanienſis die 4. Junii 1648. his verbis; *Aſſertio tota eſt abſurda & enormis.*

Hæc cenſura aptata priori parti Propoſitionis non malè quadrabit,ſi ea placeat notio adulterii,quam diximus ſolere placere illis Theologis, qui generaliter negant volenti poſſe fieri injuriam; ſi verò accipiatur, ut vulgò ſolet, pro copulâ injuſtâ alteri conjugi,modeſtius feciſſent hi Doctores,ſi dixiſſent,durè locutum eſſe Auctorem Propoſitionis. Vide dicta §. ſuperiori. Quomodo vocem adulterii acceperit Auctor (ſi omnino fuerit Auctor ullus) conſtabit, quando Anonymus impoſtor protulerit illa ſcripta, quæ ait ſe habere, & oſtenderit non eſſe ſuppoſita. In poſteriorem partem Propoſitionis rectiùs quadrat Cenſura, quam non eſſe priori parti aſſutam, ut neceſſariam ex ea conſequentiam, tunc credemus. cum nominaverint totius Propoſitionis Auctorem.

Propoſitionem quintam ſolemni cenſurâ notaverat Facultas Theologica Lovanienſis die 4. Junii 1648. inter illos Articulos 38. de quibus ſupra. Animadvertens verò Illuſtriſ. Archiepiſcopus Mechlinienſis, non eſſe Romæ approbatas Cenſuras, ut petierat, monuit Facultatem Theologicam Articulos illos eſſe *maturiùs expendendos, ut tantummodo exceptis inde Aſſertionibus, quæ planè evidentis ſunt abſurditatis, dignâ eos cenſurâ perſtringeret,* ut conſtat ex litteris D. Archiepiſcopi ad S. Congregationem datis die 17. Julii 1654.

Obtem-

Obtemperantes Archiepiſcopo Lovanienſes Doctores ex articulis 38. maturiùs expenſis eliminarunt Articulos 26. retentis ſolùm duodecim, quos unà cum aliis quinque ſumptis, adeoque omnes ſeptemdecim novâ Cenſurâ notarunt. Porrò inter illos articulos 26. quos omiſerunt, erat ille, qui eſt *Propoſitio quinta* de famulis hero ſervientibus affeétanti viam ad peccandum. Judicarunt igitur tunc quidem illum Articulum non eſſe *omnino evidentis abſurditatis*; etſi tunc ille contineret circumſtantiam notabilem, quod Herus ſine illo obſequio famuli non eſſet iturus ad peccandum. At ecce rurſus prodit Articulus ille & quidem truncatus invidioſâ ſui parte, repræſentaturque S.Sedi, ut corruptela Theologiæ Moralis in Belgio. Fortaſſe igitur his Doctoribus rurſum apparere cœpit *omnino evidentis abſurditatis*. Ex his ſe prodere videtur quædam levitas horum Doctorum in ſuis Cenſuris, quæ eſt contraria modeſtiæ.

§. 3.

Suggeruntur quædam à Lovanienſibus Doctoribus propugnata, de quibus conſuli poterat S.Sedis in præſenti materiâ de Luxuria.

HÆc verò ſuggeruntur à nobis, non tamquam *omnino evidentis abſurditatis* (nos talia judicia non ferimus) ſed tamen de quibus magis piè conſuli poterat S.Sedes, quàm de aliis multis, quæ huic repræſentarunt noſtri Doctores: quia & bonæ mentes angi de illis poſſent, & non ſunt arrepta ex aliquo libello infami Anonymi impoſtoris, aut malè detruncata alicui libro, ſed ut referentur, & ſic Academicis Lovanii propoſita Theſibus, atque à Lovanienſibus Doctoribus propugnata.

LIBERTVS FROMONDVS S.T.Doctor Lovanii die 8. Januarii 1648. hæc propoſuit Theſi 4.

Oſculum, causâ amicitiæ ſecundùm morem patriæ per ſe eſt licitum etiam ſolutis: nec erit mortiferum, ſi præcisè fiat, quatenus eſt actus delectabilis abſque ulterioris voluptatis intentione, & abſque inordinatâ (quod rarò fit) corporis motione. Oſcula & tactus libidinoſi inter non conjugatos nec ſponſos (idem judica de alloquiis, amplexibus, & aſpectibus) mortalia ſunt peccata: non autem inter conjugatos, ſi abſit periculum pollutionis, nec ſic inter ſponſos amplexus & oſcula.

Nota quod procedat Theſis de oſculis libidinoſis, ut patet conſideranti theſim; præcipuè cum de oſculis non libidinoſis procedat prior pars Theſeos.

IOANNES SCHINCKELIVS S.T.D. Lovanii die 21. Auguſti 1648. Theſi 2.

Oſculum autem factum præcisè, quatenus eſt actus delectabilis, ſine ulteriori relatione, non eſſe mortiferum, probabiliter ſuſtinemus.

Quænam ſit illa *ulterior relatio*, ſine quâ ſi fiat oſculum, licita pronuntiatur ejus delectatio prudens Lector diſpiciat.

GVILIELMVS AB ANGELIS S.T.D. Lovanii die 6. Februarii 1648. Theſi 3.

' Qui juſtam habet cauſam agendi aliquid, ex quo proximus ſumit occaſionem peccandi, excuſatur. Ex quo capite multa excuſantur; ut ...... Comitari herum abeuntem ad peccandum.

Nota caſum poni ejuſmodi, ut ſine hoc famulari obſequio Herus non eſſet peccaturus.

CAPVT XIV.

De præceptis Eccleſiæ.

§. I.

Ad Doctrinam de præceptis Eccleſiæ, quam ut Laxitatem Theologorum in Belgio Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO UNICA. Haud eſt neceſſarium, ut quis præcisè ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, ut habeat aliquam internam devotionem.

' *PRIMO.* Hanc propoſitionem hi noſtri Doctores honorarunt ſpeciali titulo, *de præceptis Eccleſiæ.* Certè hunc honorem propoſitioni debebant: eſt enim propoſitio ad verbum (niſi quod particula *non* mutata ſit in *haud*) propugnata publicè Lovanii à *IOANNE SINNICHIO* S. T. Doctore Lovanienſi, ipſorum nuper Collegâ, cum viveret, Auctore *SAVLIS EXREGIS* tam ſevero, ut jam ſæpius patuit, uno etiam ex Cenſoribus Articulorum 17. rurſumque Articulorum 26. ex quibus multas Propoſitiones ſumpſerunt hoc tempore Doctores repræſentandas Sanctæ Sedi. Aſſertionem propugnatam à *IOANNE SINNICHIO* mox dabimus.

SECVNDO. Poſtulat hic locus, ut Lector adeat priorem libellum, ſupplicem, quem hi Doctores Romam cogitantes obtulerunt Regi Catholico, in quo laudant ſuos conatus, ſuorumque Majorum, ut doctrinâ Chriſtiana doceatur pura & ſolida, deplorant corruptelam Moralis Theologiæ hoc tempore, & ſuos conatus irritos cecidiſſe, opponentibus ſeſe pluribus: profitentur ſe Romam cogitare, ut informent S. Sedem de ſuis conatibus jam dictis, ac doctrinâ ſuæ ſcholæ, & multa ſimilia. Ecce autem in ipſa informatione inter propoſitiones, quas S. Sedi repræſentant, ut reprobatas à ſua ſchola, atque ut propoſitiones illorum, qui ſe oppoſuerunt ipſorum conatibus, collocant propoſitionem,

nem, quam ad verbum propoſuit nuper impreſſis Theſibus, propugnavitque in Schola Academica Lovanienſi *IOANNES SINNICHIVS* S.T. Doctor ille tam ſeverus.

TERTIO. Præter *Ioannem Sinnichium* S.T. Doctorem Lovanienſem, nullus eſt, fuitve Theologus in Belgio, quod aſſequi potuerimus, qui dederit hujuſmodi propoſitionem, aut doctrinam. Poſtulamus nominari vel unum. Fatendum eſt etiam, occaſione hujus doctrinæ nullas apud nos extitiſſe *contentiones, acerbitates, perturbationes, ſcandala*, quia Adverſarii horum Doctorum ſunt modeſtiores, quam ut occaſione alicujus aberrationis irrepentis in theſim, qua non violatur manifeſtè auctoritas Eccleſiæ, aut Romanorum Pontificum contraria manifeſtè docentium, ruant in contentiones.

§. 2.

Doctrinam propugnatam à Lovanienſi Doctore Ioanne Sinnichio, *ut reprobatam à ſua Schola Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.*

DOctrina repræſentata S.Sedi, hæc eſt.

Haud eſt neceſſarium, ut quis præcisè ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, ut habeat aliquam internam devotionem.

Doctrina propugnata à *IOANNE SINNICHIO* S.T.D. Lovanii die 14. Januarii 1659. Theſi 4. hæc eſt.

Non tamen eſt neceſſarium, ut quis præcisè ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, ut habeat internam aliquam devotionem.

Propoſitio repræſentata S.Sedi ad verbum continetur in propoſitione propugnata, niſi quod vocula *non*, quam hæc habet, ſit mutata in voculam *haud*, quam habet illa; hæc etiam plus habet unum *tamen*. Optandum eſſet, ubique tam fideles fuiſſe hos Doctores in deſcribendis Auctorum propoſitionibus.

Porrò ne quis ſuſpicetur inhumanam propoſitionis avulſionem à reliquo contextu Theſeos eſſe factam à nobis, locum ipſum deſcribamus integrum. Ubi animadvertat Lector propoſitionem illam in Theſim non irrepſiſſe inobſervatam, ſed maturâ deliberatione & ſuis munimentis, quoad potuit, inſtructam probè, fuiſſe ingreſſam atque admiſſam. Sic habet locus ille Theſeos ad verbum.

Graviter quoque delinquunt contra hoc præceptum, qui tempore ſacri huc illuc circumſpicientes fabulantur. Non tamen eſt neceſſarium, ut quis præcisè ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, ut habeat internam aliquam devotionem, cum Eccleſia actum merè internum præcipere nequeat; imo neque actum internum, quatenus hic neceſſarius eſt, ut actus externus, quem præcipit, habeat rationem veræ virtutis; ſed ſolùm quatenus eſt abſolutè neceſſarius, ut actus externus in eſſe phyſico liberè, & humano modo ponatur. Unde

 qui

qui toto tempore ſacri voluntariè eſt diſtractus; modò ſufficienter ſibi præſens ſit, ut Sacro cum externâ reverentiâ debitè aſſiſtat, huic præcepto ſatisfacit; quamvis talis in aliud præceptum impingat. Sed an is, qui legit horas Canonicas tempore Sacri die feſto, utrique præcepto ſatisfaciat? affirmativa pars, uti communior, ita verior eſt.

Oſtendit totus hic contextus non ſolùm doctrinam propoſitionis, ſed & fundamenta doctrinæ. Doctrinam ergo Doctoris & quidem *IOANNIS SINNICHII* tot Articulorum Cenſoris tam ſeveri, ut reprobatam à ſua Schola, S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes. Quomodo irrepſerit propoſitio in illum Catalogum ex Theſibus *IOANNIS SINNICHII*, nos latet: ſtudio inde excerptam eſſe ab ipſis Doctoribus, difficile eſt creditu. Non enim hoc alibi ſolent, cum poſſent ſæpiſſimè. Fortaſſe collectoribus laxarum propoſitionum ſunt uſi, quos inter quiſpiam homo minimè malus propoſitionem inventam in Theſibus *Sinnichii* laxam ſibi viſam, ut eſt, ſuggeſſerit.

CAPUT XV.

De Feſtis ſervandis.

PROPOSITIO PRIMA. Præceptum ſervandi feſta nos non obligat ſub mortali ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

PRIMO. Eſt hæc propoſitio articulus octavus inter illos 17, quos Facultas Theologica Lovanienſis ſolemniter damnavit anno 1653. *Ioannes Sinnich* Cenſorum unus fusè tractans hunc articulum in Saüle Exr. lib. 1. cap. 106. §. 398. non habuit, quem nominaret ejus Auctorem, niſi generatim *Neotericos laxitatum patronos.*

Eruditiſſimus atque eximius vir *NICOLAVS DV BOIS* Sacrarum litterarum in Academia Lovanienſi Profeſſor Regius ac primarius, Pontificiæ auctoritatis vindex indefeſſus, cum ad propoſitionem 23. & 45. ex damnatis ab Alexandro VII, mentionem feciſſet hujus quoque propoſitionis, *renovata eſt*, inquit, *à Neotericis* (ſic loquitur *Saül*) *Laxitatum patronis: ſed neminem nominat; nec ego apud eos, quos eo nomine impeti credideram, invenire potui.*

Hæreticos doctrinæ Auctores nominare ſit promptius. Emin. Card. *Robertus Bellarminus* ſic ſcribit lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 10: *Obſervatio certorum dierum feſtorum rectè præcipitur in Eccleſia lege obligante conſcientiam etiam citra contemptum & ſcandalum*, tum ſubdit: *hæc eſt contra Hæreticos hujus temporis.*

SECVNDO. Quid ergo? dicemuſne Articulum eſſe confictum, nullâ ſaltem occaſione arreptâ ex libro quopiam, idque ne materia deeſſet indulgendi

Cen-

Cenſuris ? non dicemus : Articulum enim illum Octavum ex ſeptemdecim obtulit impoſtor Hiſpanus *Gregorius Eſclapez* , de quo audiendus *Guilielmus le Maire* in *Statera Saülis exregis* ſect. 3. cap. 5. qui cum oſtendiſſet articulum primum, ſecundum & tertium ferè eſſe acceptos ab impoſtore Gallo Auctore libelli *Theologie Morale de Ieſuites*, de reliquis ſic narrat.

„ Dicamus paucis. Quartum Articulum impoſtor Gallus delineavit ſect. 4. „ num. 19. p. 24. Quintum articulum obtulit idem ſect. 3. n. 19. pag. 16. Sex- „ tum articulum ſect. 3. n. 7. p. 12. Septimum articulum non obtulit impoſtor „ Gallus ſed Hiſpanus, *Gregorius Eſclapez* articulo 69. Hujus impoſturas ſup- „ preſſit Inquiſitio Hiſpanica. *IDEM DE OCTAVO ARTICVLO LECTOR IN-* „ *TELLIGAT.* Nonum articulum prompſit impoſtor Gallus toties memoratus „ ſect. 3. n. 8. pag. 13. obtulit idem articulum 14. 15. 16. 17. Sed jam horum me „ tædet. „

TERTIO. Neque tamen ignota eſt nobis quorumdam antiquiorum doctrina in hâc materiâ. *Gerſonem* conſtat ſaltem periculosè locutum, non ita tamen quin excuſare illum quidam conentur. *Cajetanus* nihil definivit de præcepto obſervandi feſta. *Angelus* & quidam alij non excuſarunt à gravi peccato tranſgredientes legem ex conſuetudine. Sed neque ſunt illi, quorum doctrina cenſeri poſſit laxitas hoc tempore Theologorum in Belgio , quæ nobis *Contentiones, perturbationes, ſcandala dederit.* Auctores propoſitionis proferant Doctores, ut intelligamus non fuiſſe uſos libello Impoſtoris ad informandam S. Sedem de doctrina Theologorum in Belgio.

PROPOSITIO SECUNDA. Si Herus quiſpiam habens duodecim ſervos injungat eis laborem integri diei aſſignando ſingulis duas horas ſucceſſivè , ac diviſivè non peccat mortaliter.

PRIMO. Auctorem doctrinæ, quam continet propoſitio *Ioannes Sinnich* in *Saüle Exrege* cap. 107. pag. 432. col. 1. facit *Thomam Tamburinum* l. 4. *in decal.* cap. 3. §. 2. n. 2. quia ſcilicet non improbat, quam ibi refert, ſententiam *Bonacinæ* illam obiter docentis d. 5. de 3. præc. dec. q. unica p. 3. n. 4. fieri poteſt , ut etiam in Belgio prodierit uſpiam aliquid Theſium Scholaſticarum, in quibus illa contineretur ; cæterum eam eſſe aut valde communem inter Noſtrates , aut cuipiam tam charam, ut ejus causâ proſilire velit ad contentiones, acerbitates, ſcandala, non eſt credendum his Doctoribus in libello ſupplici.

SECVNDO. Quantum etiam peccati habeat illa doctrina libentiùs diſcemus à Romanis Cenſoribus, quàm à Lovanienſibus , inter quos *Ioannes Sinnichius* in *Saüle Exrege* lib. 1. c. 107. §. 400. p. 432. col. 1. contra doctrinam ipſam hoc ferè telo inſurrexit.

Saulus Stephanum lapidavit eorum manibus, quorum veſtimenta ſervavit; ut expeditiores eſſent, ergo herus jubens duodecim ſervos ſingulos ſucceſſivè laborare per duas horas, laboravit toto die, adeoque peccavit mortaliter.

Ad hoc argumentum *Guilielmus le Maire* in *Statera* ſect. 1. c. 8. pag 39. *perplexa res*, inquit, *aſſignare diſparitatem. Sic refutare laxitates, eſt prodere ſeveritatem &c.* Nos ex argumento *Sinnichii* intelligimus idem pronuntiaturum de hero, qui duodecim Servos infideles præcepto Eccleſiæ non obligatos, juberet ſimiliter laborare. Sed ille viderit, viderintque Theologi, quibus placet doctrina, cujus ſanè praxis non eſt facilis, aut expedita valde.

CAPUT XVI.

De miſſæ auditione & Horis canonicis.

§. I.

Ad Doctrinam de miſſæ auditione & horis canonicis, quam, ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.

PRIMO. Hæc propoſitio eſt articulus 17. ex illis 26. quos Facultas Theologica Lovanienſis ſolemniter damnavit die 4. Maji 1657. *Ioannes Sinnichius* Cenſorum unus in *Saüle Exrege* l. 1. c. 106. fusè tractans articulum non habuit in promptu cui eum adſcriberet; quod mirum; cum *Ludovicus Montaltius* in famoſis Epiſtolis eum adſcripſerit *Antonio de Eſcobar* in *Theologiâ Mor.* editionis Lugdunenſis anni 1646. quam non habemus ad manum; In codice qui eſt ad manum affirmatur de duobus ſimul partibus miſſarum & non de quatuor, idque hac ratione *quia poteſt quis ad utrumque ſacerdotem animum attendere.* Non perſuadet nobis hæc ratio, occurrit tamen Cenſuræ Lovanienſi his verbis conceptæ: *falſa eſt, & præceptorum Eccleſiæ eluſiva, nec majorem habet apparentiam de 4. ſacri partibus quam de* 20. ſic viſum eſt illis doctoribus.

SECUNDO. nuſquam in Belgio turbavit illa doctrina, uſque adeò ut ne patronum quidem illius promptum ſit nominare.

PRO-

PROPOSITIO SECUNDA. In audiendo miſſam de præcepto, vel recitandis horis ex obligatione, ſatis eſt attentio externa: unde poteſt quilibet voluntariè diſtrahi.

PRIMO. Verba propoſitionis excerpta ſunt ex *Thomæ Tamburini* lib. 1. in dec.c.3.§.8.n. 12. audiatur ergo *Guil. le Maire* in *ſtatera Saülis extr.* Sect.1. c. 6. n.80.p.33. „ *Tamburinus* l.1.c. 3. §.8. unde ſumpta ſunt verba illa, revera hoc „ agit ex profeſſo,ut ſcrupuloſis ſubveniat. Sinnichius autem (in *Saüle extr.* c. „ 107.pag.434 col.1.) pro ſuâ benevolentiâ in hunc auctorem, *audiamus*, ait, „ *eumdem alibi laxioribus indulgentem*: ipſum puduit hujus dicti: unde, *vel potiùs*, inquit, *ut præ ſe fert*, *Scrupuloſioribus medentem.* Languida correctio. Quid „ erat opus iſto? *ut præ ſe fert*: ſimulavitne *Tamburinus* ſe ſcrupuloſis mederi,& „ laxioribus indulgere ſtuduit? vide ſuſpicionem atram ...... jàm verò quid re- „ prehenſionis meretur remedium illud à *Tamburino* ſcrupuloſis præſcriptum? „ conſulantur Theologi etiam liberiùs vulgò medentes iſti hominum generi,ne „ denique attentione orationis hoc efficiant, ut inepti ad orandum ſint. Rectiùs citaſſet *Sinnichius Tamburinum* l.4.c.2.§. 1.n.19.20.21. ubi,ut probabilem, „ amplectitur ſententiam affirmantium tempore ſacri & in recitatione officii „ divini, non eſſe neceſſariam attentionem internam, ſed iterum iterumque „ ſignificat attentionem ſe intelligere actualem, monetque ſe loqui ſolùm de „ de neceſſitate ſub peccato mortali.“ Hæc ille.

SECUNDO. Nequaquam erat operæ pretium de hac doctrina certiorem fieri S.Sedem à Lovanienſibus Doctoribus: eſt enim tam multorum extra Belgium (in quo eſt nullius nominis, niſi quod quidam probabilem vocaverint) ut Romæ ſit notior quàm Lovanii. De auctoribus doctrinæ videri poteſt *Ant. Diana* Part.4.Tr.4.R. 107. P.7.Tr. 11.R. 30. *Leander* tom.2. *de Sacram.* tr.6. d.13.q.15.& tom.6.tr.8.d.4.q.2. *Valerius* in *diff. utriuſque fori* v. *Hora can.* diffic. 1.citans pro illa ſententia Auctores viginti duos, atque in his *S. Thomam*. Et verò ſententia fuit *S. Antonini* 3.p.tit.13.§.7.iterumque §.8. *Silveſtri* v. *hora* q.11. n.13.profitentis ſe loqui *ex mente d.Thomæ, & Petri de palude*. eſt itidem ſententia *Angeli* v. *hora* n 27. *Durande* in 4.d.15 q.12.n.6.mittamus *Hoſtienſem, gloſſam, Archidiaconum, Ioannem de Medina, Victorellum, Machadum*, alioſque. Hæc in gratiam Doctorùm Lovanienſium tam liberis cenſuris notantium doctrinam, ut mox videbimus. Ceterum illorum omnium, quos nominavimus, peccatum, ſi quod eſt peccatum, luunt hoc tempore Theologi Belgæ, quibus doctrina, minimè eſt familiaris: poſtulamus annumerari, qui eam tradiderunt, ſi quis abſolutè tradiderit, præter Doctores Lovanienſes de quibus infrà.

PRO-

Propoſitio Tertia. Qui non poteſt recitare matutinum, ac laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem. Similiter ſi audire poſſes ſacrum ſolùm à præfatione deinceps, ad nihil teneris, quia per iſtam partem non potes adimplere præceptum.

Doctrina Propoſitionis videri poteſt fuiſſe Navarri in Com. de orat. c. 11. Doctrinam Navarri ſic temperatam ut qui cum ſocio recitare poteſt totum officium, & aliter non poteſt id præſtare debeat. cenſuit probabiliorem Caſtropalaus p. 2. Tr. 7. d. 2. puncto 6. Verbis igitur Caſtropalai potiſſimum conceptam propoſitionem cenſuerunt doctores offerendam S. Sedi. Quot aliorum Theologorum verbis conceptam offerre potuiſſent majori jure, notum eſt peritis. Sed nos in Belgio quæſtiones illæ non torquent.

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum, & Academicorum Louanienſium in materiâ de miſſæ auditione & horis canonicis.

Cenſuram Facultatis Theologicæ in propoſitionem primam, de auditionē plurium ſimùl partium miſſæ, hanc audivimus: *falſa eſt & præceptorum Eccleſiæ eluſiva: nec majorem habet apparentiam de 4. Sacri partibus, quàm de viginti.* Modeſtiùs dixiſſent propoſitionē non eſſe veram, tum verò de hoc integra fuiſſet deliberatio aliis Theologis, donec S. Sedes certum quid definiviſſet.

Ad propoſitionem ſecundam, de auditione miſſæ & horis canonicis, cum ſolâ attentione externâ magnum edit ſtrepitum *Ioannes Sinnichius* in *Saüle exr.* l. 1. c. 106. §. 399. p. 428. col. 2. *Aſſertionem*, inquit, *à SYLVESTRO pridem traditam CABEZVDVS jure meritò FALSISSIMAM & IMPROBABILEM prædicat.* Utentibus illâ ſententiâ accommodat illud *Hier.* 28. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* hoc itidem *Matt.* 15. *Hypocritæ bene prophetavit de vobis ISAIAS dicens; populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me*: hoc etiam *S. Bernardi* in *Apol.* ad *Guiliemum* abbatem: *Quis magis impius, an profitens impietatem, an mentiens ſanctitatem*?

Non minùs tragica dedit idem Doctor *Ioannes Sinnichius* Lovanii die 29. Januarii 1663. Theſi 1. His verbis.

Vnde patet, quàm ineptè quidam merè vocali recitatione, cum externo corporis cultu con-

conjunctâ contenti ſint : cum & humanus ſenſus horreat audire, Eccleſiam non plus in hâc materiâ indicere Clericis aut Monachis, quàm præſtari poſſit à Pſittacis. Quare in tales meritò incidat propheticum illud fulmen ISAIÆ 29. v. 13. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

GERARDVS VAN WERM S. T. D. Lovanii die 26. Januarii 1671. Theſi 2. *RABBINIS INDVLGENTIORES SVNT, qui confidenter docent, ad lectionem horarum non requiri attentionem internam.* Tritiſſima his Doctoribus doctrinam quampiam in materia morum improbantibus ſunt hæc vocabula; *RABBINI, PHARISÆI, HYPOCRITÆ*, & ſimilia.

Amœniora dederunt Poëtæ Lovanienſes nuper. Ad doctrinam de miſſæ auditione ſic luſerunt.

O malè! quod miſſam feſtis audire diebus
Lex jubet, ô votis lex inimica meis.
Sed quid agam? nobis dedit hanc Eccleſia legem:
Hanc ſi tranſgrediar, grande patrabo nefas.
Quam candelarum peſtes exhorreo myſtas!
Dum ſubit ira, ſubit commodus ecce modus.
Incipit en ſacrum: cœptum illud, penè peractum
Eſt aliud, modico tempore flecto genu.
Vix moror, & primus pergit, proceſſit & alter,
Tertius abſoluit; nunc abiiſſe licet.

De recitatione officii canonici ſic luſit alter: fortaſſe intelliget eruditus Lector in quem virum luſerit.

Ore lego, tacitâ ſed ſidera mente revolvo;
Et quaſcumque tenent lucida ſigna vias.
Nec ſatis eſt; tenuem non carpit muſca volatum,
Quin turbet mentem ſtridula muſca meam.
Et modò detineor terris, patriaque recordor,
Et venit in longas impetus ire vias.
Haud aliter volvor ſemper, ſurſumque revolvor,
Quàm lapis, injectum quem ferit unda maris.
Et tamen Horarum me ritè exſolvere munus
Conſtat, & hoc auſim teſte probare Deo.

Faceſſant alia hujus generis, quæ plauſum Lovanii tulerunt,

§. 3. *Doctrinam*

§. 3.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum, de miſſæ auditione, & horis canonicis, ut re; probatam à ſua ſchola S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

AUdivimus §. Superiori quantâ libertate IOANNES SINNICHIVS perſtrinxerit Theologos, quibus ſufficiebat in auditione miſſæ, & Horis Canonicis attentio externa: audiamus ergo rurſum quæ dedit ipſe Lovanii die 14. Januarii 1659. Theſi 4.

Non tamen eſt neceſſarium, ut quis præciſè, ſatisfaciat præceptô Eccleſiæ ut habeat internam aliquam devotionem, cum Eccleſia actum merè internum præcipere nequeat, imò neque actum internum, quatenus hic neceſſarius eſt, ut actus externus, quem præcipit, habeat rationem veræ virtutis; ſed ſolùm quatenus eſt abſolutè neceſſarius, ut actus externus in eſſe phyſico liberè & humano modo ponatur: unde qui toto tempore ſacri voluntariè eſt diſtractus, modò ſufficienter ſibi præſens ſit, ut ſacro cum externâ reverentia debitè aſſiſtat, huic præcepto ſatisfacit; quamvis talis in aliud præceptum impingat.

Aliud illud præceptum, contra quod ille peccat, facilè intelligemus vel de vitando otio, vel de adhibenda reverentia ex naturâ rei debitâ. Sed quod attinet ad præceptum Eccleſiæ graviter obligans, huic ſatisfit per devotionem externam, ut vides. Nos quidem aſſertionem generalem diſerteque ſonantem in hac materia nuſquam alibi invenimus.

Ad hæc verò *Guilielmus le Maire* ſect. 2. c. 6. §. 1. p. 168. *hac mihi*, inquit, *videtur mirabilis confidentia, haud ita pridem in actu publico propoſuiſſe ejuſmodi Theſim, atque approbaſſe, ut minimùm, tamquam nullâ dignam cenſurâ, aut reprehenſione, & TAMBVRINVM reprehendere tamquam laxioribus indulgentem, quod dixerit ſcrupuloſos monendos de probabilitate ejuſdem Theſeos.*

Admirabilior fit confidentia, ſi attendas illa quæ §. ſuperiore à *Sinnichio* audivimus; *falſiſſima & improbabilis doctrina. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me. In tales meritò incidat propheticum illud fulmen &c.*

Quoniam verò aſſertioni, quam audivimus, adjungitur ratio in Theſi; *cum Eccleſia actum merè internum præcipere nequeat &c.* latius accepta ibi videtur appellatio *actus merè interni*, quàm apud nos ſoleat: fortaſſe acceptio eadem aliis placuit Doctoribus, qui ſuſtinuerunt Lovanii, non poſſe Eccleſiam præcipere actus merè internos. Idque die 6. Novembris 1660. Theſi 3. die 6. Decembris 1660. Theſi 3. die 9. Novembris 1663. die 31. Januarii 1659. Theſi 2. die 8. Martii 1618. Theſi 1. &c.

IOANNES MOLANVS S.T.D. Lovan. Theol. Pract. tract. 3. c. 8. à n. 8. *Requirit autem oratio attentionem ſivè ultro ſive ex præcepto ſuſcipiatur......... eſt autem*

autem neceſſaria attentio vel ad verba, vel ad ſenſum vel ad Scopum orationis, hoc eſt, ad Deum & ad rem pro qua oratur. Harum attentionum prima bona eſt, ſecunda melior, tertia optima.

Patet verò attentionem ad nuda verba deeſſe non poſſe illi, qui humano modo recitet horas canonicas.

IOANNES WIGGERS S.T.D. Lovanienſis 2. 2. tract. 8. cap. 2. dub. 12. n. 55. n. 56. n. 57.

Altera attentionis diſtinctio eſt, ſecundùm quam diſtinguitur in attentionem ad verba orationis (quam D. BONAV. in opuſc. de proceſſu relig. l. 7. c. 3. vocat ſuperficialem) in attentionem ad ſenſum verborum (quam D. BONAVENT. vocat litteralem) & in attentionem, qua ottenditur ad finem orationis, ſcilicet ad Deum & ad rem pro quâ oratur..... dico primò in omni oratione vocali requiritur una aliqua attentio ex tribus...... dico ſecundò: ut autem oratio vocalis habeat rationem vera orationis, ſufficiet quamcumque adeſſe attentionem ex tribus jam antè dictis.

IOANNES MALDERVS Antverpienſis Epiſcopus S.T. Doctor Lovanienſis 2. 2. tract. 10. de orat. cap. 2. dub. 2. pag. 645.

Quarta quaeſtiuncula. Vtrùm attentio ad verba ſufficiat ſinè alia attentione in lectione horarum ex obligatione praeceptâ? R. Attentionem ad verba (ſinè voluntaria diſtractione) talem ut caveatur moraliter, ne in verbis erretur, cum virtuali attentione illis verbis orandi, ſufficere. Legendum hîc eſt, *cum virtuali intentione orandi, & non attentione*, ut patet ex phraſi ipſa, & contextu: ſic enim habet ibidem col. 2.

Quinta quaeſtiuncula. Quando cenſeamur ſufficienter ad verba attendere? R. quando voluntariè non admittimus aliquid, quod eorum debitam pronuntiationem impediat; ſed iis pronuntiandis, quod in nobis eſt, ita invigilamus, ut verè ſubſerviat earum pronuntiatio virtuali intentioni orandi. Vnde patet non eſſe opus, ut ſuper illa attentione fiat actualis reflexio: ſufficit humano modo, & liberè intendamus legitima pronuntiationi, virtute legitima intentionis.

Denique juxta hos Doctores ſufficit humano modo pronuntiare verba ſinè alia devotione interna, modo non voluntariè evagentur aliò cogitationes: illa autem *ſuperficialis attentio*, ut rectè appellabat, *S. Bonaventura*, ſinè dubio non meretur nomen *interna devotionis.*

Ibidem *IOANNES MALDERVS* dub. 4. pag 653. de Beneficiariis ſic docet.

Generatim exiſtimo, eum, qui horas exteriùs recitavit, quantumvis diſtractus (ſi tamen aliquo modo ad Eccleſia intentionem ſe conformare voluerit initio recitationis) non comprehendi conſtitutione Lateran: aut PII V. de reſtituendis fructibus. Atque hæc intelligit; *ſi interior diſtractio etiam exteriùs prodatur, puta per incompatibile attentioni opus exterius*, ut paulò ante ſe explicat.

Ad Propoſitionem Tertiam *qui non poteſt recitare matutinum & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad ſe minorem*, pertinet brevis aſſertio, quam *GERARDVS VAN WERM* S.T. Doctor ex illis

 unus,

unus, qui hoc tempore expoſtulant apud S. Sedem, propugnavit Lovanii die 29. Auguſti 1668. Theſi 2.

Qui etiam ob cæcitatem vel debilitatem nequit dicere ſaltem majorem partem, ad nihil tenetur.

CAPUT. XVII.

De Jejunio.

§. 1.

Ad Doctrinam de Iejunio, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PRopositio prima. Qui dormire nequit, niſi veſperi ſumptâ cœnâ, non tenetur jejunare; imò neque in prandio collationem ſumere, quamvis hoc modo iſti incommodo obviare poſſet; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.

Eſt hæc Propoſitio articulus 22. inter illos 26. quos Facultas Theologica Lovanienſis ſolenniter damnavit die 4. Maji 1657. verba propoſitionis ferè ſumpſerunt ab *Antonio de Eſcobar*, vel ſaltem à *Ludovico Montaltio* Epiſt. 5. nam & hic verba deſcripſit. Quare *Ioannes Sinnichius* Cenſorum unus in *Saüle Exr.* l. 1. c. 107. §. 41. p. 433. col. 1. *Articulus*, inquit, *videtur deſumptus ex Theologia morali P. ANTONII DE ESCOBAR ex exam.* 13. *cap.* 3. *n.* 67....... *citat ille ibidem FILLIVCCIVM.* Sic eſt: citat ille ibidem *Filliuccium*, & more ſuo, non tam ſuam, quàm aliorum refert ſententiam.

Audiatur ergo *Filliuccius* tom. 2. tract. 27. p. 2. c. 6. n. 130. *qui bonâ fide credit ſe habere juſtam cauſam non jejunandi, & propterea non jejunat, is non peccat ſaltem mortaliter...... Quo pacto excuſari poſſunt multi ſolventes jejunium vel excedentes in refectiuncula: putant enim, ſe non teneri ex variis cauſis, ut ob debilitatem, vel ad capiendum ſomnum.*

Hue res redit: excuſantur illi à peccato propter bonam fidem. Erraverit ergo *Antonius de Eſcobar* in exponenda doctrina *Filliuccii*: hoc ſatis erat his Doctoribus, ut profilirent ad cenſuram.

SECVNDO. Sed denique erraverint in doctrinâ ipsâ & *Eſcobarius & Filliuccius*, & cum his *Cajetanus*, *Paludanus*, *Antoninus*, *Sylveſter*, *Navarrus*, quos à ſe ſtare

ſtare aſſerit *Filliuccius* : alios pro *Eſcobario* citat *Diana* p. 1. tract. 9. reſ. 51. Nihil hæc ad corruptelam Theologiæ moralis in Belgio hoc tempore, de qua expoſtularunt Doctores in libello ſupplici : nuſquam de quæſtione illa apud nos viderunt *contentiones, ſcandala &c.*

Propositio secunda. Defeſſus ex quocumque labore licito vel illicito, V. G. cum fæminis commixtione liberatur à lege Jejunii.

PRIMO. Eſt hæc propoſitio Articulus 23. ex illis 26. quos Schola Theologica Lovanienſis damnavit die 4. Maji 1657. Verba propoſitionis ferè ſumpta ſunt ab *Antonio de Eſcobar* tract. 1. exam. 13. c. 3. n. 45. ſed ibi quidem merè inquirit, *an defeſſus ex quocumque labore licito vel illicito obligationi jejunandi ſubjaceat?* ad quod reſpondet, alios affirmare, alios negare. Hoc verum eſt, quod capite 2. ibidem n. 22. ad quæſtionem ; quid de laborante ad malum finem ? reſpondeat, illum quoque excuſari à jejunio. Sed hi Noſtri, ut magis durus appareret Articulus verba ipſa maluerunt ſumere ex priori loco, in quo etſi nihil definiatur, laboris tamen illiciti exemplum ponitur commixtio cum fæminis.

SECUNDO. Non eſt mirum graviter diſplicere his Doctoribus articulum, quo dicitur labore illicito fatigatos ita, ut moraliter jejunare non poſſint, jam non obligari ad jejunium, quando ex Janſeniana diſciplina inſtituti cenſent, in ſtatu naturæ lapſæ nos obligari ad implenda præcepta ſimpliciter impoſſibilia. Doctrinæ Specimina dedimus in 1. p. cap. 1.

TERTIO. Si procedat quæſtio pro caſu, quo nullo modo fuerit prævisum ſecuturum impedimentum jejunii; non debet pudere *Eſcobarium* doctrinæ ſuæ: cui ſubſcribent omnes Theologi, qui cum *Janſenio* nihil contraxerunt. Demus verò quæſtionem procedere etiam pro eo caſu, quo aliquo modo fuerit præviſum impedimentum, vel, ſi præviſum non fuerit, aliquâ negligentiâ factum ſit, ut non prævideretur. Nuſquam negavit *Eſcobarius*, illum hominem peccaſſe, & quidem contra legem jejunii, ponendo cauſam impedimenti : id unum docuit *poſt commiſſum crimen, poſt tranſactum laborem* licitum vel illicitum, non eſſe obligationem jejunii. De auctoritate hujus doctrinæ videri poſſunt *Diana* p. 1. tract. 9. reſol. 40. *Honoratus Fabri* in opuſculo Anonymi ad Anonymum cap. 11. *Guilielmus le Maire* in *ſtatera* ſec. 1. cap. 9. Mirum eſt, hos Doctores vel ignoraſſe auctoritatem doctrinæ tam multiplicem & gravem, vel, ſi non ignoraverint, tantum tribuiſſe cenſuræ *Facultatis* ſuæ, ut illam putarint annumerandam corruptelis Theologiæ moralis in Belgio, articulo ipſo ad invidiam compoſito pudendis verbis, quibus expreſſam aſſertionem nuſquam invenerunt.

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in materiâ de Iejunio.

PRopoſitionem primam de jejunio: *Qui dormire nequit, niſi veſperi ſumptâ cœnâ &c.* hâc cenſurâ notarunt hi Doctores 4. Maji 1657.

Falſa eſt, & fundata ſuper frivolo prætextu.

Ad hanc cenſuram hæreat quiſpiam, & inquirat, de quo, vel potius de cujus hominis prætextu ſit ſermo. *Filliucciua* quidem, &, qui alii fuerunt auctores doctrinæ, nihil prætexuerunt, ſed cauſam excuſantem requiſiverunt veram, ſomni defectum notabilem: ſi qui in ipsâ praxi prætexant ſomni defectum, qui non eſt, hi non ſequuntur doctrinam illorum auctorum. Sed neque doctrina fundatur ſuper horum frivolo prætextu. Videtur ergo leviter præcipitata cenſura, quod eſt contra modeſtiam.

Propoſitionem ſecundam de jejunio: *Defeſſus ex quocumque labore licito vel illicito V. G. cum fœminis commixtione, liberatur à lege jejunii*: graviori cenſurâ perſtrinxerunt.

Falſa eſt & caſtis auribus horribilis.

Quod ad priorem cenſuræ partem attinet, modeſtiores Theologi ſimpliciter dicent vel negabunt Propoſitionem eſſe veram: tum verò de falſitate credent melioribus cenſoribus, quibus hanc debent reverentiam.

Quod ad poſteriorem attinet cenſuræ partem, non fuiſſet tam *horribilis caſtis auribus* propoſitio, ſi placuiſſet his Doctoribus eam dare illis verbis, quibus exſtabat apud modeſtiores Theologos; non enim infarſiſſent exemplum de commixtione cum fæminis, quod auctor cujus verbis utuntur, non adhibuit, ubi aſſertionem poſuit; ſed alibi ubi dubitavit: parum attinet quâ motus ratione. Potuiſſent illigare in propoſitionem exempla minùs horribilia caſtis auribus; quale eſt apud *Tamburinum. Si quis ad furandum pedeſtre iter arripuerit*, vel etiam ut eſt apud *Ledeſmam*, alioſque paſſim, ad viſendam amicam. Per tranſennam Lector notet, non dubitare hos Doctores Lovanenſes quin ad jejunium obligentur, qui intemperantiâ, luxuriâ, aliiſque vitiis, ſibi fregere vires ita, ad jejunandum ſint ineptiſſimi, neque omnino jejunare jam poſſint, niſi enecando ſeſe. Ita quidem apparet.

IOANNES SINNICHIVS S.T. Doctor Lovanienſis in *Saüle Exr.* l. 1. cap. 107. §. 401. p. 433. col. 1. Doctrinam de Jejunio utrâque propoſitione contentam appellare non dubitavit *maximam laxitatem*. Et *licentioſam victitandi methodum*. Sed nos recreent Poëtæ Lovanienſes. Ad primam propoſitionem ſic luſerunt.

O quam

O quam jucundum, quamque eſt dormire ſalubre!
Nam ſomnus curas membraque feſſa levat.
Somnus corpus alit, redditque laboribus aptum;
Hic quoque ſollicitos cogit abeſſe metus.
Cum nequeas igitur, ni cœnes ducere ſomnum;
Nec tibi contingat noctis amica quies:
Ne dubites ventrem lautâ diſtendere cœnâ
Irriget ut dulcis membra quieta ſopor,
At prandere nefas, ſi cœna eſt largior: erras:
Quorſum ſumendi vertitur ordo cibi?

Accedat hoc ad Scholaſticos.

Concurſate Schola, vobis ingentia porto
Gaudia, doctrinam percipe turba meam.
Dura nimis ſparta eſt, toties ſcribendo, ſtudendo
Alternaturas continuare vices.
Quàm durum eſt, omnes ſtudiis intendere nervos!
Vos minor exercet, ruſtica turba, labor.
Ob calami pondus ſcribentis dextra labaſcit,
Laſſaretque minùs ruſtica ſtiva manum.
Concludo: non vos igitur jejunia tangunt:
Nata probabilitas hoc grave tollit onus.

His ſimilia hortamenta extant, ad tonſores, artifices, alioſque. Plauſum ſingula tulerunt Lovanienſem.

CAPUT. XVIII.

De Communione annua.

§. I.

Ad doctrinam de Communione annua, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis *Chriſti* manducationem.

Non

Non eſt diffitendum hanc doctrinam fuiſſe ſatis communem in Belgio; ſed non communiorem quam alibi terrarum. Inprimis vero fuiſſe communem in ſcholâ Lovanienſi, patebit infra. De illa igitur doctrina judicium Apoſtolicæ Sedis expectabimus, & reverebimur.

PROPOSITIO SECUNDA. Qui in paſchâ communicavit, ſi in Articulo mortis non communicet ex negligentia quadam ſine contemptu, non peccat mortaliter: imò nec, ſi in paſcha non communicaſſet.

PRIMO. Fuit hæc Propoſitio Articulus 19. inter illos 38. quos jam pridem cenſuraverat Facultas Theologica Lovanienſis: verùm juſſa ab Illuſ. Archiepiſcopo Mechlinienſi articulos *maturius expendere*, & illos ſolos notare cenſurâ, qui eſſent *omnino evidentis abſurditatis*, factum eſt, ut ſimul cum aliis Articulis pleriſque omiſſus ſit ille 19. cui inter Articulos 17. locum nullum dederunt; adeoque ab ipſiſmet Cenſoribus judicatus ille fuit, non eſſe *omnino evidentis abſurditatis*. Sed ecce Articulus idem revixit in catalogo Propoſitionum, quas hoc tempore repræſentant S. Sedi Doctores Lovanienſes.

SECUNDO. Dubitari non poteſt, quin prima articuli pars ſumpta ſit ex *Emanüele Sà* correcto à Magiſtro S. Palatii *V. Eucbariſtia* ubi eadem prorſus verba extant etiam adhibita correctione Magiſtri ſacri Palatii. Ubi verò invenerint partem propoſitionis poſteriorem, quam aſſuerunt verbis *Emanüelis Sà* poſtulamus doceri.

TERTIO. Ad doctrinam, quam continet prior pars propoſitionis ſic adnotavit pridem Antoninus Diana 3.p. tr.4. reſol.40. *Notandum eſt tamen hic obiter D. BONAV. Palud. Cajet. Armillam, Victoriam, Ledeſmam, & alios docere non eſſe mortale omittere Eucbariſtiam in mortis articulo, niſi adſit contemptus.*

QVARTO. Fatendum eſt, in Belgio querelam eſſe hoc tempore de morientibus non rarò fidelibus ſine ſacro viatico: ſed neque Doctrina propoſitionis cauſa eſt hujus mali, neque negligentia ægrorum. Notior mali eſt cauſa quorumdam ſacerdotum imprudentia in differenda abſolutione. Res eſt apud nos teſtatiſſima.

§. 2. Specimen

§. 2.

Specimen modeſtiæ & inconſtantiæ Macarii Havermans *in Quæſtione de communione annua*.

MAgna inveſtigatione Theſim invenit unius de adverſariis, exhibetque num. 98. pag. 174. hanc ipſam: *Quidni præcepto communicandi tum Divino, tum Eccleſiaſtico facias ſatis; etſi in mortali communices? Peccabis tamen hoc facto.* Propoſita Theſi repetit ſuam fabulam: *Quid non audet effrenis licentia &c? Judicabit tua Sanctitas, quò hæ doctrinæ vergant, ſi terminum illis non ponas..... Quæ enim doctrina magis horrenda & ab omni piorum ac doctorum ſenſu magis remota eſt, quàm præcendens*: alia ſimilia multa. Judicium S. Sedis de illâ doctrinâ expectabimus non putamus tamen cenſuras laturam tam ſeveras.

Niſi Theſis diſertè haberet expreſſum: *peccabis tamen hoc facto*: exclamationes hæ dubium facerent an audiſſet aliquando *Macarius*, quod vulgò dicunt, duo hîc diſtinguenda præcepta; alterum affirmativum de ſumendâ *Eucharistiâ*, contra quod ſolùm dicunt communiſſimè Theologi non peccari à ſumente indignè, alterum negativum, de non ſumendâ *Eucharistiâ* indignè, contra quod nemo dubitat, quin peccet ſumens indignè.

Sed oſtendamus ipſummet, ſi conſtare ſibi voluerit, reum eſſe illius *Doctrinæ horrendæ*, ut vocat.

Cenſet *Macarius* eſſe obligationem omnia præcepta ſervandi ex motivo caritatis: eſſe obligationem E. C. certis diebus jejunandi & audiendi ſacrum ex motivo caritatis: & tamen etſi non ſerventur illa præcepta ex motivo caritatis, cenſet illis ſatisfieri, licet peccetur contra præceptum caritatis. Pluribus locis hoc declarat; ſed imprimis num. 36. pag. 49. ubi ægrè fert, quod *Franciſcus Simonis* ex generali præcepto omnia faciendi ex caritate deduxerit hoc conſectarium: *Non eſt abſoluta obſervatio legis, quæ fit ſine actu charitatis*, & contra inſurgit his verbis: *Quis noſtrum umquam voluit obſervationem hujuſmodi legis, eſſe peccatum contra primum decalogi præceptum? Bonum eſt obſervare legem! ſed ut ad primum conſectarium dixi, malum eſt illam legis obſervationem non facere propter Deum.* Ecce obſervatio jejunii E. C. quæ non refertur in Deum per caritatem, *non eſt peccatum, & eſt bona*; adeoque per illam ſatisfit præcepto jejunii; licet peccetur ob defectum relationis in Deum per caritatem: ergo ſi conſtare ſibi velit, ſic ſtatuat: communio facta extra ſtatum gratiæ, *non eſt peccatum* (hâc aſſertione meritò abſtinent ejus adverſarii) ſed *eſt bona*, adeoque per illam ſatisfit præcepto communicandi; licet peccetur contra præceptum non communicandi extra ſtatum gratiæ. Quas occaſione hujus doctrinæ accumulat exclamationes pag. 175. *Quam ſpiritualem utilitatem adferunt* leges divinæ, *ſi non præci-*

 piant

ſiant actus vera virtutis & pietatis, eamdem vim habent contra doctrinam ipſius, ut patet; imò majorem; cum nihil ipſi ſit perſuaſius, quàm nullum eſſe actum veræ virtutis & pietatis, ſine caritate. Suis ergo cenſuris ſe liberet *Macarius*, horreatque ſeipſum *doctrina horrenda auctorem.*

§. 3.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de communione annua ut reprobatam à Schola Lovanienſi S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

IOANNES SINNICHIVS S. T.D. in *Saüle exr.* l. 1. c. 106. §. 399. pag. 429. col. 1. Auctores doctrinæ, quam continet propoſitio prima de communione annua, terrere non dubitat *fulmine maledictionis iſtius Prophetica*, ut vocat; *maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* perſtringit eoſdem aeſi docerent, *imitari Phariſæos*, in quos CHRISTVS; *Hypocritæ bene Prophetavit de vobis Iſaias &c.* Hæc *Ioannes Sinnichius* Anno 1662. quo edidit *Saülem exr.* parum memor eorum, vel ea ſibi ignoſcens, quæ propugnaverat Lovanii die 11. Novembris 1660. Theſi 1. his verbis.

An verò indignè communicans præcepto Eccleſiaſtico ſatisfaciat, controvertitur: affirmantibus tamen adhæremus.

GERARDVS VAN WERM S. T. D. unus ex illis qui hoc tempore expoſtulant apud S. Sedem Lovanii die 17. Auguſti 1647. Theſi 4.

Huic præcepto Eccleſiaſtico etiam indignâ ſumptione ſatisfieri poteſt.

Doctor hic eamdem aſſertionem dedit die 5. Octobris 1647. Theſi 3. die 10. Octobris 1643. Theſi 4 die 18. Septembris 1641. Theſi 4. die 18. Februarii 1640. Theſi 4.

ANDREAS LAVRENT S. T. D. & ipſe unus hoc tempore expoſtulantium apud S. Sedem Lovanii die 11. Auguſti 1651. Theſi 3.

Cui (Eccleſiæ præcepto) *per ſacrilegam communionem poteſt ſatis fieri.*

Doctor idem aſſertionem dedit eamdem die 14. Novembris 1652. Theſi 1.

MICHAEL PALVDANVS S. T. D. Lovanii die 26. Maji 1648. Theſi 4.

Satisfit tamen per indignam ſuſceptionem Eccleſiæ; ſed non Deo.

Doctor idem aſſertionem dedit eamdem die 27. Auguſti 1648. Theſi 4.

IACOBVS PONTANVS S.T.D. Lovanii die 1. Februarii 1649. Theſi 4.

Eucharistia jure divino præcepta eſt ratione ſui: Eucharistia & pœnitentia inſuper Eccleſiaſtico, cui ſatisfit per communionem ſacrilegam, ſimilemque confeſſionem ſi talis valida detur.

Doctor idem aſſertionem dedit eamdem die 15. Octobris 1644. Theſi 1.

GVILIELMVS MERCERVS S.T D. Lovanii die 19. Julii 1634. Theſi 5.

Communicare teneris præcepto Eccleſiaſtico ſemel in anno in paſchate, quod impletur per indignam communionem.

GVILIELMVS TASSELON in Theſibus pro laurea Doctorali Lovanii die 7. Januarii 1640. Theſi 3.

Satisfit præcepto annuæ communionis per communionem ſacrilegam.

Sunt alia hujus generis : ſed en doctrinam quam hoc tempore Lovanienſes Doctores repræſentant S. Sedi ut reprobatam à ſchola Lovanienſi.

CAPUT XIX.

De cultu Beatiſſimæ Virgini & Sanctorum.

§. I.

Ad doctrinam de cultu Beatiſſimæ Virginis & SS. quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Cultus Beatiſſimæ Virginis MARIÆ eſt nota prædeſtinationis in iis etiam, qui gentiliter vivunt.

† *PRIMO.* Sumpta eſt propoſitio ex Theſibus propoſitis ad diſputandum Namurci die 15. Septembris 1676.

Propoſitio minùs dura videbitur, ſi intelligitur occaſio, quam habuit Auctor Theſium, eam vindicandi ut probabilem : occaſionem enarremus.

IOANNES BAVDVIN S. Theologiæ Baccalaureus nuper formatus Lovanii, poſt verò in Seminario Epiſcopali Namurcenſi S. T. Lector Concluſiones Theologicas propoſuerat die 2. Maji 1676. eas ipſas, quæ nobis ſupra materiam variam præbuerunt ad informationem S. Sedis. In illis verò concluſionibus non ſe abſtinuerat, quin more his noſtris familiari Theſi 10. exultabundus damnaret improbabilitatis opiniones varias (jure, an injuriâ, non diſputamus) atque inter eas etiam hanc ; *Frequens Confeſſio, vel Communio, cultus B. Virginis, in iis etiam, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.*

Nemo Catholicus dubitat quin hæc propoſitio ſic ſumi poſſit, ut ſit planè improbabilis, atque etiam graviori cenſurâ digna. Sed neque dubium eſt, quin hic Theologiæ Lector propoſitionem ſumpſerit eo ſenſu, quem putabat aliquibus catholicis placere : quid enim alioqui attinebat tam operosè inculcare, & quaſi exprobrare improbabilitatem his verbis : *Numquam donabis opiniones ſequentes probabilitate, quovis ſtudio contenderis, eas debere probabiles dici.*

Non ergo propoſitionem ſic ſumpſit Lector Baccalaureus, quaſi aſſereretur,

 frequentem

frequentem confeſſionem aut Communionem ſacrilegam, eſſe notam prædeſtinationis: neque item quaſi aſſereretur, Cultum B. Virginis eſſe notam Prædeſtinationis in homine gentili, aut tam gentiliter vivente, ut præter externum cultum nihil afferat pietatis erga B. V. Dei Matrem. Quis enim hæc aſſeruit umquam Catholicus? ſed quia cenſent Catholici plerique, etiam quoſdam homines, qui pravâ conſuetudine laborant, atque ut plurimum gentiliter, hoc eſt, nequiter vivunt, identidem ſanctè & utiliter confiteri & communicare, eoſdemque, aut etiam pejus viventes, poſſe aliquâ ſeriâ pietate colere B. Virginem, dubitari non poteſt, quin Auctor harum Theſium propoſitionem ſic ſumpſerit, acſi dictum eſſet, Frequens confeſſio, vel communio, cultus B. Virginis in iis, qui pravâ conſuetudine laborant, atque identidem relabuntur in ſua peccata, eſt nota prædeſtinationis. Hoc ſenſu acceptæ propoſitioni in diſputatione ipſa ſtrenuè vindicata eſt probabilitas à quibuſdam.

Ad hæc animadvertebant perſpicaces viri, minimè obſcurum eſſe, eò tendere Lectorem Baccalaureum, ut faveret famoſiſſimo per Belgium illo tempore libello, cui Titulus; *Monita ſalutaria B. M. V. ad cultores ſuos indiſcretos*, qui habebat aſſertiones non paucas illi Theſi concolores.

Inventus verò eſt S. T. Profeſſor, qui dolorem ſuum non diſſimulans, die 15. Septembris 1676. piis Fidelibus vindicaret ſaltem probabilitatem illius notæ prædeſtinationis tam confidenter rejectam à Lectore illo, ſic ſtatuens Theſi 3. de virtutibus Theologicis: *Monitis impiis accinit, qui nuper in Concluſionibus publicis hanc reprobavit*: Frequens Confeſſio, & Communio, Cultus B. Virginis, in iis etiam, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis. Hæc de occaſione Theſeos enarranda nobis erant.

SECUNDO. Graviter diſplicuit his noſtris cultum Dei Matris in iis etiam, qui *gentiliter vivunt*, dici notam aliquam prædeſtinationis, *quamvis fallibilem* & ſolùm *veriſimilem* ut fatetur Auctor Theſeos in *Quæſtionibus* ſuper ea re propoſitis ad diſputandum Leodii, die 26. Novembris 1677. pag. 6. Sed auctor nomine *gentiliter viventium* Chriſtianorum intellexit nequiter, & in conſuetudine peccati viventes, quod ipſe fecit notiſſimum etiam in ſuis *Quæſtionibus* pag. 4. ſi modus loquendi diſplicet, ille & nobis non placet: de reipſa judicium ſedis Apoſtolicæ reverebimur.

PROPOSITIO SECUNDA. Peccatori adhuc in hac vita agenti & B. Virginem ſeriò invocanti conceſſum eſt privilegium, ut illâ intercedente, antequam moriatur, ad pœnitentiam redeat.

PRIMO. Verba Propoſitionis ſumpta ſunt à *Laurentio à Dript.* S. T. L. in *examine*

examine & ſtatera Monitor. Salutarium ad Monitum 4. pag. 47. edit. 1. ubi ſic loquitur.

„ Non eſſe privilegium ullum univerſale peccatori impœnitenti conceſſum, ut æternum non patiatur incendium, quantumvis B. V. colere præſumpſerit, *de lege ordinaria* & ſine pœnitentia ex hac vita diſcedentibus certiſſimum eſt. Eſſe nihilominus peccatori adhuc in hac vitâ degenti & Beatiſſimam Virginem feriò invocanti conceſſum privilegium, ut illâ intercedente, ad pœnitentiam redeat, valdè probabile eſt. „

Ut doctrinam ipſam intelligas, *Monitum* accipe Pſeudo-Marianum, cui illa contradicit. *Non eſt privilegium ullum peccatori impœnitenti conceſſum, ut æternum non patiatur incendium, quantumvis me colere præſumpſerit* .... *Non eſt enim auditum à ſæculo, ut, qui feriam pœnitentiam neglexerit, per me liberatus fuerit.* Contra *Laurentius à Dript* contendit, etſi de lege ordinaria id ſit verum de peccatore mortuo in peccatis, non rarò tamen, intercedente B. Virgine, peccatorem diu impœnitentem, ſed tamen ſeriò invocantem ejus opem privilegium obtinere, ut ad pœnitentiam perducatur, atque hoc pacto ſalvetur. Si hæc diſpliceant his Doctoribus, non veremur ne diſpliceant S. Sedi.

SECUNDO. Si etiam plus voluerit Auctor ille, *probabile eſſe*, quod omnis peccator ſeriò & conſtanter invocans Dei genitricem aliquando ad Pœnitentiam perveniat, iis SS. Patrum teſtimoniis ſe munivit, quibus non cedere eſt difficile niſi id juſſerit Sedes Apoſtolica.

PROPOSITIO TERTIA. Non eſt diſtinguendum, an peccator pœnitentiam differat, negligat, propoſito emendationis careat, an ſit impœnitens, an non: B. Virgo refugium eſt peccatorum etiam impœnitentium.

PRIMO. Propoſitionem cuderunt ex iis, quæ habet idem *Laurentius à Dript* per totum examen *moniti primi*, quod ſic inchoat. „ Jam à plurimis annis, imò ſæculis Sanctiſſima Mater noſtra Eccleſia ſalutavit & filios ſuos Beatiſſimam Virginem Salutare docuit *Refugium peccatorum* in Litaniis Lauretanis; nec huc uſque diſtinctionem inter peccatores pœnitentes vel impœnitentes adhibuit, cum æquè facilè fuiſſet dicere *Refugium pœnitentium*, quàm *Refugium peccatorum*, ex intimis viſceribus cupiens ſive pœnitentes, ſive impœnitentes, ad hanc Virginem ſacratiſſimam recurrere. „

Examen idem Moniti primi concludit his verbis. „ Manet ergo, & donec mundus ſtabit, manebit magna & admirabilis Mater Refugium peccatorum, etiam impœnitentium ſecundùm mentem SS. Patrum, & Eccleſiæ &c. „

Notandum, Auctorem hunc impœnitentes non intelligere finaliter impœnitentes, ſeu qui nullam pœnitentiam agunt, nec acturi ſunt; ſed eam negligentes vel differentes, ut declarat his verbis pag. 36. *Sumendo vocem impœnitentium, ut idem ſit, quod pœnitentiam differentium.*

SECVNDO. Cum tam ſint ſoliciti hi Doctores, ut fiat diſcrimen inter peccatores pœnitentes quorũ refugium ſit Dei Mater, & nondum pœnitentes, quorum illa non ſit refugium, tametſi eam ſeriò invocent, atque ad ipſam confugiant, ut aliquando perfectæ pœnitentiæ donum conſequantur, quid ſupereſt, niſi ut hoc tempore ſupplicent S. Sedi ut Eccleſia poſthac in Litaniis legi jubeat *refugium peccatorum pœnitentium*, ne vulgo putetur *refugium peccatorum etiam impœnitentium.*

TERTIO. Quæri & hic poteſt, an hi Doctores Virginem Dei Matrem cenſeant eſſe refugium ſolorum peccatorum pœnitentium perfectè, an & pœnitentium imperfectè: pœnitentes ſaltem imperfectè ſunt omnes, qui illam ſeriò invocant.

PROPOSITIO QUARTA. Si verum ſit quod ſequitur: NOLITO PLUS FIDUCIÆ IN MARIA COLLOCARE, QUAM IN DEO, inter omnes indiſcretos cultores Marianos primatum ſibi vindicabit S. BERNARDUS.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Hîc ſatis clarè aſſeritur, plus fiduciæ collocari poſſe in B. Virgine, quàm in Deo.*

PRIMO. Sumpta eſt Propoſitio ab eodem *Laurentio à Dript* p. 153. in examine Moniti 14. ſub initium ubi hæc habet. „ Si verum ſit, quod ſequitur; „ *nolite plus fiduciæ in me collocare, quàm in Deo*: inter omnes indiſcretos cultores marianos primatum ſibi vindicabit: imò juxta principia monitoris, & „ illius vindicatoris Religioſi Anonymi, periculo hæreſeos ſubjacebit Doctor „ mellifluus *S. BERNARDVS*; dum aſſerere non veretur ſermone 2. generali: „ *filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc N. B. tota ratio ſpei* „ *meæ.* „

SECVNDO. Quid diſplicuerit Lovanienſibus Doctoribus in hâc Propoſitione, ipſi ſignificant in Adnotatione Marginali his verbis.

Hic ſatis clarè aſſeritur, plus fiduciæ collocari poſſe in Beatâ Virgine, quàm in Deo. Hoc nobis non apparet. Sic enim habet Auctor: *ſi verum eſt, quod ſequitur.* Quid porrò ſequitur? id quod monebat Anonymus: *nolite plus fiduciæ IN MARIA collocare, quam in Deo.* Iſtud verò *nolite*, nec verum eſt, nec falſum, ut patet. Aliò igitur reſpexit Auctor Propoſitionis; ad iſtud quod tacitè in-

innuebat hæc monens Anonymus; nimirum cultores marianos plus fiduciæ in *MARIA*, quàm in Deo collocare, quia ſæpiſſimè cum Eccleſiâ ſic Deiparam ſalutans: *Salve Regina, mater miſericordia, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve*: quia nonnumquam tenerius *MARIAM*, quàm Deum amant; quia nonnumquam plus temporis, aut precum Dei genetrici impendunt, quàm Deo: quæ, ne fierent, monebat Anonymus. Hoc ergò planè voluit *Laurentius* Auctor Propoſitionis; *ſi verum eſt, quod ſequitur*; nempè cultores marianos plus fiduciæ in *MARIA* collocare, quàm in Deo, *inter omnes indiſcretos cultores marianos primatum ſibi vindicabit S. BERNARDVS, dum aſſerere non veretur: filioli hac peccatorum ſcala, hac mea maxima fiducia eſt, hac tota ratio ſpei meæ.* Apparet ergo repræſentatum eſſe S. Sedi nodum in ſcirpo.

PROPOSITIO QUINTA. Si rurſus vera ſunt, quæ ſequuntur: QUARE ENIM PLUS FIDUCIÆ IN MARIA QUAM IN DEO COLLOCATUR, NISI QUIA MAGIS MISERICORS AUT POTENTIOR, QUAM IPSE DEUS APPREHENDITUR, AUT CREDITUR, QUI ERROR GRAVISSIMUS EST ET CONRA FIDEM, ſi inquam, hæc vera ſunt, non invenio, quomodo S. BERNARDUS à graviſſimo contra fidem errore ſe expedire valebit.

ADNOTATIO MARGINALIS. Ad Propoſ. 4. *Paſſim, hodieque in Belgio quidam præferunt Virginis miſericordiam miſericordiæ Dei & Chriſti, ut puriorem & hominibus utiliorem.*

ADNOTATIO MARGINALIS. Ad ſuperiores 5. Propoſitiones. *Hæc publicè ſcriptis edita ſunt in nupera contentione Germano-Belgicâ circa cultum Deiparæ.*

PRIMO. Sumpta eſt Propoſitio ab eodem *Laurentio à Dript* in Exam. Moniti 4. p. 153. ubi hæc dedit. „ Undè ſuppoſitâ veritate illius, quod citatus „ Religioſus pag. 65. aſſerit, ſcilicet: *quare enim plus fiducia in ipſa, quam in Deo* „ *collocatur, niſi quia ipſa magis miſericors aut potentior quàm ipſe Deus apprehenditur* „ *aut creditur*? qui error cum ſit graviſſimus & contra fidem &c. Si inquam „ hæc vera ſunt, non invenio, quomodo *S. Bernardus* à graviſſimo contra fidem „ errore ſe expedire valebit. „

SECVNDO.

SECUNDO. Quid in his diſplicuerit noſtris Doctoribus oſtendit rurſum *Adnotatio Marginalis.* Fingunt ſibi *virginis miſericordiam præferri miſericordiæ Dei aut CHRISTI.* Hallucinantur verò haud minùs, quàm ad Propoſitionem Quartam. Cum enim dixerit Auctor Propoſitionis, *ſi vera ſunt, quæ ſequuntur*; ſequatur verò Adverſarii interrogatio affirmans, *plus fiduciæ in MARIA, quàm in Deo collocari, quia magis miſericors aut potentior quàm Deus apprehenditur aut creditur, qui error graviſſimus eſt & contra fidem*, cumque mox reſumat Auctor Propoſitionis, *ſi inquam hæc vera ſunt* &c. patet ſenſum eſſe; ſi verum eſt Fideles plus fiduciæ *IN MARIA*, quàm in Deo collocare, atque ipſos eam apprehendere magis miſericordem aut potentiorem quàm Deum, quia videlicet eam cum Eccleſia ſalutant Matrem miſericordiæ, vitam, dulcedinem, & ſpem ſuam, & cum S. Bernardo vocant ſuam maximam fiduciam & totam rationem ſpei ſuæ; tum verò non apparet, quomodo *S. Bernardus* à graviſſimo contra fidem errore ſe expedire valebit. En ergo rurſus nodum in ſcirpo.

TERTIO. Calumniam verò continet *Adnotatio Marginalis.* Nuſquam in Belgio præfertur miſericordia Virginis miſericordiæ Dei, ut potior, aut utilior: cur non exhibuerunt Propoſitionem ſaltem à *Laurentio à Dript* (qui ipſe non in Belgio, ſed in Germania ſcripſit) quâ id vel leviter inſinuaretur, non habuerunt: alioqui enim ſuperſediſſent quærendis in ſcirpo nodis illis, de quibus hactenus. Sunt in Belgio, qui piè credunt cum *S. Anſelmo* de Excellentiâ virginis cap. 6. *velociorem eſſe nonnumquam ſalutem memorato nomine ejus, quàm invocato nomine Domini IESU unici filii ſui*: non illico apprehendit *Anſelmus* magis miſericordem, aut potentiorem *Mariam* quàm Deum: calumniam prævertit ſtudiosè his verbis; *& id quidem non ideo fit quod ipſa major eo, & potentior ſit &c.*

Calumniam eamdem Anonymi Auctoris Monitorum Salutarium retudit pridem *Ludoviſcius Bona* ſcriptor Belga in *defenſione* B.V.M. c. 12. §. 1. pag. 135. his verbis.

„ *Noli dicere*, inquis, *quod ſibi reſervaverit juſtitiam, mibi commiſerit miſericordiam.* Quid rurſum negas? *Chriſtum* reſervaſſe ſibi partes judicis? Has Matri non communicavit. An Matri negas commiſſum à Chriſto, ut noſtri miſereatur? ...... Rurſus & *Chriſto* & *Mariæ* injurius es. Nego, inquies, totum miſerendi munus tranſlatum eſſe in B. Virginem. Graviter calumniaris, errorem iſtum tribuens cultoribus Marianis. Matrem miſericordiæ invocantes ad hoc invocant, ut Chriſtum ſentiant miſericordem; quod noſtri velit miſereri, quaſi ad nutum Matris miſerentis.„ Rurſus cap. 13. §. 1. pag. 145. „ Cumque totus verſere in prædicandâ *Chriſti* Miſericordiâ, ne id quidem præſtitiſti, ut locus poſtulabat: locus enim ipſe te monebat, ut argumentum peteres à miſericordia Matris *Chriſti*. Eſt enim Miſericordiæ *Chriſti* argumentum

„ mentum valdè magnum, providiſſe nobis Matrem Miſericordiæ, cujus „ eſſet proprium munus miſereri. Cur id prætériſti eo loco, ubi erat maximè in promptu?„ Hæc lingua eſt Belgarum: hunc ſenſum unà cum lacte hauſerunt à nutricibus: ſi quid peccati habeat ille, docentem audient S. Sedem, calumnias verò ſtudentium exoſis etiam Romæ *Monitis* minimè *Salutaribus* contemnent.

QVARTO. Quod ajunt in *Adnotatione Marginali* ad ſuperiores quinque propoſitiones, *hac publicè ſcriptis edita eſſe in nupera contentione Germano-Belgica*, rectiùs expreſſiſſent *in nupera contentione germanica*, quia & Auctor *Monitorum Salutarium*, ut putatur, Germanus eſt Colonienſis, vel ſaltem Coloniæ degit, & *Laurentius à Dript* à quo ſumpſere propoſitiones ſingulas, una exceptâ in Germania ſcripſit Celſiſſimi Principis Paderbornenſis Conſiliarius. Quid hic peccaverit, ſtatuet ſapiens Lector ex dictis. In Belgio ipſo tot libris, & libellis contra Monita ſalutaria tam circumſpectè ſcriptum eſt, ut hi quidem Doctores à Germano ſcriptore petendas judicaverint Propoſitiones prope ſingulas, quas in hac materia S. Sedi repræſentarent, cum profiteantur corruptelas Theologiæ in Belgio ſe repræſentare.

PROPOSITIO SEXTA. Certò polliceri non ex vitâ migraturos ſinè pœnitentia, & Sacramentis eos, qui hunc, illumve ex Divis coluerint. Item ſecuritatem in rebus gerendis, fortunæ certum ac optatum eventum iiſdem promittere.

ADNOTATIO MARGINALIS. *Improbavit pridem Synodus Provincialis Cameracenſis* 1566.

PRIMO. Hæc verò continent hiſtoriam rei geſtæ Anno 1566. imò 1565. hoc eſt ab annis centum & quod excurrit. Hic verò mirus eſt modus informandi S. Sedem de doctrina Theologorum in Belgio hoc tempore: Scimus illâ ætate magnam fuiſſe imperitiam doctrinæ Chriſtianæ in populo & ſocordiam in Clero per Germaniam atque Belgium; unde extitit illa calamitas Eccleſiæ quam lugemus. Sed Deo ſit gratia converſa hæc ſunt omnia.

SECVNDO. Demus etiam hoc tempore imperitiam hujuſmodi eſſe quorumdam de plebe: ſtimulandi ſunt Parochi, cæterique id profeſſi, ut docendo populo incumbant, quod unum præſcribit Synodus Cameracenſis his verbis, quæ mutilarunt hi Doctores.

Doceatur itaque populus, preces quidem Sanctorum admodum utiles ad impetranda dona, non modò corporalia, & temporalia, ſed ſpiritualia & æterna: abominandam eſſe

eorum vanitatem, ac ſuperſtitionem, qui certò pollicentur, non ex hac vitâ migraturos ſine pœnitentia & Sacramentis eos, qui hunc, illumve ex Divis coluerint &c.

Ex quibus verbis ne quidem hoc habetur, fuiſſe illo tempore Theologum in Belgio, qui doceret poſſe quemquam id ſibi certò polliceri: ſed ad ſummum quoſdam homines in praxi ipſa fuiſſe id ſibi pollicitos. Non eſſe hoc tempore Theologum in Belgio, qui id doceat vel ex eo liquet ſatis, quod hi Doctores ut informarent S.Sedem de corruptelis Theologiæ in Belgio, neceſſe habuerint producere tam aliena à ſuo ſcopo: ne quidem in Hiſpania, Gallia, Germania invenerunt quempiam hæc docentem: produxiſſent enim ut alibi ſolent: appellanda igitur fuit Synodus Cameracenſis Anni 1565. & adducenda illa tam frivola, ſi rem ſpectes, quæ agenda eſt.

§. 2.

De modeſtia & doctrina Academicorum Lovanienſium in præſenti materiâ de cultu Beatæ Virginis Dei Matris.

QUod attinet ad doctrinam Academicorum Lovanienſium in præſenti materiâ & patrocinium *Monitorum* minimè *Salutarium* ab iiſdem ſuſceptum, nos vide Lector in 3. p. *Specim.* cap. 7. Hoc loco præterire haud licet illa, quæ legimus in prolixa epiſtola paſtorali, quam pro Monitis illis dedit Illuſt. Epiſcopus Tornacenſis S. T. Doctor Sorbonicus ut ajunt poſtquam ea approbaverant duo S.T.Licentiati Lovanienſes, quos mirificè laudat in ipſo exordio: cujus Epiſcopi cum ſit magna quædam Auctoritas apud hoſcè noſtros, non parùm conducit ejus epiſtola ad informationem S. Sedis, quam inſtituimus. Ex ea igitur libemus hæc pauca prope finem latinè ſic reddenda.

Scio dilecti Filii, palam dici, venturam condemnationem S.Sedis & Monita ſalutaria virginis proſcribenda ...... non eſſet mirum, ſi ad ſiſtendum clamores, & omnes illos præſentes abuſus, quos & Romæ publicaverint, ſicut id auſi ſunt in his regionibus, obtinerent ſuppreſſionem hujus parvi libri. Sed quando haberent decretum iſtud ...... certos vos reddo, dilecti mei filii, Sanctam Sedem non tacturam libri dogmata. Mox enumeratis quibuſdam veritatibus, tamquam aſſertis in libello *Monitorum*, ſic proſequitur. *Certus ſum, inquam, S. Sedem numquam condemnaturam hæc ſenſa & ſicut non approbavi Monita Salutaria niſi intuitu ſtabiliendi has veritates, quæcumque à prudentiâ Summi Pontificis cenſura venerit iſtius ſcriptionis, illa numquam laceſſet doctrinam, quam approbavi ...... Audeo vobis dicere confidenter, Dilecti mei filii, doctrinam quam vos doceo, eſſe extra ictum poſitam: quia eſt doctrina Eccleſiæ in Scripturis Sacris liquidò contenta, & conſervata in Traditionibus, in ſcriptis SS. Patrum & in Conciliis: Et ſi quis falſus Frater, aut quiſpiam illorum Doctorum, quos S. PAULUS prædixit venturos noviſſimis temporibus ad titillandas aures & adulandum peccatoribus,*

bus, vos doceat aliud Euangelium, ac vobis annuntio ANATHEMA SIT. Hæc ille Epiſcopus.

Academicos Lovanienſes faviſſe *Monitis* illis *Salutaribus* notum eſt toto Belgio. Hæc res eſt odioſa ob multa, ex quibus non eſt hîc prætereundum, quod minùs vulgò eſt obſervatum. Anonymus auctor *Monitorum Salutarium* nuſquam totis *Monitis* paſſus eſt excidere ſuo calamo appellationem *Dei Matris*, cum tam frequens fuerit occaſio. Cum etiam toto libello inducatur loquens B. Virgo & toties appellans filium ſuum, nuſquam inducitur filium ſuum appellans Deum. Auctor libri *Apologie des devots de la Sainte Vierge* in Exam. 5. 7. pag. 400. *lectis Monitis Salutaribus* gallicè verſis, putavit in *Monito 6.* extare hæc verba: *Laus quæ mihi defertur ut Matri & ancillæ Dei, ſancta eſt*; ſed deceptus eſt gallicâ verſione: genuina editio latina ſic habet: *Laus, quæ mihi defertur, ut Matri, & Ancillæ Domini, ſancta eſt.* Appellationem *Matris Domini* conſtat ne quidem *Neſtorio* diſplicuiſſe. In precatiunculâ cultoris Mariani *Monitu* ſubjuncta adhibitam eſſe appellationem Matris Dei eſt aliquid; ſed nequaquam ſufficiens ad abſtergendum ſcrupulum piorum.

Rectè feciſſent Doctores Lovanienſes, ſi Propoſitionibus de cultu B. Virginis alicubi inſeruiſſent appellationem *Matris Dei*: imò conveniebat ipſo titulo quem præfixerunt Propoſitionibus, eam immiſceri. Saltem in Propoſitione Tertia non debuiſſent mutare phraſim *Laurentii à Dript*, & ponere tam jejunè: *B. Virgo refugium eſt peccatorum etiam impœnitentium*; cum ille ad Monitum 2. pag. 71. unde propoſitionem ſumpſerunt, ſic poſuiſſet: *Mater & ADMIRABILIS MATER, refugium peccatorum etiam impœnitentium.* Attamen in adnotatiumcula quadam marginali ſemel uſi ſunt appellatione *Deiparæ*.

Aliquid loci hîc ſit carminibus Poëtarum Lovanienſium, Anti-Mariano Monitori ſuccinentium ad probrum piorum.

Gratulor, o! quiſquis Divam venerare Mariam;
Sæpius & cujus nomen ab ore fluit.
Crimina criminibus cumula; Gentilis ad inſtar
Vt vivas, certa ſigna ſalutis habes.
Ipſa tuum ſcelus antè necem, crede, auferet; & te
Poſt fata ad cœlum Virgo Maria feret.
Quin etiam ſi fortè reum contingat obire,
Vt fias ſtygio præda voranda cani:
Haud dubium; ex barathro ſuperas revocabit ad auras.
Et te purgatum ſcandere ad aſtra dabit.

Liberalioris ſalis videbitur alterum hoc eſſe.

Virgineæ decadis melior pars alterá, ſponſo
Lampadas infuſâ pallade quinque parant.
Sponſus adeſt ſubitò media per tempora noctis,
Et ſua jam promptas tecta ſubire jubet.
Tum fatuæ, queis ſera fuit de pallade cura,
Pulſant : pulſantes ſæva repulſa fugat.
Neſcio vos, inquit : ſerò mea limina pulſas,
Hinc inſana nimis turba faceſſe procul.
Stultæ, non Domine, aſt Domina inclamare decebat :
Pulſantes, nemo qui repuliſſet, erat.

Hoc genere delectantur Lovanii.

Mentionem denique hic meretur locus, qui multos jam pridem in Belgio offendit in quodam libro Flandrico cui titulus. *Inwendighe oeffeninghen om in den gheeſt te ſterve &c. Bedeylt in ſeven daghen, door eenen Prieſter van het Oratorie tot Bruſſel* 1657. Hoc eſt : *Exercitia interna ad moriendum in ſpiritu &c. Diſtributa in ſeptem dies per quemdam Presbyterum Oratorii Bruxellis* 1657. Presbyter ille Auctor libri haud vanè creditur fuiſſe quidam S.T. Licentiatus Lovanienſis, cujus nomini parcemus in re non prorſus explorata nobis. Approbatus quoque eſt liber die 4. Octobris 1656. à *Iudoco vander Linden* S.T. Licentiato Lovanienſi. Locus verò memorandus ex libro illo in Exercitio Quinti die pag. 65. hic eſt.

D'oeffeninghe in den Tempel, de welcke de Moeder op den dagh haers Kerckganghs van haer kindt dede met twee tortelduyſkens, oft twee duyve jongphen by ghebreck van een Lammerken te konnen coopen, d'een tot den Brandt-offer, d'ander voor de ſonde; deſe ghetuyghen ghenoech dat de Moeder van doen heeft ghesuyvert te worden, ende dat het kindt, 'twelcke opgheoffert wiert, oock met de ſmette van ſijne Moeder vervuylt was, volghens de woorden van de Wet. Hoc eſt : *Oblatio pueri in Templo, quam fecit Mater ipſo die Purificationis ſuæ, cum pari turturum, aut duobus pullis columbarum, defectu facultatis ad emendum agnum; uno in holocauſtum, & altero pro peccato, ſatis teſtantur* (teſtatur) *quod Mater indigeat* (indigeret) *purificari, & quod puer, qui offerebatur, fœdatus quoque eſſet maculâ ſuæ Matris, conſequenter ad verba Legis.*

Hęc ibi leguntur totidem verbis, non diſſimularis nęvis conſtructionis, quos habet textus Flandricus. Quid per hæc ille voluerit, ſtatuat ſapiens Lector.

CAPUT XX.

De frequenti Confeſſione, & Communione.

§. I.

Ad doctrinam de Frequenti Confeſſione & Communione, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO VNICA. Frequens Confeſſio, & Communio etiam in iis, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

PRIMO. Ex una propoſitione fecerunt duas. Propoſitio in Theſibus Namurci propoſitis ad diſputandum die 15. Septembris 1676. hæc eſt. *Frequens confeſſio & communio, Cultus B. Virginis in iis etiam, qui gentiliter vivunt, eſt nota Prædeſtinationis.* Ad propoſitionem, quatenùs pertinet ad Cultum B. Virginis, ea adnotavimus capite ſuperiori §. 1. quæ res poſtulabat. Sed imprimis curæ fuit exponere occaſionem, quâ auctor Theſium vindicavit Propoſitionem, ut probabilem, quam ſcilicet ipſe non concepit, ſed invenit damnatam improbabilitatis in theſibus Lectoris Baccalaurei Lovanienſis, haud obſcurè faventis *Monitis* minimè *Salutaribus*, de quibus illo tempore celebris erat contentio. Abſque occaſione iſta, ſanè multo durior videri poterat propoſitio, quæ ex mente Auctoris theſium aliud ſibi non vult, quàm etiam nequiter viventes homines, & in conſuetudine peccati, poſſe identidem utiliter confiteri, & communicare, & frequentes hujuſmodi confeſſiones, & communiones in illis eſſe quamdam notam prædeſtinationis, *Fallibilem* quidem; ſed tamen *Veriſimilem*, ut declaravit ipſe in ſuis *Quæſtionibus* propoſitis ad diſputandum Leodii die 26. Nov. 1677. quæſt. 2. n. 20. & 21. pag. 6.

SECVNDO. Familiare eſt hiſce noſtris, quod & ſuprà obſervavimus, Propoſitionem doctrinæ ſuæ contrariam, quæ utcumque rapi poteſt in ſenſum perverſum, oppugnare fortiter, ut ſi ea cenſuram tulerit, promptum habeant gloriari de approbatione doctrinæ ſuæ. Exemplo ſit Propoſitio, quæ eſt in manibus: *Frequens Confeſſio & Communio etiam in iis, qui gentiliter vivunt, nota eſt prædeſtinationis.* Hæc propoſito, ſi præſcindas ab occaſione, quâ vindicata eſt ut probabilis; niſi etiam Auctor ipſe theſium, qui vindicavit, declaraſſet erudito & publico ſcripto, quos intelligeret nomine *gentiliter viventium*, poſſet fortaſſe ſic accipi, ut ſi diceretur frequens confeſſio & communio etiam in gentilibus,

libus, aut nihil non gentiliter agentibus, adeoque confeſſio & communio ſacrilega eſſe nota prædeſtinationis. Quamquam hoc ipſo quo procedit propoſitio ex ore hominis Chriſtiani notiſſimæ virtutis & doctrinæ, difficile eſſet illam ſic accipere niſi per malevolentiam, cum patiatur meliorem ſenſum, ut ex dictis intelligitur.

Cogitemus tamen propoſitionem diſplicere & reprobari ſaltem ut *malè ſonantem*. Tum verò periculum haud erit, ne hi noſtri propoſitionem intelligant de Confeſſione & Communione hominis gentilis. Intelligent planè de Confeſſione & Communione hominis habentis conſuetudinem peccati: aſſument quoque frequentem Confeſſionem & Communionem utilem, eſſe notam prædeſtinationis. Conficient denique ex cenſurâ propoſitionis, homines habentes conſuetudinem peccati non confiteri & communicare utiliter, gradumque facient ad reliqua de confeſſione & abſolutione dogmata, quæ expoſuimus in 2. p. *Specim.* cap. 5. & compendio exhibuimus in 3. p. cap. 10 §. 2. & gloriabuntur condemnatione propoſitionis hujus, approbatam eſſe illam omnē Doctrinam.

TERTIO. Adnotandum denique eſt, quod præter unum S.T. Profeſſorem in Belgio nemo ſit inventus, qui Propoſitionem illam ſuis Theſibus aut ſcripto quopiam vindicaret, ſaltem ut probabilem, quod aſſequi nobis licuerit.

§. 2.

Specimen modeſtiæ Macarii Havermans *S. T. P. ſimulque doctrinæ Lovânienſium Doctorum in præſenti materia de frequenti confeſſione & communione.*

CONtra Religioſos viros Doctrinâ excellentes, diſciplinâ ſeveriſſimos; ſtrictiſſimâ obſervantiâ, probitate & virtutum exemplis in Eccleſia conſpicuos, occaſione aſſertæ probabilitatis huic Propoſitioni, *Frequens Confeſſio & Communio, Cultus B. Virginis, in iis etiam, qui gentiliter vivunt, eſt nota Prædeſtinationis*, ſic inſurrexit *Macarius Hav.* in Appendice ad *Epiſt. Apologeticam pag.* 213.

Putaverant pii & docti, quod tandem ſuis laxis & paradoxis opinionibus moralibus metam & terminum poſuiſſent: attamen cùm omnium bonorum mœrore & horrore nuperrimè vidimus, eos AD EXTREMUM LAXITATIS, NE DICAM INSANIÆ, perveniſſe, cum & eis, qui non Chriſtianè, non ſecundùm doctrinam, & exempla CHRISTI, ſed gentiliter vivunt, adeoque latè à ſalutis via declinant, ſalutem promittant; modò frequentent ſæpius, licet ſacrilegè, Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, vel verbis ſaltem colant D. Virginem, quamvis exempla ejus imitari nolint.

Tranſiliamus media: finem appendicis, & totius Epiſtolæ, Lector, accipe.

Sanctiſſime Pater, ſenſum Piorum Fidelium de paradoxâ illâ propoſitione exprimere nequeo; hærent enim & obſtupeſcunt, nec credere potuiſſent, tam horribilem doctrinam, quæ impingit in prima Chriſtianæ vitæ principia, in mentem hominis Chriſtiani incidere potuiſſe,

potuiſſe, niſi propriis oculis illam in Theſibus vidiſſent; & illorum Patrum in illâ tuendâ pertinaciam audiviſſent. Sic ſenſim in peius errant, qui à veritatis viâ declinant; ſic occulto, ſed tamen juſto Dei excæcantur judicio, qui oculos mentis veritati claudunt. Puto autem quod Divina juſtitia & bonitas permittat ut in tam apertos, tam ab omni ſenſu Chriſtiano alienos incidant errores; juſtitia, ut ipſos puniat; bonitas, ut metuentibus ſe det ſignificationem, ut fugiant à facie illorum qui iſta docent: ne ubi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadant.

Hæc tam inverecunda fuerunt deſcribenda, ut intelligerent Moderatores noſtri, quàm pacem Belgio promittat hic profeſſor. Nos Sedis Apoſtolicæ cenſuras audiemus.

Quæ ſit horum Doctorum & Academicorum doctrina de frequenti Confeſſione facilè intelligitur ex iis, quæ dedimus in 2. p. *Specim.* cap. 5. quæque ipſa ad compendium contraximus in 3. p. cap. 10. §. 2. verbo hîc adnotemus, non eſſe mirum Propoſitionem illis eſſe tam horribilem, tamque atrociter damnatam qui ſunt affixi iis dogmatibus, quæ, ut conſtare ſibi queaut ant, fatendum ſit abſolutè, frequentem Confeſſionem, & Communionem vix, ne vix quidem in ullis hominibus eſſe ſignum prædeſtinationis. Sermo eſt ſcilicet de Confeſſione quam ſequatur abſolutio. Atqui frequens hujuſmodi Confeſſio eſt illicita: non enim licet Abſolutionem impertire aut poſcere, niſi moraliter ſit certum pœnitentem ritè eſſe diſpoſitum. (Quod idem ſine dubio valet de *S. Euchariſtia*): atqui iſtud vix, aut ne vix quidem contingit. Ad hæc improbanda eſt frequens illa Confeſſio piorum hominum, quàm videmus in Eccleſiâ uſitatam: hæc in illis ſolis eſt probanda, qui ſunt *conſpicui* & *eminentes ſanctitate.* De his illorum dogmatibus, nos vide Lector in 2. p. *Specim.* c. 5. Non ergo facilè invenias ex horum quidem ſententia, in quibus frequens Confeſſio & Communio ſit nota Prædeſtinationis. Attamen opportuna illis fuit propoſitio de frequenti Confeſſione & Communione *gentiliter viventium*: opportunitatem §. ſuperiori explicuimus tertio loco.

Concludat hunc locum Carmen lutulentum; ſed Lovanienſis Poëtæ.

Eia ſues, feſtos læta grunnite triumphos;
Queîs eſt ad gratum mos rediiſſe lutum.
Eia canes, vomitum queîs uſque reſumere mos eſt,
Snmite lætitiam; dogmata blanda ferunt.
Presbyteri crebò ſi crimina fertis ad aurem,
Paſcitis & ſacro pectora fœda cibo:
Vos licet, ut porci, ſcelerum redeatis omiſſas
Sæpius ad ſordes, ad vomitumqum canes:
Quæ tamen acceſſu toties ſacra dona profano
Contemerat crimen, ſigna ſalutis habent.

Carmen unum de vena tam ſpurcâ pudor eſt dediſſe.

C A-

CAPUT XXI.

De Contritione.

§. I.

Ad Doctrinam de Contritione, quam ut laxitatem Theologicam in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. In Sacramento pœnitentiæ ſufficit attritio, & dolor peccatorum ob malum temporale cùm reſpectu ad Deum, â quo immiſſum aut immitendum eſt ad pœnam.

PRIMO. Fœcundus ejuſmodi Propoſitionum eſt liber *Ludovici Montaltii* percharus hiſce noſtris: habet ille in epiſtola 10. §. *ſed ut mirabilem*, quæ potuerunt utilia eſſe his Doctoribus, cum ſic narrat. *Aſſerit enim* (Hurtado) *ſufficere Attritionem & dolorem peccatorum ob malum temporale, cum reſpectu ad Deum à quo immiſſum aut immittendum eſt in pœnam.* Porrò *Hurtado* loco à *Montaltio* citato dicit; id docere aliquos; plus aſſerit nihil.

SECVNDO. In Belgio quidem doctrina ipſa, ſi quis eam tradiderit, minimè celebris eſt. Certè in celebri conflictatione Belgica de Attritione per annos complures multis ultrò citroque ſcriptis libris, nuſquam verbum excidit, quo faveretur illi doctrinæ. Non ergo illa eſt, quæ *contentiones* in Belgio, aut *perturbationes* nobis dedit, quod profitentur illi in libello ſupplici.

PROPOSITIO SECUNDA. Probabile eſt ſufficere Attritionem naturalem; modò honeſtam.

PRIMO. Poſtulamus vel unum appellari auctorem belgam, qui hanc doctrinam tradiderit uſpiam: promptius habebunt aſſignare cum *Ludovico Montaltio* Epiſt. 10. Theſes quaſdam Pariſienſes, ſeu Claromontanas, quas non vidimus, niſi in epiſtola infami. Interea S. Sedi repræſentatur Propoſitio, ut laxitatem continens Theologorum in Belgio: ubi de neceſſitate Attritionis ſupernaturalis nemo dubitat.

SECVNDO. Non eſt obſcurum, quid cruciet hos Doctores, qui cenſent nullum de peccatis dolorem eſſe ſupernaturalem, niſi quem imbuerit Caritas Theolo-

Theologica, timorem gehennæ aut amittendæ beatitudinis æternæ, donum Spiritus Sancti non eſſe, & alia his conſentanea, quæ dedimus in 2. p. *Specim.* cap. 4. Hæc illa ſunt, quæ contentiones pariunt in Belgio: de his & aliis permultis, quæ expoſuimus loco citato, conſuli poterat S. Sedes."

PROPOSITIO TERTIA. Deus gratiam converſionis, & veræ pœnitentiæ, quam in extremis ſæpe negat, in vitâ ſemper offert omnibus peccatoribus: eſtque hoc de fide. Addo, quod non ſit opus inſtanter petere quod *Chriſtus* ſponte offert.

PRIMO. Hanc Propoſitionem euderunt ex *Franciſci Raymakers* Appendice ad reſponſionem ſuam ad *Methodum Gummari Huygens* S.T. Doctor. num. 241. 243. ubi adverſario exaggeranti paucitatem peccatorum, quibus Deus largitur gratiam veræ pœnitentiæ, magnumque laborem & longum tempus, quo eſt opus, ut obtineatur illa gratia, opponit S. Scripturæ teſtimonia benigniora. *Ego ſto ad oſtium & pulſo. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos*, atque ad ſenſum horum locorum dicit gratiam veræ pœnitentiæ omnibus peccatoribus offerri in hâc vitâ, idque eſſe de fide; eâ ſcilicet oblatione, quam exprimunt illa Scripturæ teſtimonia.

Doctrinam hanc perſtrinxit ſeverè *Gummarus Huygens* in ſua *Apologia* §. 12. pag. 84. tamquam errorem Maſſilienſium: ſed illum *Franciſcus Raymakers* ſic repulit, ſeſeque explicuit.

„ *Oportet ſemper orare & non deficere:* ſed pro quâ re tali peccatori magis oran„ dum erit, quàm pro converſione, quam nondum habet?......... Quæro; „ poteſtne ſine gratiâ præveniente vel unam cogitationem conducentem ad „ illam ſalutarem tum orationem, tum pœnitentiam habere? Abſolutè me„ cum id catholice negabis....... ergo quid carpis? quid imponis? ſi oportet „ ſemper orare, nonne & ſemper Deum pulſare ad oſtium cordis noſtri, ut „ oret, ſine cujus pulſu orare non poteſt? &c.„ Ex his putamus liquere non docuiſſe hunc auctorem omnibus peccatoribus gratiam aut efficacem aut proximè expeditam ad perfectam pœnitentiam concedi. Gratiam veræ pœnitentiæ dixit omnibus *offerri*, ſeu Deum paratum eſſe omnibus gratiam concedere tempore opportuno, cum audietur prædicatio Euangelii, aut pia exhortatio, cum ſpectabuntur exempla virtutum Chriſtianarum &c. de quâ ſententia communi Theologorum *D. Thomæ*, *Alenſis*, *Soti*, *Vegæ*, aliorumque videri poteſt *Suarez* p. 2. de gratiâ l. 4. c. 10. n. 5. *Moraines* d. 25. n. 8. Non dubitavit verò *Franc. Raymakers*, tempus iſtud, quo peccatores ſe parant ad Confeſſionem,

conſcientiam examinando &c. eſſe *tempus* illud *opportunum* de quo procedit communis illa Theologorum ſententia, adeoque jam tum illos habere gratiam, quâ ſe juvare poſſint ad veram converſionem. An hic ſit error Maſſilienſium ſtatuant judices moderatiores.

SECUNDO. Non eſt obſcurum quid præcipuè cruciet hos Doctores in Doctrinâ *Franciſci Raymakers*. Nullam illi gratiam agnoſcunt reipſa niſi efficacem, ut oſtendimus in 1.p. *Speciminis* cap.2. Cenſent ergo gratiam pœnitentiæ deeſſe illis omnibus, quos non pœnitet ſuorum peccatorum. Nil ergo mirum ſi exoſam habeant doctrinam, quam continet propoſitio.

Propositio quarta. Probetur nobis, quod recitanti attente & vivaciter orationem, quæ continet actus contritionis, Deus ſuam gratiam veri doloris neget. Et ubi eſſet illud, facienti quod in ſe eſt, Deus numquam deeſt?

Adnotatio marginalis. *Confirmatur ſimplicium error, quo putant ſe jam contritos, cum ſimilem oratiunculam cùm aliquali attentione recitaverint.*

PRIMO. Propoſitionem acceperunt ab eodem *Franciſco Raymakers* in *Appendice ad Reſpons. Brevem* num.254. Adverſarius more his noſtris familiari inculcaverat non alligaſſe Deum gratiam pœnitentiæ illis formulis contritionis, quibus ſolent uti pii homines: contra Auctor *Appendicis*, non quidem contendit; alligaſſe Deum illis formulis gratiam illam contritionis efficacem, extra quam hi Doctores gratiam contritionis non agnoſcunt, & de qua tacitè fit mentio in Adnotatione Marginali: ſed quia animadvertebat ſugillari haud obſcurè iſtum morem piorum, & ſimplicium hominum, *Probet*, inquit, *quod Deus recitanti DEVOTE iſtam orationem, ſuam gratiam veri doloris neget.*

Doctores pro *recitante devotè* poſuerunt *recitante attentè & vivaciter.* Magis nobis arridet *recitans devotè.* Quod ſupereſt, expectabit *Fran. Raymakers*, ut ſibi probetur, quod Deus *recitanti devotè* orationem illam neget gratiam veri doloris.

SECUNDO. Apparet etiam diſplicuiſſe his Doctoribus, pronuntiatum vetus, maximæque auctoritatis, *facienti quod in ſe eſt, Deus numquam deeſt*; quod ipſum intellectum de faciente quod in ſe eſt viribus divinæ gratiæ, ſufficiebat intento *Franciſci Raymakers*, cum ipſi ſermo eſſet de faciente quod in ſe eſt per *devotam orationem.*

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum Lovanienſium in præſenti materiâ de contritione.

ADnotavimus §. ſuperiori ad *Propoſitionem ſecundam* non hoc angere Lovanienſes Doctores, quod Scholaſtici quidam, antiquiores præcipuè, docuerint, Attritionem naturalem eſſe idoneam Sacramento pœnitentiæ. Certum eſt enim de hac nullam eſſe contentionem hoc tempore in Belgio; ſed iſtud potiſſimum quod, communiſſimam in Eccleſia Dei ſententiam ſecuti Theologi in Belgio, ſuſtineant, Attritionem nullâ imbutam caritate Theologicâ Sacramento pœnitentiæ eſſe idoneam: hanc enim illi omnem cenſent naturalem eſſe cum *Michaële Bajo*, ſeu ex metu gehennæ, ſeu ex ſpe Beatitudinis æternæ, ſeu ex alio quolibet motivo virtutis (quam illi nullam agnoſcunt ſine caritate) ſtatuas conceptam eſſe.

Porrò quàm atrociter invecti ſint in illam de Attritione doctrinam communiſſimam, copioſo Specimine expoſuimus in 2.p. cap.4. §.1. Sed & reliquis §. §. ubi docentes audivimus Attritionem ex metu, aut ipſum gehennæ metum, non eſſe donum Dei aut Spiritus S. impulſum, Attritionem eamdem eſſe peccatum, aut ſine peccato exerceri non poſſe &c. licebit ergo nobis hoc loco Lectorem eò remittere, & filum noſtrum perſequi.

§. 3.

Satiſne æqui fuerint Lovanienſes Doctores erga Doctrinam Lovanienſium Doctorum de contritione.

ATtritionem, omnémque voluntatis actum charitatis expertem, eſſe naturalem cenſent hi Doctores, ut conſtat ex 2.p. *ſpecim.* locis multis. Patronos ergò cenſent ſecundæ Propoſitionis de ſufficientiâ naturalis attritionis, quiqui docent, idoneam Sacramento eſſe attritionem expertem caritatis. Atqui hoc & docuerunt & propugnaverunt publicis Theſibus Lovanienſes Doctores communiſſimè, priuſquam eas vires ſumpſiſſent Bajana dogmata, quibus invaluere poſtea. Fruſtra ſit congerere ſpecimina: neque enim putamus de hac re dubium eſſe poſſe cordatis viris. Demus tamen quædam ut ſe prima offerunt.

GVILIELMVS MERCERVS S. T. Doctor Lovanii die 30. Martii 1637. Theſi 2.

Contritio alia perfecta........ alia imperfecta, quæ & attritio dicitur. Attritio ex

turpitudine peccati, vel metu pœnarum concepta per ſe ſola non juſtificat: ad juſtificationem tamen, pro tali etiam cognita, ſufficienter diſponit.

Doctor idem Lovanii die 2. Decembris 1637. Theſi 1.

Contritio.........vel perfecta eſt vel imperfecta: illa ex motivo charitatis, hac ex pœnarum metu. peccative fœditate proficiſcitur: illo etiam ſine Sacramento juſtificat, hac non.

In eamdem ſententiam videri poteſt idem Doctor in ſupplementum q. 1. articulo 3.

IOANNES SCHINCKELIUS S. T. Doctor Lovanii die 15. Septembris 1644. Theſi 2.

Contritio.......... alia perfecta eſt, quæ ex motivo charitatis differentiam ſumit, alia imperfecta, quæ ex motivo inferiori, diciturque attritio........ attritio......quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem peccatorem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ adducit; quatenus ad ejus eſſentiam, etiam ut talis cognita, ſufficit.

HENRICUS RAMPEN S.T.D. Lovanii die 26. Novembris 1636. Theſi 2.

Contritio.............. alia eſt charitate perfecta, alia imperfecta: hac ut talis etiam cognita, non niſi cum Sacramento re ſuſcepto, ſi ſupernaturalis fuerit, illa ob Sacramenti votum juſtificat; quæ perfecta contritio peccatum, ut eſt offenſio Dei, ſuper omnia dilecti, reſpicit. Alia quæ & attritio dicitur, ex turpitudine peccati, vel metu pœnarum concipitur..

ANONYMUS S. T. D. Lovanii 17. Auguſti 1634. Theſi 1.

Attritio *eſt animi motus, quo efficaciter deteſtamur peccatum ex motivo ſupernaturali, quod non ſit Deus ipſe, quatenus eſt ſummum Bonum, à quo peccatum nos avertit. Attritio numquam fieri poteſt contritio; ſufficit tamen, etiam cognita ut talis, ad effectum Sacramenti pœnitentiæ.*

Item die 7. Octobris 1621. Theſi 2.

Dividitur autem contritio in perfectam & imperfectam ſive attritionem. Perfecta eſt dolor, ac deteſtatio peccati ut offenſa Dei ſuper omnia dilecti, imperfecta dolor animi ex peccati turpitudine vel pœnarum metu conceptus. Illa cum Sacramenti voto ad mortalia expellenda.........ſufficiens; hac non item, licet ſufficienter ad illud diſponat.

Tœdet plura deſcribere hujus generis. Meretur tamen audiri celeberrimus Doctor Lovanienſis *RUARDUS TAPPERUS* qui ad articulum 4. pag. 111. columna 1. ſic habet.

Attritio verò ex timore pœnarum ſupernaturalium idonea diſpoſitio eſt ad Sacramentum Baptiſmi & pœnitentiæ gratiam ſuſcipiendam, ut cum quis deteſtatur omnia peccata mortalia, & propterea confitetur, ne per peccatum excludatur à gloria, vel ne in ſupplicium ignis ſempiterni conjiciatur: qui etiamſi cognoſcat, ſe non habere contritionem, ſed tantùm hanc attritionem, probabilis eſt Doctorum ſententia, quod licitè accedit ad Baptiſmi & pœnitentiæ Sacramenta ſuſcipienda. Id autem ibi fuſè probat

ex

ex D. Thoma, ex Auguſtino, & ratione, & ex facto Chriſti, qui talem pœnitentiam per ſe, ſuoſque prædicavit.

Pag. 112. col. 1. cum dixiſſet non omnem pœnitentiam ad ſalutem perducere, ſubdit. *Ille namque ſolummodo pœnitentiæ timor ad ſalutem perducit, cum idcirco quis pœnitentiam agit, quia judicium univerſale & cælorum regnum futurum eſſe credit, à quo excludendi ſunt & in gehennam mittendi peccatores: cum ergò quis idcirco pœnitentiam agit, ut mala æterna evadat, & bona conſequatur æterna, fidelis judicatur, & per fidem agendo pœnitentiam ſalvatur.*

Pag. 113. col. 1. cum probaſſet Sacerdotes non tantùm declarare pœnitentes eſſe ſolutos, ſed verè à peccatis ſolvere: hinc infert: *Non igitur requiritur amor Dei ſuper omnia, & tamquam finis ultimi, ut diſpoſitio neceſſaria in Sacramento Baptiſmi, nec etiam pœnitentiæ: ſed talis ſufficit, ſecundùm quem Deus ſit cauſa triſtitiæ vel pœnitentiæ......... affectus autem contritionis quem Deus deſpicere non poteſt, eſt odium peccati ſuper omnia odibilia propter Deum tamquam finem ultimum, in quem omnia referuntur, amatum.*

Videt Lector, quàm aliena doctrina à dogmatibus de contritione quæ hoc tempore per Belgium manant ex Lovanienſi Academia, fuerit quondam familiaris huic Scholæ.

CAPUT XXII.

De Confeſſione.

§. I.

Ad Doctrinam de Confeſſione, quàm ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

PROPOSITIO PRIMA. Non tenemur confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes, & ſic ſufficit dicere, commiſi furtum mortale toties, non exponendo furti quantitatem. Item toties jejunium fregi, non dicendo an per eſum carnium, aut per duplicem comeſtionem.

PRIMO. Fabricandæ huic Propoſitioni anſam præbuiſſe poteſt his Doctoribus Anonymus Auctor famoſi libri *la Morale des Ieſuites* tom. 2. pag. 51. & 52. vel potius *Ludovicus Montaltius* in damnatis Epiſtolis: hic enim Epiſtolâ decimâ pag. 229. ea adducit ex Theologiâ Mor. *Eſcobarii*;

ex quibus Propoſitionem eſſe ſumptam dubitare non poteſt, qui legerit.

SECVNDO. Ignoravit fortè *Montaltius*, quantæ auctoritatis eſſet doctrina, de non confitendis neceſſariò circumſtantiis aggravantibus. Non eſt credibile id ignoraſſe noſtros Doctores, mirandum igitur placuiſſe eam referre inter corruptelas Theologiæ moralis, & quidem in Belgio potiſſimùm, ubi in quæſtione iſta alii aliter definiunt, ut ferè alibi Theologi.

TERTIO. Saltem vereri debebant ne injuriam facerent Angelico Doctori, qui in ſcripto ſecundo ſuper lib. ſententiarum l. 4. diſt. 16. a. 3. ſic docet. *Circumſtantia, quæ novam rationem peccati mortalis addit, de neceſſitate eſt confitenda, alia autem non.* Ibid. ad 2. *Sufficit, quod cognoſcat* (ſacerdos) *quantitatem, quæ ex novâ ſpecie conſurgit* & ad 5. *ſi talis circumſtantia non trahit in aliud genus mortalis, non eſt confitenda.* Ibidem diſt. 22. a. 2. *Ingratitudo autem non trahit in aliud genus ſpecialis peccati, ideò nec ſecundùm ſe confitenda ſunt* (præcedentia peccata) *nec ipſa ingratitudo, ſecundùm quam redire dicuntur.* Ibidem ad primum. *Ingratitudo......... quia, prout hic accipitur, eſt circumſtantia non addens ſpeciem novam peccati, ideò confitenda non eſt.* Ibidem ad 2. *Dicendum quod verum eſt de quantitate, quæ conſurgit ex nova ſpecie peccati, non de quantitate quæ eſt de circumſtantiis quibuſcumque.* Rurſus opuſc. 12. q. 6. *hujuſmodi circumſtantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quod aliquis teneatur confiteri* : & infra: *quod autem dixi circumſtantias, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non eſſe de neceſſitate confitendas, non eſt referendum ad numerum, quem aliquis confiteri tenetur, ſi poteſt, quia jam non eſt unum peccatum, ſed multa.* In 4. diſt. 16. q. 3. a. 2. ad 3. quæſt. *quod autem accipiat multum vel parum, ex ſe deformitatem aliquando non importat, niſi ex ſuppoſitione primi, quia multum de alieno recipere, eſt ab æqualitate magis diſcedere, unde talis circumſtantia aggravat, ſed peccatum non mutat.* Ad quæſt. 5. *Alii verò dicunt, quod non ſint de neceſſitate confitendæ, niſi circumſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius eſt. Sed addendum eſt: quæ ad aliam ſpeciem mortalis trahunt, cujus ratio eſt, quod venialia non ſunt de neceſſitate confeſſionis......... & quia circumſtantiæ aggravantes, quæ aliam ſpeciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, ſed non mortalis peccati, non ſunt de neceſſitate confeſſionis: tamen eadem confiteri perfectionis eſt, ſicut & de venialibus dictum eſt.*

En ergo doctrinam *S. Thomæ*, quam ut reprobatam à ſua Schola S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

QVARTO. Poſteriorem partem Propoſitionis de non diſtinguenda violatione jejunii per eſum carnium, aut duplici refectione, *Ludovicus Montaltius* aſſignat *Granado* citato, ut præ ſe fert, ab *Eſcobari.* Inquirat, cui id lubet, an rectè habeant citationes illæ. Nos poſtulamus nominari Theologos Belgas, quorum laxitates repræſentantur S. Sedi.

Propositio Secunda. Neque tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

Hanc doctrinam illimitatè tradiderat *Ioannes Sanchez* in ſelectis diſp.9. n.6. deleri eam juſſit S. Congregatio. Superſunt igitur his noſtris familiares litteræ *Ludovici Montaltii*, qui epiſ.10. videtur hanc doctrinam aſſignare *Stephano Baunio*. Sed hic doctrinam reſtringit hâc ratione, ab ipſo *Montaltio* non diſſimulatâ: *quia confeſſarius jus non habet interrogandi pœnitentem de conſuetudine peccandi, niſi ejus rei gravem cauſam habeat, quæ raro accidit.* Sed nos doctrinæ Auctores Belgas poſtulamus; quando Theologorum in Belgio *contentiones*, *acerbitates*, *ſcandala* repræſentantur S. Sedi, ut profeſſi ſunt in libello ſupplici Doctores.

Propositio tertia. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis V. G. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis aut Indulgentiæ.

PRIMO. Eſt hæc Propoſitio Articulus Septimus in Catalogo 38. Articulorum à Theologica Facultate Lovanienſi damnatus die 4. Junii 1648. eſtque eadem propoſitio Articulus 4. inter illos 17. quos eadem Facultas damnavit Anno 1653. Hic ſtrepitus Lovanienſis, niſi fallimur, debetur Impoſtori Anonymo auctori infamis libelli *Theologie morale des Iesuites*, qui ſectione de pœnit. n.19. pag.23. verba quædam refert *Stephani Baunii* in ſumma peccat. pag.991. edit. 5. quæ ſine dubio occaſionem præbuerunt cudendæ propoſitioni; ſed re ipſâ doctrina *Baunii* iſto loco procedit, non de *dimidiatè confeſſo*, ſed de rudi homine *per ignorantiam & bonâ fide nonniſi rudi modo confitente*; ſed tamen integrè quantum fert captus ipſius: tum verò, inquit, *rudis ille homo propter obligationis ignorantiam non craſſam, capax eſt abſolutionis, & ad perfectiorem diſpoſitionem* (confeſſionem) *facilè adduci non poteſt propter multitudinem pœnitentium.* Sitne vera hæc *Baunii* doctrina, nihil ad nos: certum eſt, eſſe omninò diverſam à doctrina, quam continet propoſitio.

Audiatur judicium *Baunii* de propoſitionis doctrina. Hanc enim tractat ex profeſſo paulò infra in eodem cap.40. pag.1003. ſic interrogans: *an quando eſt affluentia populi liceat audire à pœnitente unum ſolùm, alterumve peccatum cum mandato rurſus ſe ſiſtendi alio die &c.* Reſpondet verò in hæc verba. „ Difficile eſt „ approbatu, quod confeſſarius poſſit ſinè læſione ſuæ conſcientiæ inducere „ illos, ut dimidient & dividant ſuam confeſſionem, contra inſtitutionem

„IESV

„ *IESV Chriſti.* Verum eſt quod interdum id liceat facere ob bonam & juſtam „ cauſam: ſed hæc non invenietur, quæ faveat pœnitenti, & multò minùs, „ quæ Confeſſario, ad reddendum Sacramentum imperfectum, & defectuo- „ ſum per confeſſionem peccatorum truncatam & dimidiatam, ſine aliâ neceſ- „ ſitate, quàm multitudine pœnitentium: oportet ergo illam facere inte- „ gram.„ „

SECVNDO. Quoniam ergò parum ſpei eſt in libello infami impoſtoris Anonymi, ad inveniendum auctorem propoſitionis, poſtulamus ab his Doctoribus, ut Auctorem ejus proferant præcipuè Belgam, nam Theologorum in Belgio laxitatem profitentur ſe repræſentare S. Sedi: niſi auctorem propoſitionis habeant in promptu, non informant S. Sedem; ſed ludunt.

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in materiâ de Confeſſione.

CUm non conſtet hactenus extra imaginationém horum Doctorum extare uſpiam Doctrinam propoſitione tertiâ contentam, *Ioannes Sinnichius* S. T. Doctor Lovanienſis, haud contentus vulgari cenſurâ, quam tulerat Doctorum facultas Lovanienſis anno 1649. & 1653. ampliorem dedit Lovanii die 25. Auguſti 1661. Theſi 1.

ANGVSTA PORTA ET ARCTA VIA EST QVÆ DVCIT AD VITAM. Quam qui ingredi cupit, attendat ſibi non ſolùm à falſis prophetis & hæreticis, ſed & ab iis Doctoribus Catholicis, qui ſe duces hujus viæ offerunt, & prætextu eam dilatandi noxias nimis & pernicioſas fingunt laxitates, ut quod ob nudum pœnitentium confluxum liceat confeſſionem dimidiare.

His ſimilia extant Lovanii propoſita die 2. Decembris 1664. Theſi 2.

Ad Propoſitionem primam de Confeſſione accipe ludum Poëtæ Lovanienſis.

Quid metuis maleſane? fugas pallore ruborem,
Et redit alterius creber in ora rubor?
An quia furatus centum es fortaſſe talenta;
Idque Sacerdoti lex aperire jubet?
Parce metu: modus eſt, quo declinare pudorem,
Et poſſis noxas ritè piare tuas.
Non opus ut dicas te tot rapuiſſe talenta:
Dic animam graviter te maculaſſe tuam.
Dic, ſcelus admiſi furto; Sanctaque Sacerdos
Signa crucis tribuens diluet omne ſcelus.

§. 3. *Doctorum*

§. 3.

Doctrinam Lovanienſium Doctorum de Confeſſione, ut reprobatam à Scholâ Lovanienſi, Sancta Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.

MEmor ſit Lector propoſitionis primæ de Confeſſione. *Non tenemur confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes &c.* Non alia Lovanii doctrina ſæpius eſt propugnata.

ANDREAS LAURENT S.T.D. unus ex illis, quorum nomine expoſtulatur hoc tempore apud S.Sedem Lovanii 17.Auguſti 1652. Theſi 1.

Iure divino Confeſſio integrè facienda eſt, ita ut omnia mortalia, necdum per abſolutionem directè remiſſa, exponantur quoad ſpeciem moralem, numerum, & circumſtantias ſpeciem mutantes; an etiam quoad notabiliter intra eamdem aggravantes? negativam partem ſuſtinemus.

IOANNES SINNICHIUS S.T.D. Lovanii die primâ Auguſti 1652. Theſi 3.

An verò etiam circumſtantias notabiliter aggravantes intra eamdem ſpeciem teneatur exprimere? laborioſè controvertunt ſcholaſtici, nos proinde quoque te negante aſſerimus, vel etiam te aſſerente negamus.

Idem Lovanii pro 3. reſponſione ad gradum Magiſterii determinatiùs reſpondit die 2. Aprilis 1639. Theſi 2.

Numerus mortalium in ea exprimendus, uti & ſpecies cum circumſtantiis ſpeciem mutantibus: reliqua circumſtantia taceri poſſunt.

MICHAEL PALUDANUS S.T.D. Lovanii die 4. Maji 1651. Theſi 3.

Circumſtantia intra eamdem ſpeciem, etiam notabiliter aggravantes, non ſunt neceſſariò confitenda.

Doctor idem aſſertionem dedit huic ſimilem Lovanii die 16. Maji 1647. Theſi 3.

IOANNES SCHINCKELIUS S.T.D. Lovanii die 14. Maji 1644. Theſi 3.

Circumſtantia verò notabiliter intra eamdem ſpeciem aggravantes, non ſunt neceſſariò explicanda.

Doctor idem dedit aſſertionem huic ſimilem Lovanii 3.Junii 1642.Theſi 2.

GUILIELMUS AB ANGELIS S.T.D. Lovanii die 9.Julii 1644.Theſi 2.

Aggravantes intra eamdem ſpeciem tutò tacebis.

THOMAS LEONARDI S.T.D. Lovanii die 14.Septembris 1652. Theſi 1.

Sola circumſtantia mutantes ſpeciem ſunt in confeſſione aperienda.

GERARDUS VAN WERM S.T.D. unus ex illis, qui de hac doctrinâ expoſtulant hoc tempore apud S.Sedem Lovanii die 11. Februarii 1642. Theſi 2.

Numerus peccatorum in ea (confeſſione) *exprimendus, uti & ſpecies cum circumſtantiis ſpeciem mutantibus: reliqua circumſtantia taceri poſſunt.*

Sunt alia his conſentanea: ſed pergamus.

CAPUT XXIII.

De Abſolutione.

§. 1.

Ad doctrinam de Abſolutione, quam ut reprobatam à Lovanienſi Scholâ Sanctæ Sedi repræſentarunt Lovanienſes Doctores.

PROPOSITIO PRIMA. Sicut Confeſſarius credit peccatori dicenti quod ceciderit, ſic etiam debet credere dicenti quod reſurrexerit, ſeu quod verè doleat, & proponat ſe emendare.

PRIMO. Sumpſerunt hanc propoſitionem Doctores Lovanienſes ex appendice *Franc. Caroli Raymakers* ad ſuam *reſponſ. brevem.* ubi n. 169. in fine hæc ſcribit: *Quandoquidem enim fateatur hic auctor, quod homo poſſit aſſiduè cadere & reſurgere, ſicut credit dicenti, quod ceciderit, ſic debet etiam credere dicenti, quod reſurrexerit, ſeu quod verè doleat & proponat ſe emendare. Vel dicat quare potiùs pœnitenti credendum ſit contra ſe, quàm pro ſe loquenti.* Hujus rationem dederat in *Reſponſione brevi* ad *Methodum Gummari Huyghens* S. T. D. *Quia coram hoc tribunali pœnitens non ſolùm eſt reus, ſed etiam accuſator & teſtis.*

SECUNDO. Placuit eadem ratio Theologis communiſſimè: videri poteſt *Suarez* tom. 2. de Rel. l. 3. c. 8. n. ult.

Placuit eadem Doctori Angelico qui opuſc. 12. q. 6. ſic loquitur: *in confeſſione eſt credendum peccatori confitenti & pro ſe & contra ſe.* Item in 4. diſt. 17. q. 3. quæſt. 5. ad 2. *Quantum ad hanc cognitionem non poteſt majorem certitudinem accipere, quàm ut ſubdito credat, quia hoc eſt ad ſubveniendum conſcientiæ ipſius; unde in foro conſcientiæ creditur homini pro ſe, & contra ſe.* Item tradit quodlibeto 1. a. 12. in corp. & ad 2.

En igitur Doctrinam *S. Thomæ* reprobatam à Lovanienſi Schola, atque ut corruptelam moralis Theologiæ in Belgio repræſentatam S. Sedi.

TERTIO: Non eſt difficile, ut malevolus quiſpiam Propoſitionem ſic intelligat, quaſi dicatur credendum eſſe pœnitenti de ſuo dolore; etſi aliundè conſtet ipſum vel mentiri vel falli. Non hoc voluit *S. Thomas*, ac ne in Belgio quidem Theologi. Hoc negant, quod hi Doctores *Methodo* affixi *Gummari Huyghens*,

Huyghens, generaliter affirmant, extra eventum pœnitentiæ prorſus extraordinarium, & miraculoſum conſuetudinem peccandi præbere argumentum, quo conſtet mentiri, vel falli pœnitentem, cum affirmat ſe dolere. Multò magis negant, quod minimè obſcurè docentem *Gummarum* audivimus in 2. p. *Specim.* cap. 5. §. 6. quodlibet peccatum mortale hujuſmodi argumentum præbere, ac proinde cuilibet peccatori lethalis peccati reo differendam eſſe abſolutionem, donec non ſolùm verbis, gemitibus, lacrymis, ſed etiam vitæ emendatione ipsâ ſic probaverit dolorem, ut tandem moraliter certò conſtet de efficacia doloris & propoſiti: de his egimus toto illo cap. 5. quæ an placere debeant præ doctrinâ, quam continet propoſitio, ſtatuat ſapiens Lector.

Propositio secunda. Pœnitenti habenti conſuetudinem contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ; etſi emendationis ſpes non appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolore; & proponere emendationem.

Fuit hæc propoſitio articulus primus inter 38. quos Facultas Theologica Lovanienſis ſolemniter ac ſigillatim cenſuravit. Occaſio fabricando articulo præbita eſt à *Ludovico Montaltio* Epiſt. 10. & auctore Anonymo libelli infamis *Theologie Morale des Ieſuites* ſect. de pœnit. n. 35. pag. 29. aliàs 28. qui *Stephano Baunii* adſcribunt Doctrinam: audiatur ergo *Guilielmus le Maire* in *Statera Saülis Ext.* ſect. 3. c. 5. n. 436.

„ Primus Articulus ſic habet. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra* „ *legem Dei, naturæ* &c. Habetur in libello famoſo ſect. 4. n. 35. pag. 29. niſi „ quod Auctor famoſus non habeat illa verba, *dummodo ore proferat ſe dolere*. „ Articulum Calumniator adſcribit *Baunio*, tract. 4. de Pœnit. adſcribit item „ *Baunio* Facultas Theologica in Exemplari 38. Articulorum Jeſuitis dato: ſed „ locum non citat. Videtur verò *Baunium* non legiſſe, niſi forte in libello fa- „ moſo. Mirum eſt tamen quod addiderit illa verba; *dummodo ore proferat ſe* „ *dolere*. Baunius tract. 4. de Pœnit. q. 15. diſertè requirit, ut ille pœnitens ſit „ *contritus, cum propoſito emendandi ſui impoſterum*. Et infrà: *Dummodo dolore ne-* „ *ceſſario inſtructus ad confeſſionem, vitæ melioris conſilium afferat de quo ſacerdoti*, „ *QVANTVM FAS EST HVMANITVS ex ſignis, aut ejus ore, voceque* CONSTET: „ & quæſt. 22. *Si verè eum admiſſorum pœnitet* &c. requirit ibidem *dolorem de* „ *peccatis, propoſitum firmum, & ſtabile*. Conſideret Lector quomodo his con- „ gruat illa clauſula Articuli, *dummodo ore proferat ſe dolere*: *Baunius* non eſt con- „ tentus vocibus ore prolatis, requirit in Confeſſario notitiam *veri doloris*, & „ *firmi propoſiti quantùm humanitus* aſſequi licet. „

Ex his Lector intelligit, quâ fide egerint in deligendis aut cudendis illis articulis Lovanii damnandis; minori ſcilicet, quàm impoſtor Anonymus Auctor libelli infamis *Theologie Morale des Ieſuites*, aut *Ludovicus Montaltius* Auctor damnatarum epiſtolarum: neuter enim adjunxit hæc: *dummodo ore proferat ſe dolere*: Neque *Montaltius* diſſimulavit hæc; *ſi verè eum admiſſorum pœnitet, ac emendandi ſui propoſitum habet*: Diſſimularunt hi Doctores, cum non rectè congruerent his: *dummodo ore proferat ſe dolere*.

SECVNDO. Nihil cum *Stephano Baunii* contraximus in Belgio. Patronos Doctrinæ Belgas poſtulamus, ut conſtet non eſſe illuſum Regi Catholico, & S.Sedi, cum profiteantur de iis ſe velle conſulere S.Sedem, quæ nobis in Belgio dedêre *contentiones, reip. perturbationes, ſcandala &c.*

PROPOSITIO TERTIA. Poteſt abſolvi fæmina, quæ domi ſuæ virum excipit, cum quo ſæpe peccat, ſi eum honeſtè non poſſit inde ejicere, aut cauſam aliquam habeat eum retinendi.

PRIMO. Habetur hæc propoſitio in litteris *Montaltii* Ep. 10. in libello famoſo *Theologie Morale des Ieſuites* ſect. de pœn. num. 30. pag. 27. utrobique adſcribitur *Stephano Baunio*, qui tract. 4. de pœn. q. 14. p. 95. hoc ponit Corollarium: *ſequitur abſolvi poſſe fœminam, quæ domi ſuæ virum excipit, cum quo ſæpè peccat, ſi eum honeſtè inde ejicere non poteſt, aut cauſam aliquam habet eum retinendi, dummodo firmiter proponat, ſe cum eo amplius non peccaturam*. Placuit Doctoribus Lovanienſibus omittere hæc poſtrema; *dummodo firmiter proponat &c.* quæ, ſi *Baunium* non legerint, accipere poterant vel à Montaltio ea non diſſimulante.

,, *SECVNDO*. Hic adnotandum eſt, inquit *Guil. le Maire* in *Statera* ſect. 3. c. ,, 5. n. 438. inter articulos 38. S. Congregationi oblatos hunc fuiſſe ordine ſe- ,, cundum: *Poteſt abſolvi fæmina, quæ domi ſuæ virum excipit, cum quo ſæpe peccat,* ,, *ſi eum honeſtè non poteſt inde ejicere, aut cauſam aliquam habeat eum retinendi.* ,, Cenſura Facultatis Lovanienſis ferebat cauſam debere eſſe *graviſſimam*. At ,, vero Qualificatores (Romani) reſponderunt, *aſſertionem reſtringendam eſſe ad* ,, *cauſam gravem*. Patet ergo Qualificatorum judicio immunem eſſe à cenſura ,, *Baunii* doctrinam, quam explicui: requiſivit ad mininum cauſam *gravem*, cum ,, requiſivit *juſtam*, verius eſt requiſiviſſe cauſam *graviſſimam*, cum *fateatur re-* ,, *gulariter abſolvendum non eſſe*, quia nimirum regulariter non occurrit cauſa *gra-* ,, *viſſima*. Cauſæ quas ponit pro exemplis, ſalus proximi æterna, & converſio ,, infidelium, ſunt revera graviſſimæ. Unde licet conjicere, etiam Cenſorum Lo- ,, vanienſium judicio, *Baunii* doctrinâ eſſe immunem à cenſura. Interea illi non dubi-

„ dubitarunt, Articulum à ſe cenſuratum *Baunio* adſcribere. Adſcripſerat impo-„ ſtor Gallus. „

TERTIO. Patronos doctrinæ Belgas poſtulamus. Mirum eſt tam eſſe oblitos ſui propoſiti Doctores, ut ad ſingulas prope propoſitiones hæc inculcanda nobis ſint, non ſine tœdio Lectoris.

PROPOSITIO QUARTA. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proximâ occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult omittere, quin imo directè ex propoſitio quærit, aut ei ſe ingerit.

PRIMO. Eſt hæc propoſitio articulus 2. inter illos 17. quos Facultas Theologica Lovanienſis ſolemniter cenſuravit anno 1653. fuitque 2. in Catalogo Articulorum 38. Audiendus ergo rurſus *Guil. le Maire* ſect. 3. cap. 5. haud incurioſus vir horum Articulorum, & arcana prodens non pauca: hic verò in *Staterâ* ſect. 3. cap. 5. n. 437. de articulo illo hæc obſervat.

„ Secundus articulus ſic habet: *Poteſt aliquando abſolvi &c.* invenitur in li-„ bello famoſo ſect 4. n. 28. 29. pag. 27. adſcribit illum calumniator *Baunio* eo-„ dem tract. 4 q. 14. Adſcribit etiam *Baunio* Facultas: ſed per injuriam, quæ „ pateſcet ei, qui adire dignabitur *Baunium* loco citato. *Baunius* ibi dicit: *Re-„ gulariter abſolvendum non eſſe*: requirit verò *dolorem de præteritis*, *firmum propo-„ ſitum*, *juſtam cauſam non deſerendi occaſionem*, qualem putat *alienam*, *ſalutem* &c. „ negat hoc eſſe *directè quærere.* „

SECUNDO. Dubitare non poſſumus, quin miretur cordatus Lector, tam confidenter proponi S. Sedi propoſitiones hujuſmodi, & quidem ut laxitates Theologorum in Belgio; quarum Auctorem nequidem in Gallia, aut alibi terrarum invenerunt.

PROPOSITIO QUINTA. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi concurrit.

PRIMO. Propoſitio eſt Articulus 4. inter illos 38. quos anno 1649. damnavit Facultas Theologica Lovanienſis. Occaſionem condendo articulo præbuiſſe poteſt Anonymus Auctor libelli pridem damnati *Theologie Morale des Ieſuites*, ſect. de pœnit. n. 25. pag. 26. ubi doctrinam adſcribit *Stephano Baunii* tract. 4. qui eſt de pœnitentia, q. 14. Non dubitavit Facultas Theologica Cenſorum in Catalogo Articulorum illum Articulum 4. eidem Auctori adſcribere: ſed.

per injuriam. Cur aſſertionem *Baunii* loco cit. pag. 94. col. 2. non reddiderunt verbis totidem? ſic loquitur. „ Dico 3. eum qui eſt in occaſione peccandi ab-„ſolvi poſſe ſi dolorem de præteritis habeat, firmumque propoſitum non pec-„candi impoſterum, & ſimul juſtam cauſam non deſerendi prædictam occa-„ſionem. „ Architecti articuli omiſsâ mentione *doloris, & firmi propoſiti*, cauſam ſic languidè expreſſerunt; *quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi concurrit*; quaſi ſufficeret quælibet utilitas: Porrò *cauſam juſtam* intelligit *Baunii, cum quis ſinè ſuo magno incommodo privari eâ* occaſione *non poteſt*, ut explicat ibidem pag. 96. col. 1. Ad hæc de *firmitate propoſiti* requiſitâ in pœnitente, poſtulat ibidem col. 2. *ut ſacerdoti quantum fas eſt humanitus ex ſignis, & ejus ore, voceque conſtet.*

SECVNDO. Nihil ergo ibi docuit *Baunii*, quod non docuerunt communiſſimè Theologi; citat ipſe non paucos in quibus eminet *Navarrus* in ſumma cap. 3. n. 16. & ſequentibus, dicens etiam ſe moveri, quia *qui nimis emungit, elicit ſanguinem.*

Propositio sexta. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali aut temporali noſtro vel proximi.

PRIMO. Invenitur hæc propoſitio in libello famoſo *Theologie Morale des Ieſuites* ſect. de pœnit. n. 29. pag 27. in principio: invenitur in litteris *Ludov. Montaltii* ep. 10. & iterum ep. 15. & *Montaltius* & Auctor libelli famoſi illam affingunt *Stephano Baunii* p. 1. tr. 4. pag. 94. verùm rectè pridem conteſtatus eſt *Cauſinus* in Apologia „ legatur locus Baunii citatus ..... imò totus liber, ne le-„viſſimum quidem iſtius ſententiæ reperietur veſtigium, quæ non niſi in ho-„minem perditum poſſit cadere, adeoque *Baunio* affingi non poteſt niſi ab or-„gano dæmonis. „

Hoc verum eſt quod *Baunius* ſententiam referat *Baſilii Pontii* his verbis: *Quin etiam tradit BASILIVS ubi ſupra, occaſionem primò & per ſe quæri poſſe, cum eſt aliqua cauſa eam volendi ob bonum noſtrum, aut proximi tam temporale, quàm ſpirituale.* Hæc eſt mera narratio, ut patet. Imò certum eſt *Baſilium Pontium* aliud non voluiſſe, quàm licere adire ejuſmodi occaſiones urgente gravi causâ, & non requiri, ut per accidens, aut prorſus neceſſariò obveniant. Auctorem adeat, qui eſt curioſus dicto cap. 6. Appendicis.

SECVNDO. Ex his videt Lector, cujuſmodi ſint hæ Propoſitiones, quæ repræſentantur hoc tempore S. Sedi tamquam laxitates Theologorum in Belgio. Nimis clarum eſt, viam ad illas eſſe commonſtratam ab Auctoribus infamium librorum. Benè habet, quod hi in Theologos Belgas non exarſerint: ſed

tamen

tamen quæ illi Hiſpanis, Galliſve affinxerunt, ea videmus hodie Romæ venditari, ut corruptelas Theologiæ moralis in Belgio.

Propositio Septima. Abſolutionis capax eſt homo, quantâvis laboret Ignorantiâ myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium SS Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jesu Chriſti.

PRIMO. Hanc quoque propoſitionem obtulit Anonymus Auctor libelli infamis toties recurrentis *Theologie Morale des Ieſuites* ſect.de pœnit.n.25.pag.25. in fine, eamque adſcribit *Stephano Baunio* tract.4.de pœnit.q.12. Invenit ergo locum Propoſitio inter Articulos 17. quos Theologica Facultas Lovanienſis ſolemniter damnavit Anno 1653.

SECVNDO. Audiendus verò hîc eſt *Guilielmus le Maire* homo curioſus, ut jam ſæpe patuit, Articulorum, quos damnavit Facultas Lovanienſis. Hic enim in *ſtatera Saulis Exregis* ſec.3.c.3.n.427.ſic obſervat.

„ Articulis 38. de quibus hactenus, poſtea acceſſerunt quinque alii, qui & „ ipſi miſſi ſunt ad S. Congregationem. De hoc verò, uti & de aliis, quæ refe- „ ram hoc loco, conſtat ex iis quæ Româ accepit idem Illuſtr. Dominus *Man-* „ *gellus* internuncius Apoſtolicus.

„ Porrò ex illis quinque poſtremus ille erat, qui poſtea factus eſt poſtre- „ mus inter articulos ſeptemdecim, qui vulgò circumferuntur, & de quibus in- „ fra: erat enim hic: *abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ* „ *Myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam quoque culpabilem neſciat Myſterium* „ *SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. IESV Chriſti.*

„ Quam cenſuram tulerit Facultas Theologica de hoc articulo, quando in- „ ter illos quinque miſſus fuit Romam, non potui comperire. Cæterum relatus „ inter ſeptemdecim, de quibus infra, ſubiit communem omnibus cenſuram „ Doctor Sinnichius Saülis Exreg. pag.584. col.1. in vind. pag.625. ad arti- „ culum illum ſic exultat: *Ecce quo uſque prolapſi ſunt novelli probabilitatum pa-* „ *troni, ut etiam Atheos fingant abſolutionis capaces.*

„ Circumſpectiùs reſponderunt Qualificatores Romani his verbis: *Propoſitio* „ *eſt damnabilis, niſi intelligatur, quod ante abſolutionem pœniteat de ſuâ culpabili* „ *negligentiâ.* Valdè providè hoc addiderunt illi, potuiſſetque addere idem „ Facultas Theologica, ſi articulum illum deſumpſit ex famoſo libello „ *Theologie Morale* ſect.4. num.25. pag. 25. ubi illum impoſtor Gallus attri- „ buit *Stephano Baunio* tract.4.de pœnit.q.12. Baunius autem iſto loco rationem

„ aſſer-

„ aſſertionis ſuæ hanc ponit : *quia illos pœnitere poteſt ſua negligentia:* addit verò; „ *Confeſſarium teneri ſaltem proponere ruſticis ſibi confitentibus , aut aliis noſtrorum* „ *myſteriorum ignaris, Articulos de Trinitate,& Incarnatione Chriſti, eoſque illis explicare,ut poteſt , tum ab iis ſciſcitari , ecquid iis à ſe pro tempore breviter expoſitis non* „ *credant , ecquid de præteritâ ſuâ negligentiâ in addiſcendis Chriſtianæ Religionis* „ *Myſteriis non doleant ?* „

TERTIO. In Belgio conſtat doctrinam illam nullius eſſe nominis : conſtat multò magis nihil eam *perturbationis* aut *ſcandali* apud nos peperiſſe. Attamen & iſtud conſtat,non parum turbari hoc tempore ſimplices homines à quibuſdam , qui valde diffidentes illorum fidei neceſſariæ ad ſalutem moribundos præſertim illis interrogationibus inquietant, quibus ſuperſederi fortaſſe eſſet ſatius: celebris ea eſt,an Deus Pater habeat brachia, cum in Symbolo Apoſtolorum *Chriſtus* ſedere dicatur ad dexteram Patris. Sunt aliæ his ſimiles, ad quas ſi quis ætate aut morbo jam tardior, parum commodè reſponderit, ibi verò differenda judicantur extrema Sacramenta , donec melius inſtructi ſint morti jam vicini,non ſine moleſtiâ & periculo.

Propositio Octava. Sufficit illa ſemel credidiſſe.

PRIMO. Omiſſo *Stephano Baunii* referuntur Doctores ad *Thomam Tamburinum*, ut apparet *:* hic enim lib 2.in Dec.c.1.n.3.videri poteſt occaſionem præbuiſſe cudendæ huic Propoſitioni ; ſic enim ſcripſit. „ Adverto primo in bene moratis, vel confiteri ſolitis ſupponi poſſe , ſemel hæc myſteria credidiſſe : ſemel,inquam,nam ex neceſſitate medii ſemel ſufficit. „

Si ex hoc *Tamburini* loco occaſionem rapuerunt cudendi Propoſitionem, non bonâ fide egerunt. 1. Quia loquitur *Tamburinus* de neceſſitate medii , dicens ; *Hac myſteria credidiſſe ...... ex neceſſitate medii ſemel ſufficit.* 2.Quia Doctores hanc Propoſitionem collocantes ſub titulo *de abſolutione* & proximè ſubnectentes alteri de ignorantia myſteriorum SS.Trinitatis & Incarnationis, non impediente Abſolutionem , non obſcurè ſignificant illâ Propoſitione octavâ doceri,quod ſufficiat illa myſteria ſemel credidiſſe , ut pœnitens ſit capax abſolutionis,quamvis illa jam ignoret. Ut ut ſit de veritate hujus doctrinæ , certè illa non eſt *Tamburini* loco citato. Libenter ergo intelligemus,undè acceperint Propoſitionem.

SECUNDO. Sed præcipuè poſtulamus,quod alibi toties , Belgas Theologos nominari Auctores Propoſitionis.

§. 2.

§. 2.

Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materiâ de Abſolutione.

LOcum hunc abſolvere poteſt *GVMMARVS HVYGHENS* S.T.Doctor Lovanienſis, quando ejus *Methodum remittendi & retinendi peccata* minimè obſcurum eſt communibus Doctorum & Academicorum Lovanienſium ſuffragiis approbatam eſſe;de quo nos vide Lector in 2.p. *Specim.* cap.5. in principio.Quid dogmatum nobis protulerit illa *Methodus*,diligenter expoſuimus illo cap.5. Hìc afferamus pauca,undè pateat,quàm non dubitanter illis adhæreant hi noſtri,ut alibi ferè aſſueti tenere fortiter,quod tenent.

Operosè hoc egerat Auctor *Methodi* tr. 1.q. 4. generaliter differendam eſſe Abſolutionem laborantibus pravâ conſuetudine, extra articulum mortis & eventum converſionis prorſus extra-ordinariæ & miraculoſæ; tum verò dub. 11. Confeſſarios diversâ praxi utentes primùm quidem comparat homini *immiti, qui furibundo, quo ſe interimat,gladium porrigit .... ſiquidem irritam, & falſi nominis pacem non ſolùm accipientibus non profuturam, ſed & multùm iis plerumque nocituram annuntiant.* Poſt pauca deinde pathos ciet ingens his verbis.

Vah! immitem miſericordiam! quæ impœnitentes illos pœnitentes abſolvendo minimè abſolvit, ſed firmius ligat. Ligat ad illigandum pœnitentes vinculis peccatorum, & peccatum peccato accumulandum. Ligat inquam, ad vinculum vinculo innectendum, hoc eſt ſacrilegâ abſolutione & novo peccato vetus diluendum. Vtinam non liget denique ad impœnitentiam finalem & ad alligandum illos in compedibus & manicis æternis.

Poſtquam etiam docuiſſet minimè obſcuræ differendam ſimiliter eſſe abſolutionem omni pœnitenti,qui lethaliter peccaſſet, ut expoſuimus in 2.p.*Specim.* c.5.§.6.Poſtquam & alia docuiſſet à communi Theologorum & fidelium ſenſu abhorrentiſſima, quæ retulimus illo c.5. tandem tr.2. q.7. ad object.10. pag. 210.terrere nos conatur,ne quid ejus doctrinæ opponamus; idque his verbis.

Vtinam meus me fallat animus, qui mihi præſagit,doctrinæ huic à quibuſdam reclamatum iri ...... Equidem dicam quod res eſt, ſi quid huic doctrinæ opponetur, id potiſſimum fore expecto ab iis, quibus jam pridem in conſuetudinem abiit,quoſcumque fermè abſolutionis beneficio indiſcriminatim donare,modò placeat vel ſemel proloqui, DOLEO DE PECCATIS MEIS, *vel ad interrogationem* DOLESNE DE PECCATIS? *proferre iſtam voculam,* DOLEO. *Quo factum eſt,ut inter illos (blandos dicam, aut potius immites Confeſſarios?) nonnullos comperias, qui cum plus triginta annos à confeſſionibus fuerint, numquam ne ſceleſtiſſimo quidem, mirum! abſolutionem diſtulerunt, nedum negarunt.*

Quàm confidenter hæc affirmat! nobis verò conſtat, eos qui ſcripſerunt contra *Methodum* hujus Doctoris, non eſſe de illorum genere.

Poſt hæc accingit ſe ad exhortationes graphicas certiſſimò ſibi perſuadens, impias eſſe & ſacrilegas Abſolutiones illas omnes, quæ non ſunt exactæ ad regulas ſuæ *Methodi*. Sic nos alloquitur pag. 212.

Pro ea, quâ invicem diligimus charitate obſecro & obteſtor ut recta ſecum reputent, an ſua ſuorumve praxis umquam effectum dare potuerit, ut ii pœnitentes, qui reapſe & coram Deo converſi non erant, idcirco fuerint converſi, quia confeſſarii blandiores eo loco illos habuerunt, acſi converſi fuiſſent; ſi hoc dicere nec poſſint nec auſint, quantum animarum diſpendium! quot ſacrilegia! quot homines fucatâ hâc abſolutione contenti & decepti in æternam eunt perditionem! movebit illos, ſpero, debitus Deo honos & proximi ſalus, ut ſuam, ſuorumque praxim non tueantur contra veritatem, movebuntur ſuâ ipſorum ſalute .... ut non magis pro praxi ſuâ defenſanda, quàm pro debito Confeſſarii munere; non magis pro incommodo aliquo evadendo, aut, quod abſit, humano quopiam intuitu, quàm pro commodo tot animarum, hanc doctrinam impetere ſtudeant; ſed memores erunt (quod fore confido) ſui jam numeris eſſe, tantò fortius ſtare pro veritate agnitâ, quantò longius ab eâ ante deflexerunt. Nec enim video quod opportunior ſuperſit errores ante commiſſos reſarciendi Methodus.

Hic habes Lector confidentiæ tantæ fundamentum, quia non videt Auctor *Methodum opportuniorem.*

Otioſum poſt hæc ſit Modeſtiæ ſpecimina petere ex Theſibus Academicis, *Methodo* ipsâ animari cœperunt, ex quo illa prodiit.

Materiam de Abſolutione haud reliquere intactam nuper Lovanienſes Poëtæ. Quod ſe primùm offert carmen, mentionem continet jactatæ pridem ab hiſce noſtris Epiſtolæ Emin. Cardinalis *Bona* ad *Ægidium Gabriëlis* Auctorem *Moralis Chriſtiana & Diabolica*: Sed verendum eſt, ne immodeſtia ſit vel deſcribere.

§. 3.

Iudicium Lovanienſium Doctorum & Academicorum de doctrina libri, cui titulus FRANCISCI IACOPS S.T.P. Quæſtio Theologica; An & quando neganda ſit abſolutio pœnitenti.

NOn eſt animus congerere, quæ in Materia Abſolutionis Lovanienſes Doctores conſentanea dederunt iis, quæ hoc tempore repræſentantur S. Sedi, ut reprobata à Schola Lovanienſi; quando aliud ſe offert magis nobis idoneum & majori dignum admiratione. Res ordine pandenda eſt.

Quaſdam

Quaſdam de Pœnitentiâ Propoſitiones ut excerptas ex Dictatis ſcholaſticis cujuſdam S.T. Profeſſoris ſeverè damnaverat decreta publico Illuſt. Epiſcopus Atrebatenſis. Nemo non intelligebat, notari *Franciſcum Iacops* S.T. Profeſſorem Duacenum: Hic igitur anno 1676. ex dictatis ſuis nullo apice mutato edidit *Quæſtionem Theologicam: AN ET QVANDO NEGANDA SIT, AVT DIFFERENDA ABSOLVTIO POENITENTI? Celeberrimorum orbis Chriſtiani Theologorum auctoritate & approbatione firmatam.*

Porrò in quæſtione illa Theologica continentur Aſſertiones hæ.

Pag. 5. dico 4. „ Non licet differre abſolutionem, quando Confeſſarius „ non eſt certus moraliter, aut ſaltem longè probabilius non putat fore ut „ poſſit poſtea ipſemet dare abſolutionem pœnitenti: ita omnes contra *Huy-* „ *ghens* pag. 228. „

Pag. 6. dico 5. „ Abſolvendi ſunt rudes etiam qui tantùm interrogati fa- „ tentur ſua peccata: ita omnes contra *Huygens* pag. 216. „

Pag. 7. dico 6. „ Non eſt differenda conſuetudinariis uſque dum actualiter „ vitam emendarint. Ita omnes contra *Montaltium* epiſtola 10. *Wendrokium* in „ eam, *Huygens*, qui pag. 207. docet adhuc eſſe differendam, licet urgeat præce- „ ptum annuæ Confeſſionis.

Pag. 13. „ Objicies Septimò. Tenetur Sacerdos habere motivum rationa- „ bile, quod pœnitens ſit verè contritus: atqui non poteſt illud habere, niſi „ probet pœnitentem per dilationem abſolutionis. Ergo.

„ Reſpondeo negando minorem & dico illud motivum ſufficiens eſſe atte- „ ſtationem pœnitentis de ſeipſo id teſtantis, dum non patet contrarium, quia „ pœnitens in illo tribunali eſt actor & teſtis. Neque oportet ab eo exigere „ juramentum, aut aliam cautionem, niſi in caſibus à jure expreſſis, ut docet „ *Navarrus* capite 26. num. 2. *Antoninus* 3. part. tit. 14. c. 19. *Sylveſter* verbo *Con-* „ *feſſor*. Neque obeſt *Auguſtinus* ſermone 39. „

Hanc denique Quæſtionem Theologicam cum ſuis Aſſertionibus illis approbarunt Lovanienſes Doctores pauciſſimis abhinc annis.

CHRISTIANVS LVPVS S.T. Doctor Lovanienſis ille ipſe, qui nomine Facultatis Theologicæ hoc tempore de Aſſertionibus illis ipſis, ut de corruptelis Theologiæ moralis in Belgio expoſtulat apud S. Sedem, libellum univerſum cum ſuis aſſertionibus approbavit his verbis: „ libellus hic nihil continet Catholicæ Fidei aut conſuetis Eccleſiarum moribus adverſum, adeoque poterit „ imprimi. Dabam Lovanii die 2. Octobris 1675. “

IOANNES D'AVBERMONT S.T.D. Lovanienſis, unus ex illis quorum nomine hoc tempore expoſtulatur apud S. Sedem, libellum eumdem approbavit etiam ampliùs his verbis.

„ Infraſcriptus legi has Reſolutiones ad dubium, an & quando neganda ſit „ aut differenda Abſolutio pœnitenti, breves illas quidem, ſed claras, & meo

 judi-

„ judicio ſanæ doctrinæ communique Eccleſiæ praxi conformes , atque adeo „ quæ utiliter poſſint publici juris ac uſus per prælum fieri. Datum Lovanii 21. „ Septemb. 1675. "

ALBERTUS CLEINEN S.T.D. Lovanienſis libellum eumdem approbavit his verbis.

„ Tractatum hunc in quo breviter & ſuccinctè reſolvitur dub. an & quando „ neganda ſit, aut differenda Abſolutio pœnitenti à me infraſcripto diligenter „ perlectum prælo digniſſimum judico, tum quia nihil continet, quo minùs ſe- „ cundùm Sacros Canones, & conſuetudines Apoſtolicas imprimi poſſit, tum „ etiam quia brevem & claram methodum tradit, quam omnes Confeſſarii in „ remittendis & retinendis peccatis tutò practicare poſſint. Datum Lovanii „ 29. Septembris 1675. "

CAPUT XXIV.

De Satisfactione.

PROPOSITIO UNICA. In urbe & orbe receptum eſt, ne cuiquam denegetur abſolutio eo ſolo, quod non velit acceptare pœnitentiam injunctam.

PRIMO. Operæ pretium eſt viſum his Doctoribus repræſentare S. Sedi hanc propoſitionem, quæ tot annis ad verbum extitit in celebri ſumma *Martini Navarri* cap. 26. n. 20. Locus integer hic eſt. „ Ex his poteſt ſatis fieri deciſioni „ quæſtionis ſuprà tactæ & huc remiſſæ. An pœnitens de præcepto teneatur „ acceptare pœnitentiam juſtam à Confeſſario præſcriptam ? in qua placet „ ſententia ſubtilis Doctoris *Scoti*, quem ſequitur *Gabriel & Medina* diſertè tra- „ ctans eam, ſcilicet, quod ſufficit pœnitenti habere propoſitum ſatisfaciendi „ Deo hic, vel in purgatorio. Quibus conſonat *Hoſtien. & Panor.* niſi quatenùs „ tenent teneri ad acceptandam aliquantulam, & ſaltem unum *pater noſter*, qui- „ bus nullus canoniſta, quod ſciam, contradixit. Sed de veritate hujus limita- „ tionis inutile prorſus duco diſputare : cum nemo ſit tam ſaxeus pœnitens, „ qui bonâ fide confiteatur, & nolit vel tantillam pœnitentiam acceptare. Pro „ Pro qua Scoti ſententiâ, & contra eam multa hic in loco in Manuali Hiſpano „ adduxi, quæ conſultò omitto, eò quod videam *in urbe & in orbe receptum*, *ne* „ *cuiquam denegetur abſolutio eo ſolo, quod nolit acceptare pœnitentiam ſibi injunctam*, „ modo habeat propoſitum verum planè ſatisfaciendi Deo vivens per bona „ opera & indulgentias, vel mortuus in purgatorio cruciatu horrendo. „

SECUNDO.

SECVNDO. Receptum id eſſe in urbe & orbe putavit *Navarrus*. de hoc ipſe viderit. minùs gravatè ipſi Lector aſſentietur, eam fuiſſe ſententiam Doctoris ſubtilis in 4.diſt.15.q.1.n.19. item diſt.17.q.un.n.22. & diſt. 19. q. un. n. 27. His enim ferè locis id docuiſſe vulgò putatur. Sed & reliqua auctoritas, quam *Navarrus* inſinuat, ſimulque *Sylveſter V. Confeßio* q.25. *Armilla V. Confeßio* §. 29. aliique, illud nomen ſententiæ fecerunt, ut minimè fuerit neceſſe de ea doceri S. Sedem à Lovanienſibus Doctoribus.

TERTIO. Sententiam eamdem repræſentari S. Sedi, ut corruptelam Theologiæ moralis in Belgio, permirum eſt. Conſtat illam diſplicere in Belgio Theologis communiſſimè, uſque adeo, ut ne quidem patiantur illam adſcribi *Scoto*. Certè illuſtriſſimus *Guil. Herinx* Iprenſium Epiſcopus diſp. 4. de pœnit. q.2.& *Ioannes Boſco* d.7.ſec.13.concl.9.ambo Scriptores Belgæ ac diſcipuli ſubtilis *Scoti*, Magiſtrum ſuum vindicare conantur à doctrina illa, idque ex profeſſo & operosè. Poſtulamus nominari Theologos in Belgio doctrinæ patronos. Non invenerunt. non enim alioqui *Navarrum* inquietaſſent.

QVARTO. Non angit hos Doctores illa doctrina; hoc dolent, non omnes in Belgio Confeſſarios perinde propendere in rigorem antiquorum canonum pœnitentialium. Non ſunt orta *ſcandala* in Belgio ex doctrinâ illâ *Navarri*, quæ nullius apud nos eſt nominis: orta ſunt non pauca ex imprudentia variorum Sacerdotum qui Lovanienſes Doctores habuere Magiſtros, atque in imponendis pœnitentiis Sacramentalibus majorem rationem habuerunt pœnæ & afflictionis, quàm medicinæ, & infirmitatis humanæ.

Atque hæ ſunt Propoſitiones illæ omnes, quas accepimus repræſentatas S. Sedi hoc tempore à Lovanienſibus Doctoribus, ut corruptelas Theologiæ Moralis in Belgio. Hæc ſunt iidem, quæ habebamus adnotanda ad ſingulas. De Adnotationibus noſtris pariter & de Propoſitionibus & fide ipsâ bonâ, malave, quâ hæ ſunt concinnatæ aut fabricatæ, judicium ſit ſapientium Lectorum; ſed imprimis Apoſtolicæ Sedis, cui informandæ ſtuduimus.

CAPVT XXV.

Origo univerſæ corruptelæ Theologiæ moralis judicio *Gummari Huygens* S.T.D.

GVMMARVM HVYGENS S.T.D. cum nominari audis, Lector, ſic accipere te oportet, acſi nominati eſſent multi & Doctores & Academici Lovanienſes omnis generis: multorum inſtar ille habet quod ille profert, certum habet plauſum Lovanii apud ſummos, infimoſque: vide quæ dedimus in 2.p.*Specim*.cap.5.in princ.

Porrò Doctor ille Lovanii Theſibus in Collegio *Adriani VI.* propugnatis die 30. Julii 1676. junctum dedit hoc *Impertinens.*

Nova doctrina de gratia ſufficiente, quæ omnibus & ſemper praſto ſit, pro rebus agendis comparavit intellectui probabilitates, voluntati excuſationes varias, Deum & proximum amandi : & pro iis quæ malè acta ſunt, ſummam pœnitentiæ facilitatem. Non mirum proinde, quod hæc omnia, quæ ſunt totius Moralis corruptio, paſſim ab eiſdem ſuſtineantur.

Aliquid examinis meretur hoc *Impertinens*, quia propugnatum in Pontificio Collegio *Adriani VI.* cui præerat FRANCISCVS VAN VIANEN S. T. Doctor, & ipſe Canon quidam cogitationum & lucubrationum *GVMMARI HVIGENS*, magnâ approbatione acceptum fuit in Academiâ Lovanienſi.

PRIMO. Ecquam cenſet Lector eſſe illam *Novam doctrinam de gratiâ ſufficiente, quæ omnibus & ſemper praſto ſit?* Si per illam gratiam, *quæ omnibus & ſemper praſto ſit*, eam intelligat, quæ omnibus & ſemper detur, vel data ſit ad actum quemvis, fatendum eſt, hanc eſſe novam doctrinam *de gratiâ ſufficiente*; ſi tamen alicujus Theologi doctrina ſit : nam in Belgio quidem eſt inaudita : putamus neque alibi auditam eſſe : nominetur Auctor Doctrinæ : certè quidem *Franc. Carolus Raymakers* non eſt hujus doctrinæ Auctor : vide Lector quæ adnotavimus in hac 4. parte cap. 21. §. 1. ad propoſ. 3. Sed neque intelligimus, quomodo doctrina illa pareret intellectui probabilitates, aut voluntati excuſationes : imo verò excuſationes omnes illa præcideret.

Si per illam gratiam, *quæ omnibus & ſemper praſto ſit*, eam intelligat, quæ omnibus & ſemper parata ſit; ſed danda in tempore opportuno juxta communiſſimam Theologorum ſententiam, quam expoſuimus loco citato, temerè vocatur *nova* illa doctrina ; neque itidem apparet cur dicatur, comparaſſe intellectui probabilitates &c.

Sed verò ut intelligat Lector, quam *Gummarus* appellarit *novam doctrinam de Gratiâ ſufficiente*, memor ſit ex dictis in 1. p. *ſpecim.* cap. 1. & 2. hos Doctores nullam agnoſcere gratiam propriè ſufficientem, & de impoſſibilitate præceptorum, & reſiſtentia, quæ fiat gratiæ divinæ, ea ipſa ſentire, quæ ſenſit *Cornelius Ianſenius*, ut oſtendimus locis citatis. Quia verò ipſorum Adverſarii acquieſcentes Pontificum decretis condemnantium Quinque Propoſitiones in ſenſu intento à *Corn. Ianſenio*, neceſſarium ſibi putant aſſerere, quod urgente præcepto ita, ut peccaretur formaliter illud non implendo, ſemper adſit gratia vel auxilium ſufficiens ſaltem remotè, quod bono uſu promptum ſit reddi proxime ſufficiens ad implendum præceptum, & illâ gratiâ vel auxilio deficiente, non peccandum eſſe formaliter, præceptum ipſum non implendo ; quia præceptum eo caſu eſſet impoſſibile : hanc reipſa doctrinam hi noſtri vocare gaudent *novam doctrinam de gratia ſufficiente, quæ omnibus, & ſemper praſtò* ſit, ut imperitis perſuadeant, eſſe hoc tempore, qui doceant gratiam ſufficientem ad actus quoſlibet, momento quolibet paratam, datamque eſſe. Illam

Illam ergò doctrinam de Gratiâ vel Auxilio ſufficiente, quæ ſemper præſto eſt, quando peccaretur formaliter non implendo præceptum, cenſet *Gummarus Huyghens* S.T.D. *Comparaſſe intellectui probabilitates, voluntati excuſationes varias, Deum & proximum amandi: & pro iis quæ malè acta ſunt, ſummam Pœnitentiæ facilitatem ...... quæ ſunt totius Moralis corruptio.* Quid rationis, quid conſequentiæ, quid nervi ſit in hac Aſſertione *Impertinenti*, diſpiciat ſapiens Lector, poſtquam aciem omnem ingenii intenderit.

Scimus, quas excuſationes comparet voluntati humanæ, antiqua & vera doctrinâ de gratia ſufficiente, & quàm moleſtas his Doctoribus. Comparat excuſationem ne peccaſſe formaliter cenſeamur non implendo præceptum, quod illi dicunt, ſi rem ipſam ſpectes, nos abſolutè implere non poſſe etiam Juſtos. 2. Ne nobis, imputetur ad culpam, quod neceſſariò facimus. 3. Ne nobis dicatur voluntarium peccatum, de cujus malitia ne ſuſpicando quidem, aut dubitando umquam venit in mentem; aut ne ad culpam nobis imputetur perſonale peccatum, quod voluntarium non eſt, niſi Voluntate *Adami* in quo peccavimus. Hæ, ſi verum quærimus, excuſationes illæ ſunt, his Doctoribus exoſæ, quas voluntati humanæ comparat nova doctrina, ut appellat *GUMMARUS*, reipsâ verò antiqua, vera, Auguſtiniana, Romana, de gratia ſufficiente.

Vide etiam, Lector, quam doctrinam appellarit Doctor *totius Moralis Theologiæ corruptionem.* Primùm quidem doctrinam de licito uſu ſententiæ probabilis; quæ *Gummaro* in illis Theſibus, quas tractavimus in 4.p.*Specim.*cap.2.§.2. diſplicet; ſed reſtrictè ad materiam juris naturæ, in quâ ſcilicet nulla ignorantia excuſat à peccato, quia voluntarium non requiritur niſi repetitum à voluntate *Adami.* 2. Doctrinam Bajanæ, & damnatæ à tribus Pontificibus contrariam, quâ negant obſequentes Romanis ſanctionibus, peccari in omni eâ actione, quæ non refertur in Deum per caritatem Theologicam &c. Hæc illa ſunt totius Moralis Theologiæ corruptio, judicio *Gummari Huyghens* S.T.D. quâ hæc ille omnia modeſtiâ, quâ etiam religione erga Apoſtolicas Conſtitutiones, ſtatuant ſapientes.

Poſt hæc nobis ſe offert nova lucubratio *GUMMARI HUYGHENS*, cui titulus. *Conferentiæ Theologicæ* &c. ubi *conferentiâ* 20. quædam legimus, quæ magis etiam dilucidant *Impertinens*, de quo hactenus, ea ſcilicet ipſa quibus non obſcurè oſtendit, nullam ſe gratiam agnoſcere, niſi efficacem. Illâ enim conferentiâ 20. prop.4.pag.111. ſic interrogat, reſpondetque.

Quid igitur populus docendus de gratia? Reſp. Docendus eſt quod gratia ſit auxilium ſupernaturale, faciens nos cognoſcere, velle & oprari actiones ſalutares & Deo gratas.

Hæc quidem, ut videtur, eſt definitio gratiæ efficacis: nullam igitur præter hanc agnoſcit; cum de gratiâ in genere procedat interrogatio. Definitionem hanc gratiæ in genere ſic mox explicat pag. 112.

Prior

Prior pars poteſt explicari hoc modo: illuminans intellectum, ut modo quodam eminentiori & natura vires ſuperante cognoſcat amabilitatem Dei, æquitatem præceptorum illius, & peccatorum, ut ſunt Dei offenſæ, iniquitatem.

Altera conformiter explicabitur hoc modo: faciens, ut Deus & mandatorum illius æquitas nobis placeant: atque ita peccatorum iniquitas (quatenus contra Deum eſt) diſpliceat; & præterea faciens, ut quia Deo reipsâ placet, in præceptis ejus ambulemus, & judicia ejus cuſtodiamus & operemur.

Habes hic, Lector, explicatam definitionem gratiæ in genere. Vide an gratiæ conveniat, præterquam efficaci.

Difficile eſt in hoc loco præterire quamdam farraginem calumniarum, quæ nobis ſe offert in eodem libello *Conferentia* 22. Prop. 3. pag. 124. Hæreſes omnes antiquas de gratia, imò ne antiquas quidem, fingit hoc tempore vigere ad invidiam Theologorum, qui gratiam agnoſcunt ſufficientem. Sic interrogat, & reſpondet.

Qui errores ſolent populo occurrere circa dictam de gratiâ doctrinam? Reſp. Primò: non ſine errore putant multi, quod gratia ſit ille concurſus generalis, quo Deus conſervat nobis eſſe noſtrum, & influit generaliter in omnes actiones. De hoc dictum ſupra. Secundò, putant nonnulli eam non dari per merita Chriſti. Tertiò, aliqui exiſtimant quod gratia detur ex operibus, ſcilicet præſtitis per ſolas naturæ vires. Quartò, autumant quidam gratiam illam non eſſe neceſſariam ſaltem ad orandum. Quintò, putant alii quod gratia tantùm det facilitatem ad benè operandum. Sextò, arbitrantur alii, quod gratia det tantùm poſſibilitatem boni operis non autem ipſum opus. Septimò, putant omnibus dari gratiam eo modo, quo Semipelagiani, juxta illud Proſperi: Gratia quâ Chriſti populus ſumus, hoc cohibetur limite vobiſcum, & formam hanc adſcribitis illi, ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum præteriens ſtudeat communem adferre ſalutem omnibus &c. Octavò, putant quipiam quod gratia tollat libertatem liberi arbitrii. Nonò, opinantur alii, quod Deus ſit acceptor perſonarum aliquibus gratiam dando, aliquibus in pari cauſa illam denegando. Decimò putatur à nonnullis quod deſtituti gratiâ erunt excuſati, ſi peccent; alioquin agerentur in deſperationem. Vndecimò exiſtimant quidam inutiles futuras correptiones & exhortationes. Duodecimò; opinio quorumdam eſt, quod homines pro divina gratia nec orare nec laborare debeant.

Vide Lector, hæreſim multiplicem hoc tempore *populo occurrentem circa doctrinam de gratia.* Quinam verò illi ſunt rei hæreſis tam multiplicis? non dubium, quin illi, qui tenent *novam* (judicio *GVMMARI HVYGHENS.*) *Doctrinam de gratia ſufficiente*; unde exiſtit hoc tempore *totius Moralis Theologiæ corruptio.* Sic ille populo perſuaſum voluit.

CAPVT XXVI.

An doctrina de gratia ſufficiente *comparaverit intellectui probabilitates & voluntati excuſationes* illas quas damnavit *Clemens* Papa IX. in Bulla *Rom. Pontifex* data Romæ die 13. Septembris 1669.

QUia longum eſſet deſcribere Bullam Pontificiam, hujus contentum compendio revocabimus ad pauca puncta, ex quibus intelligentur *probabilitates* illæ Lovanienſes & *excuſationes* à Rom. Pontifice damnatæ.

PRIMO. Docet Pontifex muneris ſui rationem poſtulare, ut perſonas magnis à Sede Apoſt. privilegiis auctas, *ad debita obſervantiæ, devotionis, & obedientiæ tramitem revocet*, quando eas *privilegiorum, & gratiarum hujuſmodi prætextu, à juris atque Iuſtitiæ & æquitatis orbita deflectere, nec paternis licet crebriſque adhortationibus clementer admonitas, in viam reverti conſpicit.*

SECVNDO. Queritur Pontifex quod *dilecti filii Rectores ac Magiſtri Doctores, & Scholares & Vniverſitatis ſtudii generalis Oppidi Lovanienſis . . . . . privilegiis, gratiis & indultis* ſibi conceſſis à Rom. Pontificibus *abutantur, circa nominationes ad beneficia Eccleſiaſtica. . . . nec non circa exercitium juriſdictionis* Conſervatoribus Privilegiorum à S. Sede attributæ: *Quippe qui ad beneficia Eccleſiaſtica valorem annuum centum ducatorum auri de Camerâ excedentia, nominare, ac nominationes hujuſmodi Sedibus . . . . Collatorum ordinariorum vacantibus facere, & plura beneficia incompatibilia eiſdem perſonis conferre, ceu eas ad illa nominare; quin imo beneficia Eccleſiaſtica, de quibus per coadjutorias cum futurâ ſucceſſione ad hac S. Sede proviſum fuerat, conferre pariter, ſeu ad illa nominare, alioſque ſimiles exceſſus privilegiorum . . . . diſpoſitioni planè contrarias committere . . . . præſumpſerint: tametſi nihil horum eis ex privilegiorum . . . . tenore permiſſum ſit; ſed hac omnia nulla pœnitus, invalida, & attentata exiſtant.*

TERTIO. Sic pergit Pontifex: *Et, quod Sedis Apoſtolicæ dignitatem, auctoritatemque magis lædit, citationes, inhibitiones, Monitiones, Mandata, ſententias & decreta, ac incurſus Excommunicationis, aliarumque cenſurarum declarationes etiam aggravatorias & reaggravatorias, in eos propter exceſſus hujuſmodi . . . . à Sacri Palatii Auditorio legitimè emanatas . . . . de facto caſſare, & annullare, ac tam proviſos à Sede prædicta, quàm capitula Eccleſiarum, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas S. Sedi devotas ac ipſius Sedis . . . . . mandatis, ut par eſt, obſequentes, arreſtis, ſequeſtrationibus . . . . . perturbare, & inquietare auſi fuerunt, & in præſens audent.*

QVARTO. Exponit Pontifex *omnes à ſe ſuaviores, benignioreſque vias eſſe tentatas, operamque ſedulò datam, tùm paternis admonitionibus, tum perſonarum doctrinâ & morum gravitate ſpectabilium .... inſinuationibus, injectâ quoque aliquâ ſpe novarum gratiarum, ac etiam juſtæ indignationis ſuæ timore ſuaviter ſuggeſto, ut res omnis coram ..... dictæ Sedis in Belgicis ditionibus Internuntio, in id quod æquum eſt, redigeretur. Verùm,* inquit, *hæc omnia incaſſum ceciderunt.*

QVINTO. Tandem verò Pontifex, *Hinc licet*, inquit, *ex Sacrorum Canonum præſcripto, privilegia amittere meruiſſent ..... attamen Paternæ noſtræ Benignitatis memores, ac pœnitentiæ locum relinquere volentes &c.* Conſequitur ſuſpenſio Nominationum ad beneficia in ditione Leodienſi ſita.

Hic habes, Lector, compendio *probabilitates*, illas, & *excuſationes* Lovanienſium *Rectorum ac Magiſtrorum Doctorum, & Scholarium &c.* de quibus occaſione *Impertinentiæ* propoſiti à *Gummaro Huygens* S.T. D. quærebamus, an eas comparaſſet *Doctrina de gratiâ ſufficiente.* Dubitari non poteſt, lectâ bullâ *Clementis IX.* quin doctrina quâ nixi commiſerunt illos exceſſus, fuerit quædam *corruptio Moralis Theologiæ*: atqui, ſi credimus illi Doctori, ex *Novâ Doctrina de gratia ſufficienti* promanat *totius Moralis Theologiæ corruptio.* Quia tamen his *Rectoribus ac Magiſtris Doctoribus & Scholaribus* &c. vulgò non placet doctrina illa de gratiâ ſufficiente, oportet aliam quamdam eſſe doctrinam, ex quâ manavit illa *Moralis Theologiæ corruptio.* Quænam illa eſſe queat, non habemus tam promptum ſtatuere ac ille Doctor de cauſa *corruptionis totius Theologiæ Moralis.*

CAPUT XXVII.

Inquiritur unde extiterint Annis ſuperioribus in Belgio contentiones, perturbationes, ſcandala, obſcuratio Chriſtianæ doctrinæ & cetera, de quibus conqueruntur Lovanienſes Doctores in libellis ſupplicibus.

Aliquantò altiùs repetendæ ſunt hiſtoriæ, eædemque indigitandæ magis, quàm evolvendæ.

Circa annum 1561. incruduerunt præcipuè *contentiones* inter Theologos in Belgio, *non ſine acerbitate, & vehementiori motu, perturbationes, ſcandala, obſcuratio Chriſtianæ doctrinæ &c.* ſed quibus Auctoribus? *MICHAELE BAIO & IOANNE HESSELIO* S. T. Doctoribus Lovanienſibus. De his legi poteſt Hiſtoria Conc. Trid. l. 15. c. 7. ubi Emin. Card. Pallavicinus graphicè deſcribit, quas illi curas, metuſque objecerint Patribus Concilii Tridentini, & ſummo

ſummo Pontifici: refert quoque argumentum Epiſtolæ ab Apoſtolico Nuncio *Commendone* ſcriptæ ad Cardinalem Mantuanum, deliberante, an expediret ambos evocari ad Tridentinum Concilium, *quo, niſi evocarentur, neceſſarium fore illos reprimere aliquâ ſeveritate, quod ſi fieret timeri poſſe de ipſorum Apoſtaſia, quæ eſſet conjungenda cum grandi ruina ſpirituali illarum provinciarum. Subiunxit Nuncius nolle ſe facere prognoſticon tam infauſtum de talibus perſonis, ſed tempore peſtis quamlibet infirmitatem facilè in peſtem converti; ſcire ſe RVARDVM Scriptis Theologicis celebrem, cum in illâ Academiâ docens detegeret in prædictis duobus adhuc juvenibus infauſtam conjunctionem ingenii atque audaciæ, reprehendendo illos ſolitum dicere, non exſpectare ſe ab illis aliud, NISI SCHISMA.* Hæc habet hiſtoria Concilii Trid. & multò plura de tempeſtate illa, quæ denique magno molimine ſedata utcumque eſt.

Anno 1587. Turbata rurſus pax eſt Lovanii, quando Doctores quidam Theologicæ Facultatis exarſerunt contra varias doctrinas Profeſſorum Societatis, & contrà eas celebrem ediderunt cenſuram.

Eodem Anno concluſit Univerſitas. *Quærendos eſſe Patronos opportunos; videlicet Reverendiſſimos & Illuſtriſſimos Archiepiſcopos Cameracenſem & Mechlinienſem, D. IOANNEM BAPT. DE TAXIS, atque aliquem vel aliquos mittendos Bruxellas, qui negotia Vniverſitatis apud ſuam Sanctitatem, & Regiam Majeſtatem ſolicitanda præparent.* Ita Acta Univerſitatis dicto Anno 1587.

Ut verò creſceret Auctoritas Cenſuræ, & præparatio ad ſolicitanda negotia apud ſuam Sanctitatem, ſolicitarunt Doctores eodem Anno Epiſcopos Belgii, Abbates, Capitula &c. & permultos induxerunt, ut Cenſuræ ſubſcriberent. Inquieta ingenia illorum Doctorum geminâ epiſtolâ illo tempore deteſtatus eſt *Ioannes à Streyen* Epiſcopus Middelburgenſis, alterâ ad Archiepiſcopum Mechlinienſem, alterâ ad Epiſcopum Ruræmondanum: hæc data eſt 4. Decemb. Anno 1587. ex qua delibamus hæc pauca.

Cenſuram ego non planè veneror, quæ quo affectu fabricata ſit, Deus, & qui illius in terris Vicarius eſt, viderit.... Mirum eſt, Cenſores poſt receſſum ex hâc Academiâ Reverendiſſim. Epiſcoporum Iprenſis & Leowardienſis voluiſſe deſerere eruditionem, quam noſtris auribus noſtro tempore hauſimus.... Miror quid GRAVIO in mentem venerit, ut cenſuram ſuam ubique Epiſcopis obtrudat, & obſignationem extorqueat: quam ſi feciſti, non Patrum, ſed tuâ causâ doleo.

Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Middelburgenſis ad Archiepiſcopum Mechlinienſem data eſt 19. Feb. anno 1588. ex quâ delibamus hæc.

Narrat S. LVCAS de Beræenſibus, quod Scripturas ſcrutarentur &c. hoc exemplum me ſecutum eſſe in legenda cenſura & illam perſcrutando & conferendo cum doctrina quam ante Novatores MICHAELEM BAIVM & IOANNEM À LOVANIO me in eâdem Scholâ Lovanienſi Doctores antiquiores docuerunt, ſi uſus aliquandò poſtularit, commonſtrabo.

Poſt hæc ſubdit dictum notabile atque hoc etiam tempore valde notandum. Sic enim ſcribit. *Poſt mortem meorum præceptorum RVARDI TAPPERI & IVDOCI TILETANI & ſeceſſum ex hac Academia ad Epiſcopalem reſidentiam MARTINI RITHOVII Iprenſis & CVNERI Leowardienſis Antiſtitum, ut Africa ſemper aliquid monſtri, ita hæc Facultas nova doctrina aliquid gignit; adeo ut liberas opiniones affligat prætextu ficta Hæreſeos. Horum autem MICHAELIS BAII, & IOANNIS à Lovanio (ſeu Heſſelii) diſcipuli ſunt, quicumque nunc temporis Lovanii, & in recentiore Vniverſitate Duacenſi, Theologi nominantur.* Atque hæc ex Epiſtolis duabus Rev. *Ioan. à Stryen* Epiſcopi Middelburgenſis.

Hos denique motus compeſcuit auctoritate *Sixti* V. Apoſtolicus Nuntius *Octavius* Calatinus Epiſcopus Anno 1588. die 10. Julii Lovanii edito Mandato Apoſtolico, quo ſententias à Cenſoribus condemnatas vetuit ullâ cenſurâ notari, idque ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ:

Anno 1640. prodiit in lucem *Auguſtinus Cornelii Janſenii* Iprenſis Epiſcopi & S.T. Doctoris Lovanienſis, diſcordiarum Theologicarum utcumque ſopitarum fax luculentiſſima, non ſolùm ob inſolentiam doctrinæ multiplicis pridem condemnatæ ab Eccleſiâ, ſed etiam ob libertatem non ferendam, quâ Theologos omnis generis peſſumdat Auctor, ut Pelagianis ac ſemi-Pelagianis conſentientes. De libro illo ſecutiſque turbis audiri placet Emin. Cardinalem *Pallavicinum* in hiſtoria Conc. Trid. lib. 15.c.7.

„ Hoc volumen per typos editum, ſparſumque poſt mortem *Janſenii* pro-„ ſcriptum eſt ab Apoſtolica Sede, cujus judicio auctor in ſuo teſtamento ibi-„ dem impreſſo ſubjecerat ſuas omnes ſententias, quamvis adderet, videri ſibi „ vix quidquam in illis mutari poſſe. Non tamen à Pontificio interdicto effe-„ ctum eſt, quin opus illud mirificos habuerit progreſſus, non ſolùm in Bel-„ gio, ſed in Gallia, atque etiam in Poloniâ: quod ideo accidit, quoniam plu-„ ribus in locis *Baii* doctrina ſopita potius fuerat, quàm extincta, tum ob effi-„ caciam copioſæ eruditionis, ſtylique artificioſi, tum quia accedebat ad Cal-„ vini errorem, quo regiones illæ conſperſæ ſunt; tum demum, quia hujuſmo-„ di doctrina, auferens reipſa homini in hoc ſtatu libertatem non peccandi, „ obtentu humani arbitrii deprimendi, & cuncta Deo tribuendi, latratus con-„ ſcientiæ in ſinu ſceleſtorum ſopit, & criminum pudorem abſtergit, hoc eſt, „ duo illa ſupplicia, cæteroqui nec ſeparabilia nec tolerabilia, à quovis quan-„ tumvis fortunato obduratoque peccatore. "

Quid annis inde conſequentibus turbatum in Belgio fuerit à Doctoribus Academicis Lovan: in gratiam doctrinæ Janſenianæ, notius eſt, quàm ut explicari ſigillatim hic debeat. Tetigimus non pauca in 2. p. Speciminis cap. 1. §.1.2.3. ubi expoſuimus doctrinam Lovanienſium Academicorum de obſervantiâ debitâ Sedi Apoſt. ejuſque Conſtitutionibus factis ipſis comprobatam in Belgio & Romæ.

Anno

Anno 1641. prodiit in lucem illa *Iuſtificatio Cenſuræ* Lovanienſis Anni 1587. de qua ſupra, quam ut Romam mitterent manu-ſcriptam permiſerat Nuntius Apoſtolicus, Cenſuris graviter interdictis: prodiit eadem alteris excuſa typis Anno 1675. & quidem typis Lovanienſibus etſi frons libri mentiatur & civitatem Pariſienſem & Annum 1641.

Anno 1643. poſtquam nihil non egiſſent Lovanienſes Doctores ad perſuadendam bullam Urbani VIII. quâ condemnatus erat liber *Cornelii Ianſenii*, illam inſtituerunt legationem ad Apoſtolicam Sedem, quam expoſuimus in 2. p. *Specim*. §. 2. Quâs eâ legatio fabulas Sedi Apoſtolicæ injurioſas, & cruciandis rectè ſentientium animis idoneas pepererit in Belgio, explicuimus ibidem.

Anno 1648. Lovanienſes Doctores animum adjecerunt ſolemni Cenſurâ condemnandis Articulis ex Theologia Morali ad invidiam Theologorum, quos in cauſa Janſeniana ſenſerant adverſarios; atque defenſores Apoſtolicæ Sedis. Dicto ſcilicet Anno 1648. die 4. Junii ſolemniter condemnarunt articulos 34. qui ferè extabant in Auctoris Anonymi famoſo libello Gallico paucarum paginarum cui titulus *Theologie Morale des Ieſuites*; itidemque in alio quodam ſcripto Auctoris ſimiliter Anonymi, rurſumque cenſuris hiſce quæſita eſt Epiſcoporum auctoritas, quos jam cautiores non invenerunt tam faciles.

Anno 1649. die 8. Octobris ſolemniter condemnarunt alios duos Articulos, rurſumque Anno 1652. die 29. Martii alios duos: ita ut jam Articuli condemnati omnes eſſent 38. inde verò quis ſtrepitus ſit conſecutus & in Belgio & Romæ, accurate exponit, *Guilielmus le Maire in ſtatera Saülis Exregis* ſect. 3. c. 2.

Anno 1652. perſuaſum eſt Archiepiſcopo Mechlinienſi, ut cenſuras Articulorum 38. quibus poſtea alii Articuli quinque acceſſerunt, Romam mitteret confirmandas à S. Congregatione. Sed Romani Qualificatores non paucos ex illis Articulis pronuntiarunt immunes eſſe omni cenſurâ. Univerſè verò pronuntiavit S. Congregatio exhibenda eſſe loca Auctorum, unde eſſent excerpti; quòd erat difficilè, imò impoſſibile, ut vel ex iis conſtat quæ adnotavimus in 4. p. hujus *Specim*. ad non paucas Propoſitiones hoc tempore repræſentatas S. Sedi, quas ſumpſere hi Doctores ex illis articulis. Ibi ergo finem habuit illa turbatio.

Anno 1653. Archiepiſcopus Mechlinienſis, ut explicat ipſe in Epiſtola ad S. Congregationem data die 17. Julii 1654. eoſdem Articulos tranſmiſit Facultati Theologicæ Academiæ Lovan. *Maturiùs expendendos* ut tantummodò excerptis inde Aſſertionibus, quæ planè evidentis eſſent abſurditatis, dignâ eos cenſurâ perſtringeret, & ſi quas alias paris .... abſurditatis comperiſſet, illis excerptis adjiceret: prout factum eſt, partim 30. Martii, partim 26. Aprilis 1653. dum Aſſertiones numero ſeptemdecim judicavit *in praxi non tolerandas & aucto-*

ritate ſuperiorum meritò prohibendas. Scimus à quibus regeretur illo tempore optimus Archiepiſcopus. Factum verò tunc eſt, ut ex prioribus Articulis 38. ſolùm ſint aſſumpti 12. qui denique judicarentur *omninò evidentis abſurditatis.* His acceſſerunt quinque illi, qui priùs acceſſerant ad 38. ut jam omnes Articuli cenſurati eſſent 17. ferè commonſtrati à libellis infamibus, & publicâ ignominiâ notatis, quos Articulos ſi diligenter excutias, pleroſque comperias Auctoris eſſe nullius; ut de compluribus patuit ſuprà. Interea minimè erat obſcurum ad quorum Theologorum invidiam condemnati eſſent Articuli.

Anno 1657. die 4. Maji Doctores Lovanienſes ſolemni cenſurâ notarunt articulos morales 26. ad inſtantiam, ut præ ſe tulerunt, Epiſcopi Gandavenſis *Antonii Trieſt.* Interea cenſuræ ipſæ dicuntur non prodiiſſe palam, niſi poſt mortem Epiſcopi. Attamen datæ notantur aliquot diebus ante ejus mortem: res eſt obnoxia ſuſpicionibus. Ut ut ſit conſtat Epiſcopum Theologiæ imperitum ſuo conſilio non fuiſſe uſum in hoc genere negotiorum.

Anno 1666. Exarſit Lovanii Contentio de Attritione, quæ tenuit annos plures ſcriptis hinc & hine diſputationibus polemicis non paucis. Quis principium huic pugnæ dedit? CHRISTIANUS LUPUS S.T.D. Lovanienſis, qui Anno 1666. edidit *diſſertationem dogmaticam* de Contritione, & Attritione: in quâ eâ tradidit dogmata, quæ expoſuimus in 2. p. *Specim.* cap. 4. §. 2. 3. 4. 5. 8. 9. ſuam de Attritione doctrinam identidem appellans *Apoſtolicum Chriſtianitatis dogma, immobile Chriſtianæ Fidei fundamentum &c.* doctrinam verò communem de ſufficientia Attritionis ſine charitate Theologicâ, *Articulum profanum*, & alia non pauca de quibus loco cit. §. 1.

CHRISTIANO LUPO ſuccenturiatus mox eſt FRANCISCUS FARVACQUES S.T. Doctor Lovanienſis, eodem Anno 1666. editâ in lucem *Quæſtione quodlibeticâ de Attritione*: inde aliis aliiſque Scriptionibus ultro citroque certatum eſt.

Anno 1673. & 1674. præcipuè incruduit Lovanii, totoque Belgio contentio de Abſolutione differenda & neganda: quibus verò id Auctoribus? certum eſt pugnæ ſignum eſſe datum à Lovanienſibus Academicis, mittamus libellos ignobiliores. Anno 1673. ſuam *manuductionem ad pœnitentiam* Gallicè, Flandriceque edidit *Ioannes Roucourt* S.T. Licentiatus Lovanienſis magni inter ſuos nominis. Fuit hic prodromus quidam GUMMARO HUYGENS S.T Doctori Lovanienſi, qui Anno 1674. in lucem dedit ſuam METHODUM *remittendi & retinendi peccata*, ubi & novitate doctrinæ & libertate perſtringendi adverſarios ſuſcitavit ea prælia, quæ deinde ſpectavimus: videat ea Lector, quæ ex illa *Methodo* dedimus in 2. p. *Specim.* cap. 5. §. 1. 2. 3. 4. 5. & in 4. p. cap. 23. §. 2.

Finis non ſit, ſi colligantur cætera, quibus pacem ſcholaſticam turbarunt Doctores & Academici Lovanienſes. Inſpiciantur ſpecimina Modeſtiæ, quæ iden-

quæ identidem inſeruimus in 4. parte *Speciminis*, item liberrimæ Cenſuræ, quæ identidem ſe offerunt in 1. & 2. parte præcipuè. Fatendum eſt, non ſegniter, neque lentè identidem egiſſe partem Adverſariam, ſed vel laceſſitam atrociter, vel in iis quæſtionibus, in quibus agebatur Auctoritas Sedis Apoſtolicæ Conſtitutionum Apoſtolicarum contra quinque Propoſitiones *Cornelii Ianſenii*, & Articulos Bajanos, quas eludi tam apertâ fraude publicè privatimque inepta cavillatione *Quæſtionis facti*, nemo utcumque obſervans Apoſtolicæ Sedis, fideique amans orthodoxæ aſpicere queat ſine dolore.

Adnotemus denique non ſe purgaturos Rectores Lovanienſis Academiæ de ſocordia in comprimenda petulantia, & dicacitate Poëtarum in Collegio *SS. Trinitatis* ſibi ſubjecto. Vix ibi ſpectatur Comœdia, quin vel *Probabilitas* vel *Attritio* perſonata riſum moveat. Quid carminum prælo mandarint Anno 1677. variò ſpecimine oſtendimus in decurſu partis 4. Memorandum verò iſtud nominatim: Anno 1676. vel ſub annum iſtum prodiit ex Collegio illo Elegia typis impreſſa & toto ſparſa Lovanio: nullus erat latinè ſciens, qui non intelligeret conditam eſſe ad probrum Jeſuitarum, idque vel ex primis verſiculis, qui ſic habebant.

Gens eſt in terra, paucis vix prodiit annis,
Magnificum, ſi vis noſcere, nomen habet.
Naſcitur, & totum ſeſe diſpergit in orbem &c.

Conſtabat de Auctore Carminis Poëſios Magiſtro Academico in Collegio *SS. Trinitatis*: citatus fuit à Rectore Academiæ: negavit, forsaſſe & interpoſito juramento, de quo nobis non conſtat, ſed negavit ſuam intentionem fuiſſe carpendi illum Ordinem Religioſum: adire juſſus eſt, certè adivit Superiorem illorum Religioſorum, dixit ſe eſſe Auctorem illius Carminis, neque ſuam intentionem fuiſſe carpendi ipſos. Sic ille abivit.

Ex his omnibus ſtatuat ſapiens Lector, undè exſtiterint Annis ſuperioribus in Belgio *contentiones*, *perturbationes*, *ſcandala*, *obſcuratio Chriſtianæ Doctrinæ &c.* de quibus conqueruntur Lovanienſes Doctores in ſuis libellis ſupplicibus.

CA-

CAPUT XXVIII.

Artificium Lovanienſium Doctorum & Academicorum utendi favore & benignitate Sedis Apoſtolicæ ad commendationem doctrinæ ſuæ.

ANno 1660. Facultas Theologica Lovanienſis Epiſtolam ſcripſit ad Alexandrum VII. quâ profeſſa eſt ſe ſequi Doctrinam *SS. Auguſtini & Thomæ Aquinatis.* Ad hanc Epiſtolam Pontifex eodem Anno die 7. Auguſti, ita reſpondit, ut primò quidem hortaretur Facultatem ad abſolutam obedientiam Sedis Apoſtolicæ decretis poſthac exhibendam, atque ita *priſtinum decus exiſtimationi & laudi antiquæ ſuæ reſtituendum.* Poſtea verò hæc ſubjunxerat. *De reliquo non dubitamus, quin vos pro ſingulari ſcientiâ pietatiſque ſtudio, ſanam & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & SS Patrum Traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & adverſus Orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis; nec non præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum AVGVSTINI & THOMÆ AQVINATIS inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper; ut aſſeritis, ac impensè revereri velitis &c.*

Facultas Theologica priorem partem hujus Brevis Apoſtolici, ut parum ſibi honorificam ſupprimere conata eſt: poſteriorem verò ſic divulgavit, & tanto plauſu excepit indictâ ſolemnitate publicâ in Templo *S. Petri* ad quamdam gratiarum actionem ſolemniſſimam tamquam pro beneficio ſummo Univerſitati divinitus facto per *Alexandrum VII.* ut fama eſſet per Academiam Lovanienſem, tandem triumphare cauſam Janſenianam & Canonizatam eſſe ab Alexandro VII. doctrinam Lovanienſium Doctorum; quippe à doctrina *S. Auguſtini* nihil differentem. Evanuit hic plauſus poſtquam Breve integrum Leodii impreſſum Academicis oſtenſum eſt.

Sinceriùs gratulati ſibi ſunt nuper admodum acceptis litteris Pontificiis datis 13. Novembris 1677. quæ erant reſponſoriæ ad eas quibus illi profeſſi erant ſuum erga rectam ſanamque doctrinam zelum, ac paratum ad decreta S. Sedis, promptè & alacriter amplectenda ſtudium. Hæ litteræ prædicatæ fuerunt illicò ut approbatio quædam univerſæ doctrinæ Theologicæ horum Doctorum. Etenim in ipſo exordio litterarum appellatos eſſe *dilectos Filios* & in concluſione *unicè dilectos Filios*, pertinere dicebatur ad æſtimationem doctrinæ ipſorum. Tum verò dictos eſſe *veros imitatores Majorum ſuorum, qui eximiâ in S. Sedem obſervantiâ fideque conſtante præcipuum ſibi apud ſummos Pontifices exiſtimationis & benevolentiæ locum vindicarunt*, ſic accipiebatur, ut ſi ab omni ſuſpicione erroris

erroris abeſſe longiſſimè dicti eſſent, & ipſi & Majores ipſorum. Reliqua Epiſtolâ in eamdem partem rapiebatur. Quare & in Collegiis Academicis illicò promulgata eſt, & è ſuggeſtu declamata ad Eruditos, typiſque aliis, atque aliis toto Belgio diſſipata, & quidem vernaculo idiomate legenda à plebe, ut jam nemo dubitaret pleniſſimâ approbatione doctrinæ ſuæ potiri Doctores ad S. Sedem legatos, profligatis adverſariorum erroribus: hæc enim conſtat vulgi ſermonibus celebrata fuiſſe.

Anno 1644. *IOANNEM SINNICHIVM* S. T. Doctorem ab hac eâdem Theologica Facultate Lovanienſi Legatum ad Apoſtolicam Sedem Romanus Pontifex donaverat effigie ſuâ auro inſculptâ: conceſſerat etiam ſacras Indulgentias in mortis articulo profuturas: hæc verò rapuerunt hi Academici, rapiuntque uſque in hunc diem ad approbationem quamdam illius doctrinæ, ad quam vindicandam inſtituta erat legatio illa: non loquimur audita pridem: nuper admodùm, hoc eſt, menſe Novembri anni 1677. hæc ipſa jactantem Lovanii audivimus Academicum in actu quodam publico & celebri, pro Janſeniano quopiam dogmate decertantem. Adhæc perſuaſum hodieque eſt *Vrbanum VIII.* declaraſſe *Sinnichio* contra mentem & mandatum ſuum accidiſſe, ut in ſua Conſtitutione *in eminenti* exprimeretur nomen & liber *Cornelii Ianſenii*, neque aliud ſe voluiſſe, quàm confirmationem Bullæ *Pii V.* & *Gregorii XIII.* Similis huic, ſed perniciosior, fabula eſt, de *Alexandri VII.* Conſtitutione *ad ſacram* contra Quinque Propoſitiones, qui declaraverit *Chriſtiano Lupo* S.T. Doctori Lovanienſi præter vel contra mentem ſuam in Bullam irrepſiſſe mentionem *Cornelii Ianſenii*, in cujus ſenſu Propoſitiones declaratæ ſint hæreticæ. Auctor ſabulæ prædicatur *CHRISTIANVS* ipſe *LVPVS*, qui de hoc interrogari poteſt.

Quid plura? Occaſione præſentis legationis audire eſt jactantes hodie Lovanii, non poſſe Lovanienſibus Doctoribus malè cedere hanc negotiationem. Etenim fieri non poſſe, ut eorum doctrinam, quam propoſuere, damnet Apoſtolica Sedes: eamdem verò, ſi indemnis evaſerit, habendam jure merito pro tacitè approbatâ. Ad hæc approbandam ſaltem primam Propoſitionem de Generalibus Regulis morum. *Duo nobis innata ſunt vitia originalia Concupiſcentia, & naturalis legis ignorantia. Vti nulla concupiſcentia eſt inſuperabilis, ita nulla ejuſmodi ignorantia eſt invincibilis: quippe ſicut omnis illa per divina gratia auxilium, ita omnis hæc per ejuſmodi gratia lumen ſuperari poteſt*: hâc verò doctrinâ approbatâ, approbatum iri univerſam de gratia doctrinam Lovanienſium Doctorum. Quibus artificiis exſculpere parent hanc approbationem ex illa, non eſt difficile aſſequi ſagaci Lectori.

Quoniam verò poſt doctrinam de gratia præcipuè cordi habent Methodum *Gummari Huygens* S.T.D. de remittendis & retinendis peccatis, neque tamen uſpiam S. Sedi eam repræſentarunt, ut patebit conſideranti Propoſitiones re-

 cenſitas

cenſitas in 3. p. *Specim.* cap. 10. §. 1. ſpes illis ſupereſt aliquam propoſitionem ab ipſis reprobatam in materia illa reprobandam ab Apoſtolica Sede, unde conficere queant approbationem doctrinæ de differenda generaliter Abſolutione omnibus, qui laborant conſuetudine peccandi. Promptum iſtud habebunt, ſi reprobetur hæc, *Frequens Confeſſio & Communio etiam in iis qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis:* quo verò id artificio præſtituri videantur, explicuimus in hac 4. parte *Specim.* cap. 2. §. 1. n. 3. Etiam promptiùs id conficient quando reprobatam haberent hanc: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes non appareat, non eſt neganda, nec differenda Abſolutio dummodò ore proferat ſe dolere.* Fatendum eſt ex reprobatione Propoſitionis ineptè concludendum de approbatione doctrinæ Gummarianæ jubentis differri abſolutionem omni habenti conſuetudinem peccati, imo omni habenti peccatum mortale extra caſum pœnitentiæ miraculoſæ: Attamen utentes artificio, de quo hactenus, rapiendi favorem & benignitatem Sedis Apoſtolicæ ad approbationem Doctrinæ ſuæ, quid non concludent illi ad perſuaſionem, perturbationemque vulgi & imperitorum? hæc de artificio illo habebamus.

CAPUT XXIX.

Quam Eccleſiæ ſpem bonam faciat Legatio Lovanienſium Doctorum, ſpectato Capite ipſo Legationis.

LEgationis Caput appellamus S.T. Doctorem Lovanienſem inter Legatos maximè ſpectabilem, & in quo conſtat plurimum ſpei collocatum à ſuis, cujus & potentes amici Romani jactantur in Belgio, quaſi ad *S. Petri* Cathedram acceſſum habere queat humanæ amicitiæ reſpectus. Nos verò illi viro detrahemus nihil. Sed decet S. Sedem non ignorare quæ ille de doctrinâ ſuâ palam propoſuit Lovanii die 29. Auguſti 1641. Hæc ipſa illi excidiſſe interea credemus, cum palam conſtabit, reprobata ab illo eſſe, quæ approbata palam dedit id quod needum ſcire licuit. Sunt verò hæc verbis totidem, quæ habebat *Impertinens* ſubjunctum Theſibus ab illo palam Lovanii propugnatis dicto die 29. Auguſti 1641.

Reverendiſſimus *Cornelius Ianſenius* diſcipulum egit non ſolius *Auguſtini* Hipponenſis, ſed etiam *Gregorii* Ariminenſis. Nullam enim, aut certè vix ullam capitalem concluſionem ex *Auguſtino* elicuit *Ianſenius*, quam non ante in

in terminis (cujus honorifica ſubinde memoria nihil obfuiſſet) elicuerit *Gregorius*.

De Deo nolente ſalutem omnium. De ignorantia invincibili *de neceſsitate peccandi*. De univerſali ſublata liberi arbitrii bicorni indifferentia. De gratiæ ſufficientis, & peccatum originale diffundentis pacti vanitate. De adæquata diviſione voluntatis in pravam cupiditatem & ſanctam charitatem. De *præceptorum impoſsibili obſervantia*. De æterno igne parvulorum. *Liberum eſſe id quod cum volumus, facimus*: idque eâ voluntate, quæ præparatur à Domino. *Libero repugnare ſolam coactionem*. Peccatum quod ſimul pœna eſt, *non debere eſſe voluntarium, niſi in ſola origine &c.* Bubulus ergo ille quod Philotimo dixit, malè fortaſſis eos habet, quod unus homo non Eremita meliùs Auguſtinum intellexit, quàm ipſi omnes, providè ſomnianti dixit: quis enim emunctarum narium vigilans illi tantoperè imponenti credere voluiſſet?

Hæc ipſa Doctor ille celebris hoc tempore Legationis Caput, cui & conſtat in ſolemni actu ſui Magiſterii, cum S.T. Doctor Lovanii eſt inauguratus, faſtuoſo carmine acclamatum eſſe, ut novo *HERCVLI* ferenti ſubſidium *ATHLANTI CORNELIO IANSENIO* Iprenſi Antiſtiti. Carmen ipſum typis impreſſum apud nos eſt. Statuat ergo providus, atque orthodoxus, quam Eccleſiæ ſpem bonam faciat Legatio Lovanienſium Doctorum ſpectato capite ipſo Legationis.

FINIS QVARTÆ PARTIS.

MONITIO.

IN Quarta Parte Speciminis, cum non rarò occurrerent Propoſitiones, quondam damnatæ ſolemniter à Theol. Facultate Lovan. quæ Auctoris eſſent nullius, eas aliquoties inſinuavimus videri fabricatas ab ipſis Cenſoribus idoneè ad Cenſuram. Fortaſſe cuipiam hoc videri poſſit temerè affirmatum: oblatas enim eſſe illas Propoſitiones ad cenſuram ab Illuſt. Archiepiſcopo Mechlinienſi, & Epiſcopo Gandenſi illo tempore. Sed ſciat Lector, hos Præſules non fuiſſe Theologiæ multum peritos. Quare ad minimum incumbebat Lovanienſibus Cenſoribus inquirere, an Propoſitiones illæ eſſent alicujus Auctoris, ne caſſæ, & inutiles caderent cenſuræ, imò noxiæ non unâ de causâ. Hoc verò illis imprimis incumbebat circa Propoſitiones 17. quas anno 1653. damnarunt: has enim ipſi juſſu Archiepiſcopi proprio judicio ſelegerunt, ut explicatum ſuprà eſt. Huic ergo officio credimus illos non defuiſſe: ac proinde Propoſitiones illas, ſi non fabricaverint ipſi, comperiſſe fabricatas ab aliis fuiſſe idoneè ad cenſuram: factum ergo hoc probarunt cenſurâ ſuâ. Hoc ut minimum intelligat Lector inſinuatum ex mente noſtra, ſicubi inſinuamus fabricatas ab ipſis eſſe Propoſitiones. Quamquam & per ſe eſt valde veroſimile, Epiſcopis illis Propoſitiones eſſe ſuggeſtas ab his Doctoribus, quorum ferè conſilio utebantur in Theologicis.

ELEN-

ELENCHVS
PRIMÆ PARTIS.

OBSERVATIO PRÆAMBULA ad univerſam CORNELII JANSENII Doctrinam de gratia, libertate &c. pag. 1

CAP. I. Specimen Doctrinæ Theologicæ de impoſſibilitate præceptorum. 2

OBSERVAT. PRÆAMB. ad Primam Propoſitionem ex Quinque Janſenianis. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* ibid.

§. 1. *Aſſertiones negantium juſtis etiam hominibus gratiam ſufficientem ad implenda quædam præcepta.* 3

§. 2. *Aſſertiones generaliter negantium in ſtatu naturæ lapſæ gratiam ſufficientem ad implenda præcepta.* 8

§. 3. *Aſſertiones de impoſſibilitate præceptorum reſpectu Iudæorum, Peccatorum, & infidelium.* 12

§. 4. *Aſſertiones inſinuantes ſubtilem quamdam explicationem poſſibilitatis præceptorum Ianſenianam.* 15

CAP. II. Specimen Doctrinæ Theologicæ de reſiſtentia, quæ fit interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ. 18

OBSERVAT. PRÆAMB. ad Propoſitionem ſecundam ex Quinque Janſenianis *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.* ibid.

§. 1. *Aſſertiones negantium ſimpliciter gratiam ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ, quæ ſimul efficax non ſit.* 19

§. 2. *Aſſertiones non ſine acrimonia aſſerentium nullam eſſe gratiam in hoc ſtatu ſufficientem, quæ non ſit efficax.* 22

§. 3. *Aſſertiones continentes fucum quemdam gratiæ ſufficientis.* 23

§. 4. *Expoſitiones ſacræ Scripturæ pro gratia ſufficienti allegari ſolita.* 25

§. 5. *Aſſertiones ænigmaticæ, de reſiſtentia quæ fiat interiori gratiæ.* 26

CAP. III. Specimen Doctrinæ Theologicæ de libertate in ſtatu naturæ lapſæ. 30

OBSERVAT. PRÆAMB. ad Propoſitionem Tertiam ex Quinque Janſenianis. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.* ibid.

§. 1. *Aſſertiones rotundè negantium neceſſitatem officere libertati requiſitæ ad meritum, & demeritum.* 31

§. 2. *Aſſertiones explodentes quæſtionem de libertate, ejuſque concordiâ cum divinâ gratiâ, ut Philoſophicam.* 37

§. 3. *Aſſer-*

§. 3. *Aſſertiones negantium libertatem indifferentiæ, in ſtatu naturæ lapſæ.* 40

§. 4. *Aſſertiones affirmantium omnem actum voluntatis eſſe liberum.* 42

§. 5. *Aſſertiones plenam libertatem vindicantium amori beatifico, amori, quo Deus amat ſe ipſum &c.* 43

§. 6: *Aſſertiones continentes fucum cujuſdam libertatis indifferentiæ.* 48

CAP. IV. Specimen Doctrinæ Theologicæ de Hæreſi ſemi-Pelagianorum circa prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem. 52

OBSERVAT. PRÆAMB. Ad Propoſitionem quartam ex Quinque Janſenianis. *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceßitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* ibid.

§. *Vnicus. Aſſertiones referendæ ad Quartam Propoſitionem ex Quinque Ianſenianis.* 53

CAP. V. Specimen Doctrinæ Theologicæ de Morte CHRISTI pro omnibus. 54

OBSERVAT. PRÆAMB. Ad quintam Propoſitionem ex quinque Janſenianis. *Semi-Pelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* ibid.

§. 1. *Aſſertiones affirmantium CHRISTVM eſſe mortuum pro ſolis prædeſtinatis.* 55

§. 2. *Aſſertiones reſtringentium ad ſolos prædeſtinatos locutiones S. Scripturæ generalis de morte CHRISTI pro omnibus.* 56

§. 3. *Aſſertiones cenſuram impingentes communi Doctrinæ de morte* CHRISTI *pro omnibus, aut voluntate Dei ſalvandi omnes.* 58

§. 4. *Aſſertiones in ſpeciem, & fucatè affirmantium, Chriſtum non pro ſolis Prædeſtinatis eſſe mortuum.* 59

CAP. 6. Specimem Doctrinæ Theologicæ de peccatis ignorantiæ. 60

OBSERVATIO PRÆAMBULA ad Doctrinam Janſenianam de peccatis ignorantiæ. ibid.

§. 1. *Aſſertiones rotundè affirmantium ignorantiam invincibilem juris naturæ non excuſare à peccato.* 61

§. 2. *Aſſertiones inſinuantes artificium Ianſenianum conciliandi voluntarium peccatis Ignorantiæ invincibilis.* 65

§. 3. *Aſſertiones affirmantium præcisè nullam ignorantiam juris naturæ excuſare à peccato.* 67

§. 4. *Aſſertiones non ſolum facta ex ignorantia contra Legem naturæ, ſed ignorantiam ipſam juris naturæ peccati arguentes.* 68

CAP. VII. Specimen doctrinæ Theologicæ de ſtatu integritatis, & puræ naturæ. 70

OBSERVAT. PRÆAMB. Ad Propoſitionem Bajanam 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* ibid.

§. 1. *Aſſer-*

§. 1. *Aſſertiones affirmantium, debitam fuiſſe Naturæ humanæ gratiam, aut Iuſtitiam originalem.* 71
§. 2. *Aſſertiones affirmantium, merita Angelorum, Primi hominis ante lapſum non fuiſſe Dona, aut gratiam.* 73
§. 3. *Aſſertiones ſimpliciter affirmantium impoßibilitatem naturæ puræ, & miſeriarum hujus ſtatus ſine peccato.* 75

ELENCHVS

SECUNDÆ PARTIS.

Specimen Doctrinæ Theologicæ ex Academiâ Lovanienſi per Belgium manantis in materia Fidei, Spei, Caritatis, Pœnitentiæ, & Sacramenti Pœnitentiæ. pag 78
CAP. I. Specimen Doctrinæ Theologicæ in materia fidei. 79
§. 1. *Doctrina Lovanienſium Academicorum de obſervantiâ debitâ Conſtitutionibus Sedis Apoſtolicæ factis ipſis comprobata in Belgio.* 80
§. 2. *Doctrina Lovanienſium Academicorum de obſervantia debita Conſtitutionibus Sedis Apoſtolicæ factis ipſis comprobata Romæ.* SIVE *Legatio Lovanienſis Academiæ ad Sedem Apoſtolicam Anno* 1643. 1644. 86
§. 3. *Doctrina Lovanienſium Academicorum de obſervantiâ debitâ Sedi Apoſtolicæ in variis materiis, factu ipſis comprobata Lovanii.* 91
§. 4. *Doctrina Lovanienſium Academicorum de quodam commate, ſeu virgulâ diſiunctivâ in Bulla* Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. 96
ORIGO DOCTRINÆ. ibid.
PROGRESSIO DOCTRINÆ. 97
§. 5. *Doctrina affirmantium Eccleſiam, aut Pontificem Romanum errare poſſe in quæſtione de hæreſi alicujus Libri.* 103
§. 6. *Aſſertiones de infallibilitate ſummi Pontificis generatim, & regulis fidei.* 108
§. 7. *Aſſertiones affirmantium non poſſe dari actum Fidei ſinè Charitate.* 112
CAP. II. Specimen Doctrinæ Theologicæ in materiâ Spei. 113
OBSERVATIO PRÆAMBULA. Ad Canonem 31. Concilii Tridentini Seſſ. 6. *Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema ſit.* ibid.
§. *Vnicus. Aſſertiones affirmantium nullam eſſe ſpem ſin Caritate.* 116
CAP. III. Specimen Doctrinæ Theologicæ in materiâ Charitatis. 118
§. 1. *Aſſertiones affirmantium, omnem amorem noſtrum eſſe aut laudabilem caritatem, aut vitioſam cupiditatem.* ibid.
OBSERVATIO PRÆAMBULA. Ad propoſitionem Bajanam 38. *Omnis*

amor.

amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à IOANNE prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffusâ, Deus amatur. ibid.
§. 2. *Aſſertiones affirmantium obligationes perpetuæ & continuæ dilectionis Dei.* 122
OBSERVATIO PRÆAMBULA. Ad Propoſitionem Bajanam 16. *Non eſt vera legis obedientia quæ fit ſine charitate.* ibid.
§. 3. *Aſſertiones affirmantium obligationem dilectionis Dei continuæ ſuper omnia, ſaut perfectæ.* 125
§. 4. *Aſſertiones affirmantium omnia opera Infidelium eſſe peccata.* 126
OBSERVATIO PRÆAMBULA Ad Propoſitionem Bajanam 25. *Omnia opera Infidelium ſunt peccata. Et Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* ibid.
§. 5. *Aſſertiones negantium virtutem omnem formalem præter Charitatem.* 131
OBSERVATIO PRÆAMBVLA. ibid.
CAP. IV. Specimen Doctrinæ Theologicæ in materiâ pœnitentiæ. 135
OBSERVATIO PRÆAMBULA. Ad Doctrinam Concilii Trid. de contritione, & attritione. ibid.
§. 1. *Aſſertiones graviter reprobantium communiſſimam Doctrinam de ſufficientia attritionis ex metu gehennæ ad effectum Sacramenti.* 137
§. 2. *Aſſertiones affirmantium Attritionem ex timore gehennæ, aut ipſum gehennæ timorem, non eſſe donum Dei, aut Spiritus Sancti impulſum.* 140
§. 3. *Aſſertiones affirmantium Attritionem ex metu gehennæ eſſe peccatum, aut ſine peccato exerceri non poſſe.* 141
§. 4. *Aſſertiones Affirmantium Contritionem ex Dei amore ſuper omnia non habere vim juſtificandi ſine Sacramento.* 145
OBSERVATIO PRÆAMBULA. Ad Propoſitiones Bajanas 32. 33. *Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum.* ibid.
Catechumenus juſtè, rectè, & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per Charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi Lavacro demum percipitur. ibid.
§. 5. *Aſſertiones affirmantium ad effectum Sacramenti pœnitentiæ requiri dolorem ex benevolo Dei amore ſuper omnia.* 150
§. 6. *Aſſertiones affirmantium, non eſſe definitum in Concilio Tridentino, aliquam contritionem imperfectam ſufficere ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, aliterque faventium neceſſitati contritionis perfectæ in eodem Sacramento.* 152
§. 7. *Aſſertiones affirmantium, ad Sacramentum pœnitentiæ neceſſariam eſſe contritionem perfectam, & per ſe juſtificantem.* 154
§. 8. *Aſſertiones affirmantium, contritionem perfectam aliquando non juſtificare, & contritionem imperfectam aliquando juſtificare.* 156
§. 9. *Aſſertiones deſcribentium nobis contritionem perfectam ab uſu humano remotiſſimam*

mam ac difficillimam. 159

CAP. V. Specimen Doctrinæ Theologicæ in materiâ Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrandi & utendi. 160

§. 1. *Aſſertiones Affirmantium non licère Sacerdoti abſolvere peccatorem, niſi moraliter certò conſtet de eius converſione internâ ſeu diſpoſitione ſufficienti ad abſolutionem.* 161

§. 2. *Aſſertiones affirmantium, generaliter differendam eſſe abſolutionem peccatoribus conſuetudinariis extra mortis articulum, & caſus quoſdam rariſsimos, donec vitam notabili tempore emendaverint.* 164

§. 3. *Aſſertiones affirmantium, extra neceſsitatem, aut illa pœnitentiæ ſigna prorſus inuſitata, de quibus modò, numquam licere Sacerdoti abſolvere pœnitentem, niſi exuerit conſuetudinem peccandi.* 167

§. 4. *Aſſertiones affirmantium, ſemper differendam eſſe abſolutionem, ſi probabilis ſit timor, ne pœnitens relabatur, & alioqui irritam fore abſolutionem.* 169

§. 5. *Aſſertiones affirmantium, non fuiſſe rite converſos, aut diſpoſitos peccatores, qui poſt abſolutionem relapſi ſunt, aut non obſervarunt ea, quæ ad remedium præſcripſit ſacerdos.* 170

§. 6. *Aſſertiones affirmantium, non ſolum Conſuetudinario, ſed omni peccatori, qui peccatum mortale fecit, differendam eſſe abſolutionem, donec vitam notabili tempore emendaverit, ſi caſum excipias converſionis miraculoſæ, aut articulum mortis.* 172

§. 7. *Aſſertiones affirmantium, Satisfactionem abſolutioni præmittendam eſſe ex inſtitutione Chriſti, idque ita, ut irrita ſit abſolutio, ſi ſecus fiat.* 173

§. 8. *Aſſertiones vim juſtificandi aut remittendi pœnam æternam tribuentium ſatisfactionibus præviis ad abſolutionem.* 175

§. 9. *Aſſertiones Affirmantium, quod Eccleſia numquam approbaverit ritum illum, quo per Eccleſiam ipſam hodie adminiſtratur Sacramentum Pœnitentiæ, ſed toleret invita & coacta.* 177

§. 10. *Aſſertiones Statuentium obligationem perdifficilem iterandi Confeſſiones.* 180

§. 11. *Aſſertiones Improbantium uſitatam in Eccleſiâ praxim piorum hominum confitendi ſæpe peccata venialia; ita ut ſequatur Abſolutio.* 182

ELENCHVS

TERTIÆ PARTIS.

INTRODUCTIO in tertiam Partem Speciminis. pag. 185

§. 1. *De Methodo Servandâ in reliquis Partibus* Speciminis. ibid.

§. 2. *Libelli ſupplices quos Regiæ Majeſtati Catholicæ obtulerunt Lovanienſes Doctores Romam cogitantes.* 187

Synopſis commiſſionis M. Steyart, *ad Illuſtriſsimos Reverendiſsimos & Ampliſsimos*

mos

mos per Belgium Catholicum Ordinarios. 189

§. 3. *Iudicium* Ludovici Bail *S. T. Doctoris, de quorumdam ſtudio, & zelo reformandi Theologiam Moralem.* ibid.

§. 4. *De Epiſtola Apologetica MACARII HAVERMANS S. T. Profeſſoris ad* INNOCENTIVM XI. 190

PARS TERTIA, Specimen Doctrinæ Theologicæ ex Academia Lovanienſi per Belgium manantis in materia morum, ſuppletis defectibus Lovanienſium Doctorum S.Sedem informantium de ſua Doctrina. 192

CAP. I. Dilucidatur Doctrina circa generales Regulas Moralis Chriſtianæ, quæ paſſim traditur in Schola Lovanienſi. ibid.

§. 1. *Doctrina circa Regulas generales Moralis Chriſtianæ, quam ut paſſim traditam in ſchola Lovanienſi ſanctæ Sedi repræſentaſſe dicuntur Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Doctrina eadem de generalibus Regulis Moralis Chriſtianæ dilucidatur præcipuè ex* 1. *Parte hujus* Speciminis. 193

§. 3. *Doctrina iiſdem Propoſitionibus contenta dilucidatur ex Epiſtola Apologetica* Macarii Havermans *ad ſummum Pontificem* Innocentium XI. 196

CAP. II. Dilucidatur Doctrina Scholæ Lovanienſis De Virtute Caritatis Theologicæ. 200

§. 1. *Doctrina de Virtute Charitatis Theologicæ, quam ut Scholæ Lovanienſis S. Sedi repræſentaſſe dicuntur Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Doctrina eadem de virtute Caritatis Theologicæ dilucidatur ex* 2. *Parte* Speciminis. 201

§. 3. *Proponuntur ea, quibus defectum Doctorum Lovanienſium, informantium S. Sedem de ſua doctrina in materia Caritatis ſupplevit* Macarius Havermans *in Epiſtolâ Apologeticâ ad* Innocentium XI. 204

§. 4. *Proponitur notabile conſectarium ex Doctrinâ* Michaëlis Baii *de obligatione perpetuæ Caritatis, admiſſum à* Macario, *& ſupplemento futurum defectui Doctorum informantium S. Sedem de Doctrinâ ſuorum.* 206

§. 5. *Compendio exhibetur perplexa & plena timoris obligatio, quam prædicant hi noſtri Theologi.* 207

CAP. III. Dilucidatur doctrina ſcholæ Lovanienſis de virtutibus Fidei & Spei Theologicæ. 209

§. 1. *Doctrina de virtutibus Fidei, & Spei Theologicæ, quam ut ſchola Lovanienſis S. Sedi repræſentaſſe dicuntur Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Dilucidatio Doctrinæ.* 210

§. 3. *Supplentur ea, in quibus defecerunt Doctores Lovanienſes ſuæ ſcholæ doctrinam de Virtutibus Theologicis exponentes apud S.Sedem.* 211

CAP. IV. Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de Juramento, & mendacio. 214.

CAP. V. Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de homicidio. 215

CAP. VI.

CAP. VI. Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de Injuſtitia, Simonia & Luxuria. ibid.
CAP. VII. Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de cultu B. Virginis MARIÆ, & Sanctorum. 216
CAP. VIII. Dilucidatur doctrina de frequenti Confeſſione etiam peccatorum venialium, quam ut paſſim traditam in Scholâ Lovanienſi obtuliſſe dicuntur, S. Sedi Doctores Lovanienſes. 220
CAP. IX. Dilucidatur doctrina Lovanienſium de Contritione. 221
§. 1. *Doctrina de Contritione, quam ut paſſim traditam in Schola Lovanienſi obtuliſſe dicuntur Sanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.* ibid.
§. 2. *Doctrina eadem de Contritione dilucidatur ex 2 parte* Speciminis. ibid.
§. 3. *Supplentur ea, in quibus defecerunt Doctores exponentes S. Sedi Lovanienſium Doctrinam de Contritione.* 223
§. 4. *Doctrinam Lovanienſium de caritate requiſita ad Sacramentum Pœnitentiæ dilucidare conatur*, Macarius Havermans *in* Epiſtola Apologetica *ad* Innocentium XI. 224
§. 5. *Doctrina Lovanienſium tendens ad neceſſitatem Contritionis perfectæ in Sacramento pœnitentiæ dilucidatur ex eâdem* Epiſtolâ Apologeticâ *ad* Innocentium XI. 226
CAP. X. Dilucidatur doctrina Lovanienſium de differendâ abſolutione. 228
§. 1. *Doctrina de differenda abſolutione, quam ut paſſim traditam in Scholâ Lovanienſi, obtuliſſe dicuntur S. Sedi Doctores Lovanienſes.* ibid.
§. 2. *Dilucidatur Doctrina de differendâ abſolutione ſupplendo defectus Doctorum eamdem mutilè proponentium.* 229
§. 3. *Paucis exemplis dilucidatur Propoſitio* 8. *quatenus eâ aſſeritur quaſdam dilationes abſolutionis eſſe pernicioſas.* 232
CAP. XI. Dilucidatur Doctrina Lovanienſium de injungendis pœnitentiis à Confeſſariis. 233
§. 1. *Doctrina de injungendis pœnitentiis, quam, ut paſſim traditam in Scholâ Lovanienſium, obtuliſſe dicuntur S. Sedi Doctores Lovanienſes.* ibid.
§. 2. *Dilucidantur hæ Propoſitiones.* 234
§. 3. *Oſtenditur, quod Doctrina horum Theologorum in materia Tertiæ Propoſitionis ex quinque Ianſenianis ſit origo Methodi retinendi peccata, quæ iiſdem placet hôc tempore.* 236
§. 4. *Oſtenditur, quod Doctrina eadem horum Theologorum in Materiâ tertiæ propoſitionis ex Quinque damnatis ſit origo doctrinæ* Macarii Havermans *de lethali cupiditate perſeverante in peccatore donec ſupprimatur à charitate.* 238
CAP. XII. Suppletur defectus capitalis Doctorum Lovanienſium S. Sedem informantium de ſua Doctrina. 239

ELENCHVS
QUARTÆ PARTIS.

OBſervationes utiles legentibus quartam partem Speciminis. pag. 241

CAP. I. De ignorantia, & inadvertentia malitiæ. 245

§. 1. *Ad doctrinam de ignorantia malitiæ, quam, ut laxitatem Theologorum in Lovanienſi ſchola reprobatam, Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Ad Doctrinam de inadvertentiâ malitiæ, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 248

§. 3. *Specimen Modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de peccatis ignorantiæ & inadvertentiæ.* 253

§. 4. *Quantò caſtiora ſint Dogmata Lovanienſium Doctorum in Materia Ignorantiæ.* 256.

§. 5. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de ignorantiâ & inadvertentiâ Malitiæ, ut reprobatam à ſchola Lovanienſi, obtulerunt S. Sedi Doctores Lovanienſes.* 258

CAP. II. De probabilitate. 262

§. 1. *Ad doctrinam de probabilitate, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio à Lovanienſi Schola reprobatam Sanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Quid cauſæ fuerit cur Lovanienſes Doctores apud S. Sedem nihil de hac propoſitione;* quod eſt ſpeculativè probabile, eſt practicè certum. 269

§. 3. *Specimen Modeſtiæ Doctorum, & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de probabilitate.* 271

§. 4. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de Probabilitate, tamquam reprobatam à Scholâ Lovanienſi, repræſentarunt S. Sedi Lovanienſes Doctores.* 274

CAP. III. De Caritate. 281

§. 1. *Ad Doctrinam de precepto Caritatis, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio à Lovanienſi ſcholâ reprobatam ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Ad doctrinam de operum in Deum Relatione, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio à Lovanienſi Schola reprobatam repræſentarunt ſanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.* 285

§. 3. *Diſpiciendum proponitur ſapienti Lectori an magis placere debeat doctrina Lovanienſium Doctorum de uſu Conjugii.* 288

§. 4. *Specimen Modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti Materia de Caritate erga Deum.* 291

§. 5. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de Caritate erga Deum, tamquam reproba-*

tam

tam à Lovanienſi Schola ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes. 293

CAP. IV. De Dilectione Proximi. 300

§. 1. *Ad doctrinam de Dilectione proximi, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Ad doctrinam de odio Dilectioni Proximi oppoſito, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 304

§. 3. *Modeſtia Academicorum Lovanienſium in Præſenti materia de Dilectione Proximi.* 306

§. 4. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de Dilectione Proximi, ut reprobatam à Schola Lovanienſi ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 307

CAP. V. De Fide. 310

§. 1. *Ad doctrinam propoſitionum de præcepto fidei, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Ad doctrinam Propoſitionum de Aſſenſu fidei, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 312

§. 3. *Præcipitantia varia MACARII HAVERMANS in* Epiſtola Apologetica ad Innocentium XI. *de laxitatibus Theologorum in Belgio in materiâ de fide.* 320

§. 4. *Conſiderandam proponitur ſapienti Lectori, quàm procul abſint Lovanienſes Doctores & Academici à variâ doctrinâ in materiâ de fide, quam ut reprobatam à ſua Schola repræſentarunt ſactæ Sedi.* 321

CAP. VI. De juramento, mendacio &c. 323

§. 1. *Ad doctrinam de juramento, mendacio &c. quam, ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovauienſes,* ibid.

§. 2. *Conſiderandum Lectori proponitur, quantùm præ his placere debeat doctrina Lovanienſium Doctorum hoc tempore de Reſtrictione.* 329

§. 3. *Specimen Modeſtiæ Lovanienſium Academicorum in materia de mendacio & perjurio.* 330

§. 4. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum in materia de mendacio, ut reprobatam à Scholâ Lovanienſi ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 332

CAP. VII. De Homicidio. 336

§. 1. *Ad doctrinam de Homicidio, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio repræſentarunt ſanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.* ibid.

§. 2. *Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materiâ de Homicidio.* 339

§. 3. *Doctorum Lovanienſium doctrinam ut reprobatam à Schola Lovanienſi repræſentarunt ſanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.* 341

CAP. VIII. De Peccatis Injuſtitiæ. 344

§. 1. *Ad doctrinam de peccatis injuſtitiæ, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio repræſentarunt ſanctæ Sedi Doctores Lovanienſes.* ibid.

§.2. *Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de peccatis injuſtitiæ.* 347
§.3. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de peccatis injuſtitiæ, ut reprobatam à Lovanienſi Scholâ, S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 348
CAP.IX. De Reſtitutione. 350
§.1. *Ad doctrinam de Reſtitutione, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.
§.2. *Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de reſtitutione.* 352
§.3. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de reſtitutione, ut reprobatam à Lovanienſi Schola S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 353
CAP.X. De Uſura. 355
§.1. *Ad doctrinam de uſurâ, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio repræſentarunt S.Sedi Doctores Lovanienſes.* ibid.
§.2. *Specimen Modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de uſurâ.* 356
§.3. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de uſura, ut reprobatam à Schola Lovanienſi, S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 358
CAP.XI. De Detractione. 360
CAP.XII. De Simonia. 362
§.1. *Ad doctrinam de Simoniâ, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.
§.2. *Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de Simonia.* 366
§.3. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de Simonia ut reprobatam à Schola Lovanienſi S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 368
CAP.XIII. De Luxuria. 371
§.1. *Ad doctrinam de Luxuriâ quam ut laxitatem Theologicam in Belgio S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.
§.2. *Specimen Modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de Luxuriâ.* 376
§.3. *Suggeruntur quædam à Lovanienſibus Doctoribus propugnata, de quibus conſuli poterat S.Sedes in præſenti materia de Luxuria.* 377
CAP.XIV. De Præceptis Eccleſiæ. 378
§.1. *Ad doctrinam de præceptis Eccleſiæ, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.
§.2. *Doctrinam propugnatam à Lovanienſi Doctore* Joanne Sinnichio, *ut reprobatam à ſua ſchola ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 379
CAP.XV. De Feſtis Servandis. 380
CAP.XVI. De miſſæ auditione & Horis canonicis. 382

§.1. *Ad*

§.1. *Ad doctrinam de miſſa auditione & horis canonicis, quam, ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§.2. *Specimen modeſtiæ Doctorum, & Academicorum Lovanienſium in materia de miſſa auditione & horis canonicis.* 384

§.3. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum, de miſſa auditione, & horis canonicis, ut reprobatam à ſua Schola S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 386

CAP. XVII. De Jejunio. 388

§.1. *Ad doctrinam de jejunio, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§.2. *Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in materia de jejunio.* 390

CAP. XVIII. De Communione annua. 391

§.1. *Ad doctrinam de Communione annua, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§.2. *Specimen modeſtiæ & inconſtantiæ* Macarii Havermans *in Quæſtione de communione annua.* 393

§.3. *Doctrinam Lovanienſium Doctorum de communione annua ut reprobatam à Schola Lovanienſi S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 394

CAP. XIX. De cultu Beatiſſimæ Virginis & Sanctorum. 395

§.1. *Ad doctrinam de cultu Beatiſſimæ Virginis & SS. quam ut laxitatem Theologorum in Belgio ſanctæ Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§.2. *De modeſtia & doctrina Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de cultu Beatæ Virginis Dei Matris.* 402

CAP. XX. De frequenti Confeſſione, & Communione. 405

§.1. *Ad Doctrinam de frequenti Confeſſione & Communione, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§.2. *Specimen modeſtiæ* Macarii Havermans S.T.P. *ſimulque doctrinæ Lovanienſium Doctorum in præſenti materia de frequenti confeſſione & communione.* 406

CAP. XXI. De Contritione. 408

§.1. *Ad doctrinam de contritione, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§.2. *Specimen modeſtiæ Doctorum Lovanienſium in præſenti materia de contritione.* 411

§.3. *Satiſne æqui fuerint Lovanienſes Doctores erga doctrinam Lovanienſium Doctorum de contritione.* ibid.

CAP. XXII. De Confeſſione. 413

§.1. *Ad doctrinam de Confeſſione, quam ut laxitatem Theologorum in Belgio S. Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* ibid.

§.2. *Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in materia de Confeſſione.* 416

§.3. Do-

§.3. *Doctorum Lovanienſium doctrinam de Confeßione, ut reprobatam à Schola Lovanienſi, S.Sedi repræſentarunt Doctores Lovanienſes.* 417

CAP.XXIII. De Abſolutione. 418

§.1. *Ad doctrinam de Abſolutione, quam ut reprobatam à Lovanienſi Schola S.Sedi repræſentarunt Lovanienſes Doctores.* ibid.

§.2. *Specimen modeſtiæ Doctorum & Academicorum Lovanienſium in præſenti materia de Abſolutione.* 425

§.3. *Judicium Lovanienſium Doctorum & Academicorum de doctrina libri, cui titulus* FRANCISCI IACOPS S.T.P. Quæſtio Theologica: An & quando neganda ſit abſolutio pœnitenti. 426

CAP.XXIV. De ſatisfactione. 428

CAP.XXV. Origo univerſæ corruptelæ Theologiæ moralis judicio *Gummari Huygens* S.T.D. 429

CAP.XXVI. An doctrina de gratia ſufficiente *comparaverit intellectui probabilitates & voluntati excuſationes* illas quas damnavit *Clemens Papa IX.* in Bulla *Rom.Pontifex* data Romæ die 13. Septembris 1669. 433

CAP.XXVII. Inquiritur unde exſtiterint annis ſuperioribus in Belgio contentiones, perturbationes, ſcandala, obſcuratio Chriſtianæ doctrinæ & cetera, de quibus conqueruntur Lovanienſes Doctores in libellis ſupplicibus. 434

CAP.XXVIII. Artificium Lovanienſium Doctorum & Academicorum utendi favore & benignitate Sedis Apoſtolicæ ad commendationem doctrinæ ſuæ. 440

CAP.XXIX. Quam Eccleſiæ ſpem bonam faciat Legatio Lovanienſium Doctorum, ſpectato Capite ipſo Legationis. 442

FINIS.

TESTIMONIVM PROTONOTARII APOSTOLICI.

COllatione factâ cum Theſibus, libris, ſcriptis, quæ citantur in his *Speciminibus*, inveni extracta ſingula, quibus exponitur *Doctrina Lovanienſium*, cum iiſdem Theſibus, libris & ſcriptis concordare. Inſuper judico prædictum *Specimen* utile futurum hoc tempore ad debitam informationem S. Sedis, in quorum fidem his ſubſcripſi, & ſigillum meum appoſui. Actum Lovanii die 22. Martii 1678.

Nicolaus du Bois
S. Scripturæ Profeſſor Primarius,
Protonotarius Apoſtolicus &c.

Sigillum affixum erat faſciæ lineæ rubræ, quæ per folia omnia & ſingula erat trajecta, eaque connectebat.

APPROBATIO.

Imprimi poterit

Datum 30. *Iulii* 1681.

A. F. L. B. *ab* H.
Vic. Gen. Mog.

ANT 1741591

4071

X
C13